1609

Digitized by Google


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
37 C
34

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom.



IOANNIS GERSO-NIS CANCELLARII Pariſienſis;

DE

Imitatione Chriſti, lib. iiii.

Cum plerisq; alijs eiusdem argumenti opuſculis, quæ proxima pagella indicabit.

Libellus planè aureus, ac ad Christiani hominis uitam absolutè formandam pernecessarius.

LVGDVNI,

Apud Horatium Cardon.

M. D C VIII.

[BIB]LIOTECA NA[...]

Digitized by Google

Digitized by Google

Hoc volumine continentur.

***

Ioannis Gerſonis, Cancellarij Pariſienſis, ſeu potiùs Thomæ à Campis, Canonici regularis, de imitatione Christi libri IIII.

Innocentij Papæ de contemptu mundi libri III.

B. Auguſtini admonitio de ebrietate cauenda.

D. Dionyſij Carthuſiani de perfecto mundi contemptu libelli VII.

I. De arcta via ſalutis, & contemptu mundi.

II. Speculum amatorum mundi.

III. De grauitate & enormitate peccati.

IIII. De conuerſione peccatoris.

V. De fonte lucis & ſemitis vitæ.

VI. Deuotum præcordiale.

VII. Dialogus Patroni ad Canonicum.

Briſci, cuiuſdam religioſi de via ſalutis æternæ opuſculum.

INDEX CAPITVLORVM LIBRI PRIMI.

De imitatione Chriſti, & de contemptu omnium vanitatum mundi. cap. 1.
De ſuiypſius contemptu. cap. 2.
De doctrina veritatis. cap. 3.
De prudentia in agendis. cap. 4.
De lectione ſanctarum Scripturarum. cap. 5.
De inordinatis affectibus. cap. 6.
De vana ſpe, & elatione fugienda. cap. 7.
De cauenda nimia ſuperfluitate. cap. 8.
De obedientia, & ſubiectione. cap. 9.
De cauenda loquacitate. cap. 10.
De pace acquirenda, & zelo proficiendi. cap. 11.
De vtilitate aduerſitatis. cap. 12.
De tentationibus ſuſtinendis. cap. 13.
De temerario iudicio vitando. cap. 14.
De operibus ex charitate factis. cap. 15.
De defectuum aliorum tolerantia. cap. 16.
De monaſtica vita. cap. 17.
De exemplis ſanctorum Patrum. cap. 18.
De exercitijs boni religioſi. cap. 19.
De amore ſolitudinis & ſilentij. cap. 20.
De compunctione cordis. cap. 21.
De conſideratione humanæ miſeriæ. cap. 22.

De

Digitized by Google

De meditatione mortis. cap. 23.
De iudicio, & pœnis peccatorum. cap. 24.
De ferventi emendatione totius vitæ noſtræ. c. 25

LIBRI II.

De interna converſatione. cap. 1.
De humili ſubmiſsione ſub prælati regimine. cap. 2.
De bono & pacifico homine. cap. 3.
De pura mente & ſimplici intentione. cap. 4.
De propria conſideratione. cap. 5.
De lætitia bonæ conſcientiæ. cap. 6.
De amore Ieſu ſuper omnia. cap. 7.
De familiari amicitia Ieſu. cap. 8.
De carentia omnis ſolatij. cap. 9.
De gratitudine pro gratia Dei. cap. 10.
De paucitate amatorum crucis Ieſu. cap. 11.
De regia via ſanctæ Crucis. cap. 12.

LIBRI III.

De interna Chriſti locutione ad animam fidelem. cap. 1.
Quòd veritas intus loquitur ſine ſtrepitu verborum. cap. 2.
Quòd verba Dei cũ humilitate ſunt audienda: & quòd multi ea non ponderant. cap. 3.
Oratio ad implorandam devotionis gratiam. c. 4
Quòd in veritate & humilitate coram Deo cõverſandum eſt. cap. 5.
De mirabili effectu divini amoris. cap. 6.
De probatione veri amoris. cap. 7.

Digitized by Google

De occultãda gratia ſub humilitatis cuſtodia. 8.
De vili æſtimatione ſuiipſius in oculis Dei. c.9.
Quòd omnia ad Deum, ſicut ad finem vltimum, ſunt referenda. cap.10.
Quòd ſpreto mundo, dulce eſt ſeruire Deo. ca. 11.
Quòd deſideria cordis examinanda ſunt, & moderanda. cap.12.
De informatione patientiæ, & luctamine aduerſus concupiſcentias. cap 13.
De obedientia humilis ſubditi ad exemplum Ieſu Chriſti. cap.14.
De occultis Dei iudicijs conſiderandis, ne extollamur in bonis. cap.15.
Qualiter ſtandum ſit, ac dicendum in omni re deſiderabili. cap.16.
Oratio pro beneplacito Dei perficiendo. cap. 17.
Quòd verum ſolatium in ſolo Deo eſt quærendum. cap.18.
Quòd omnis ſolicitudo in Deo ponenda eſt. c.19.
Quòd temporales miſeriæ Chriſti exemplo æquanimiter ſunt ferendæ. cap 20.
De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur. cap.21
De confeſſione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miſerijs. cap.22.
Quòd in Deo ſuper omnia bona & dona requieſcendum eſt. cap.23.
De recordatione beneficiorũ Dei multiplicium. cap.24.

De

De quatuor magnam importantibus pacē. c.25.
Oratio contra cogitationes malas. cap.26.
Oratio pro illuminatione mētis deuotiſſima.c.27
De euitatione curioſæ inquiſitionis ſuper alterius vita. cap 28.
In quibus firma pax cordis, & verus profectus conſiſtit. cap.29.
De eminentia liberæ mentis, & quòd ſimplex oratio magis meretur, quàm lectio. cap.30.
Quòd prauus amor à ſummo bono maximè retardat. cap.31.
Oratio pro purgatione cordis, & cæleſti ſapiētia. cap.32.
Contra linguas obtrectatorum. cap.33.
Qualiter inſtante tribulatione, Deus inuocandus & benedicendus. cap.34.
De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperandæ gratiæ. cap.35.
De neglectu omnis creaturæ, vt creator poſſit inueniri. cap.36.
De abnegatione ſui, & abdicatione omnis cupiditatis. cap.37.
De inſtabilitate cordis, & de intentione finali ad Deum habenda. cap.38.
Quòd amanti ſapit Deus ſuper omnia & in omnibus. cap.39.
Quòd non eſt ſecuritas à tentatione in hac vita. cap. 40.
Contra vana hominum iudicia. cap.41.

De pura & integra reſignatione ſui, ad obtinendam cordis libertatem. cap. 42.
De bono regimine in extremis: & recurſu ad Deum in periculis. cap. 43.
Quòd homo non ſit importunus in negotijs. c. 44.
Quòd homo nihil boni ex ſe habet, & de nullo gloriari poteſt. cap. 45.
De contemptu omnis temporalis honoris. ca. 46.
Quòd pax non eſt ponenda in hominibus. ca. 47.
Contra vanam, & ſecularem ſcientiam. cap. 48.
De non attrahendo ſibi res exteriores. cap. 49.
Quòd omnibus non eſt credendum, & de facilè lapſu verborum. cap. 50.
De confidentia in Deo habenda, quando inſurgunt verborum iacula. cap 51.
Quòd omnia grauia, pro æterna vita toleranda. cap. 52.
De die æternitatis & huius vitæ anguſtijs. c. 53.
De deſiderio æternæ vitæ: & quanta ſint certantibus bona promiſſa. cap. 54.
Qualiter homo deſolatus debeat in manus Dei ſe offerre. cap. 55.
Quòd humilibus inſiſtendum eſt operibus cùm deficitur à ſummis. cap. 56.
Quòd homo non reputet ſe conſolatione dignum, ſed magis verberibus reum. cap. 57.
De gratia Dei, quæ non miſcet terrena ſapientibus. cap. 58.
De diuerſis motibus naturæ, & gratiæ. cap. 59.

De

De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diuinæ. cap.60.
Quòd noſipſos abnegare, & Chriſtum imitari debemus per crucem. cap.61.
Quòd homo non ſit nimis deiectus, quando in aliquo delabitur defectu. cap.62.
De altioribus rebus & occultis iudicijs Dei non ſcrutandis. cap.63.
Quòd omnis ſpes, & fiducia in ſolo Deo eſt figenda. cap.64.

LIBRI IIII.

CVm quanta reuerentia Chriſtus ſit ſuſcipiendus. cap.1.
Quòd magna bonitas & charitas Dei in ſacramento exhibetur homini. cap.2.
Quòd vtile ſit ſæpè communicare. cap.3.
Quòd multa bona præſtantur deuotè communicantibus. cap 4.
De dignitate ſacramenti, & ſtatu ſacerdotali. cap. 5.
Interrogatio de exercitio ante communionem. cap. 6.
De diſcuſſione propriæ conſcientiæ, & emendationis propoſito. cap.7.
De oblatione Chriſti in cruce, & propria reſignatione. cap.8.
Quòd nos, & omnia noſtra debemus offerre, & pro omnibus orare. cap.9.
Quòd ſacra communio de facili non eſt relin-

quenda. cap.10.
Quòd corpus Chriſti, & ſacra Scriptura maximè ſint animæ fideli neceſſaria. cap 11.
Quòd magna diligentia ſe debeat communicaturus Chriſto præparare. cap.12.
Quòd toto corde anima deuota, Chriſti vnionem in ſacramento affectare debet. cap.13.
De quorundam deuotorum ardenti deſiderio ad corpus Chriſti. cap.14.
Quòd gratia deuotionis, humilitate, & ſuýpſius abnegatione acquiritur. cap.15.
Quòd neceſſitates noſtras Chriſto aperire & eius gratiam poſtulare debemus. cap.16.
De ardenti amore, & vehementi affectu ſuſcipiendi Chriſtum. cap.17.
Quòd homo non ſit curioſus ſcrutator ſacramenti, ſed humilis imitator Chriſti, ſubdendo ſenſum ſacræ fidei. cap.18.

IOAN

IOANNIS GERSONIS, CANCELLARII Pariſienſis, doctoriſque moraliſſimi;

LIBER PRIMVS.

De imitatione Chriſti: déque omnium mundi vanitatum contemptu.

CAPVT I.

Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus: Hæc ſunt verba Chriſti, quibus admonemur, quatenus vitam eius, & mores imitemur, ſi velimus veraciter illuminari, & ab omni cæcitate cordis liberari. Summũ igitur ſtudium noſtrũ ſit, in vita Ieſu Chriſti meditari. Doctrina Chriſti, omnes doctrinas ſanctorum præcellit: & qui ſpiritũ haberet abſconditum, ibi magna inueniret. Sed contingit, quòd multi ex frequenti auditu Euangelij, paruum deſideriũ ſentiunt: qui ſpiritum Chriſti non habent. Qui autem vult plenè, & ſapidè Chriſti verba intelligere,

Digitized by Google

telligere, oportet, vt totam vitam ſuam illi ſtudeat conformare. Quid prodeſt tibi, alta de Trinitate diſputare: ſi careas humilitate, vnde diſpliceas Trinitati? Verè alta verba nō faciūt ſanctū, & iuſtū: ſed virtuoſa vita efficit Deo charū. Opto magis ſentire compūctionem, quàm ſcire eius diffinitionem. Si ſcires tota Biblia exterius, & omnium Philoſophorū dicta, quid totum prodeſſet ſine charitate Dei, & gratia? Vanitas vanitatū, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſeruire. Iſta eſt ſumma ſapientia, & per contemptum mundi, tendere ad cæleſtia regna: Vanitas igitur eſt diuitias perituras quærere, & in illis ſperare. Vanitas quoque eſt honores ambire, & in altū ſe extollere. Vanitas eſt, carnis deſideria ſequi, & illud deſiderare, vnde poſtmodum grauiter oportet puniri. Vanitas eſt, lōgam vitam optare, & de bona vita parum curare. Vanitas eſt, præſentem vitam ſolùm attendere: & quæ futura ſunt, non præuidere. Vanitas eſt, diligere quod cum omni celeritate tranſit, & illuc non feſtinare, vbi ſempiternum gaudium manet. Memento illius frequēter prouerbij Quia non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Stude ergo, cor tuum ab amore viſibilium abſtrahere, & ad inuiſibilia te trans

ce trans

te transferre. Nam ſequentes ſuam ſenſualitatem, maculant cõſcientiam, & perdunt Dei gratiam.

De ſuiÿpſius contemptu.

CAPVT II.

OMnis homo naturaliter ſcire deſiderat. Sed ſcientia ſine timore Dei, quid importat? Melior eſt profectò humilis ruſticus, qui Deo ſeruit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui ſe neglecto, curſum cæli cõſiderat. Qui benè ſeipſum cognoſcit, ſibi ipſi vileſcit, nec laudibus delectatur humanis. Si ſcirem omnia, quæ in mundo ſunt, & non eſſem in charitate, quid me iuuaret coram Deo, qui me iudicaturus eſt ex facto? Quieſce à nimio ſciẽdi deſiderio: quia magna ibi inuenitur diſtractio, & deceptio. Scientes libenter volunt videri, & ſapientes dici. Multa ergo ſunt quæ ſcire, parum, vel nihil animæ prodeſt. Et valdè inſipiens eſt, qui alijs intendit, quàm his quæ ſaluti ſuæ deſeruiunt. Multa verba nõ ſatiant animam; ſed bona vita refrigerat mentem, & pura conſcientia magnam pręſtat ad Deum confidentiam. Quantò plus & meliùs ſcis, tantò grauiùs inde iudicaberis, niſi ſanctiùs vixeris. Noli ergo extolli,

tolli de vlla dote, vel ſcientia: ſed potiùs time de data tibi notitiâ. Si tibi videtur, quòd multa ſcis, & ſatis benè intelligis: ſcito tamen quia ſunt multò plura quę neſcis. Noli altum ſapere: ſed ignorantiam tuam magis fatere. Quid vis te alicui præferre, cùm plures doctiores te inueniantur, & magis in lege periti? Si vis vtiliter aliquid ſcire & diſcere, ama neſciri, & pro nihilo reputari. Hęc eſt altiſſima, & vtiliſſima ſcientia & lectio, ſuiipſius vera cognitio, & deſpectio. De ſeipſo nihil tenere & de alijs ſemper benè, & altè ſentire, magna ſapientia eſt, & perfectio. Si videris aliquē apertè peccare, vel aliqua grauia perpetrare, non debes tamen meliorem te æſtimare, quia neſcis quādiu poſſis in bono ſtare. Omnes fragiles ſumus: ſed tu neminem fragiliorem teipſo tenebis.

De doctrina veritatis.

CAPVT III.

FElix, quem veritas per ſe docet, non per figuras, & voces tranſeuntes, ſed ſicuti ſe habet. Noſtra opinio, & noſter ſenſus ſæpè nos fallit, & modicum videt. Quid prodeſt magna cauillatio de occultis, & obſcuris rebus, de quibus nec arguemur in
iudicio,

iudicio, quia ignorauimus? Grandis inſipientia, quòd neglectis vtilibus & neceſſariis vltra intẽdimus curioſis, & damnoſis. Oculos habentes, nõ videmus. Et quid curæ nobis, pro generibus, & ſpeciebus? Cui æternum verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur. Ex vno verbo omnia, & vnum loquuntur omnia, hoc eſt principium, quod & loquitur nobis, Nemo ſine illo intelligit, aut rectè iudicat. Cui omnia vnum ſunt, & qui omnia ad vnum trahit, & omnia in vno videt, poteſt ſtabilis corde eſſe, & in Deo pacificè permanere. O veritas, Deus fac me vnum tecum in charitate perpetua. Tædet me ſæpè multa legere, & audire. In te eſt totum, quod volo, & deſidero. Taceant omnes Doctores, ſileãt vniuerſæ creaturæ in conſpectu tuo. Tu mihi loquere ſolus. quanto aliquis magis vnitur ſibi, & interius ſimplificatus fuerit, tanto plura, & altiora ſine labore intelligit: quia deſuper lumẽ intelligentiæ accipit. Purus, ſimplex, & ſtabilis ſpiritus, in multis operibus non diſſipatur: quia omnia ad Dei honorem operatur: & in ſe otioſus ab omni propria exquiſitione eſſe nititur. Quis te magis impedit, & moleſtat, quam tui immortificata affectio cordis? Bonus & deuotus homo opera ſua priùs intus diſponit,

quæ

quæ foris agere debet, non illa trahũt eum ad deſideria vitioſæ inclinationis: ſed ipſe reflectit ea ad arbitriũ rectæ rationis. Quis habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere ſeipſum? Et hoc deberet eſſe negotium vniuſcuiuſque noſtrum, vincere videlicet ſeipſum, & quotidie ſeipſo fortiorem fieri atque in melius aliquid proficere. Omnis perfectio in hac vita quandã imperfectionem ſibi habet annexã: & omnis ſpeculatio noſtra quadam caligine non caret. Humilis tui cognitio, certior via eſt ad Deum: quàm profundę ſcientiæ inquiſitio. Non eſt culpãda ſcientia, aut quælibet ſimplex rei notitia quæ bona eſt in ſe conſiderata, & à Deo ordinata: ſed præferenda eſt ſemper bona conſcientia, & virtuoſa vita. Quia verò plures magis ſtudent ſcire, quàm benè viuere, ideo ſæpè errant, & penè nullum, vel modicum fructum ferunt. O ſi tantam adhiberent diligẽtiam ad extirpanda vitia, & virtutes inſerendas, ſicut ad mouendas quęſtiones non fierent tanta mala & ſcandala in populo, nec tãta diſſolutio in cœnobijs. Certè adueniente die iudicij, non quæretur à nobis, quid legimus, ſed quid fecimus: nec quàm benè diximus, ſed quàm religioſè viximus. Dic mihi, vbi ſunt modò omnes illi domini & magiſtri

magiſtri, quos benè noſti, dum adhuc viuerent, & in ſtudiis florerent? Iam eorum præbendas alij poſſident, & neſcio vtrum de eis recogitent. In vita ſua aliquid videbantur, & modò de illis tacetur. O quàm citò tranſit gloria mundi! Vtinam vita eorum cum ſcientia ipſorum concordaſſet, tunc benè ſtuduiſſent, & legiſſent. quàm multi pereunt per vanam ſcientiam in hoc ſæculo, qui parum curant de Dei ſeruitio! Et quia magis eligunt magni eſſe quã humiles, ideò euaneſcunt in cogitationibus ſuis. Verè magnus eſt, qui magnam habet charitatem. Verè magnus eſt, qui in ſe paruus eſt, & pro nihilo omne culmen honoris ducit: verè prudens eſt, qui omnia terrena arbitratur vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat. Et verè benè doctus eſt, qui Dei voluntatem facit, & ſuam voluntatem relinquit.

De prudentia in agendis.

CAPVT IIII.

NOn eſt credendum omni verbo, nec inſtinctui: ſed cautè, & longanimiter res eſt ſecundùm Deum ponderanda. Prô dolor! ſæpè malum faciliùs, quàm bonum de alio creditur, & dicitur: ita infirmi ſumus. Sed perfecti viri non facilè credunt

omni enartanti: quia ſciunt infirmitatem humanam ad malũ procliuem, & in verbis ſatis labilem Magna ſapientia eſt,non eſſe præcipitem in agendis, nec pertinaciter in propriis ſenſibus ſtare. Ad hanc etiam pertinet, non quibuſlibet hominum verbis credere,nec audita, vel credita mox ad aliorũ aures effundere. Cum ſapiente, & cõſcientioſo viro,conſiliũ habe & quære potius à meliore inſtrui,quàm tuas adinuentiones ſequi. Bona vita facit hominem ſapientem ſecundùm Deum, & expertum in multis. Quanto quis in ſe humilior fuerit, & Deo ſubiectior, tantò in omnibus erit ſapientior & pacatior.

De lectione ſanctarum ſcripturarum.

CAPVT V.

VEritas eſt in ſcripturis ſanctis quærẽda, non eloquentia. Omnis ſcriptura ſacra, eo ſpiritu debet legi, quo facta eſt. Quærere potiùs debemus vtilitatẽ in ſcripturis,quàm ſubtilitatem ſermonis. Ita libenter deuotos, & ſimplices libros legere debemus,ſicut altos,& profundos. Nõ offendat auctoritas ſcribentis, vtrum paruæ, vel magnæ literaturæ fuerit: ſed amor puræ veritatis te trahat ad legẽda.Nõ quæras, quis hoc dixerit:ſed quid dicatur,attende.

Homi

Homines tranſeunt: ſed veritas Domini manet in æternum. Sine perſonarum acceptione variis modis loquitur nobis Deus. Curioſitas noſtra ſæpe nos impedit in lectione ſcripturarũ: cùm volumus intelligere, & diſcutere, vbi ſimpliciter eſſet tranſeundum. Si vis profectũ haurire, lege humiliter, ſimpliciter, & fideliter: nec vnquã velis habere nomen ſcientiæ. Interroga libenter, & audi tacẽs verba ſanctorum: nec diſpliceant tibi parabolæ ſeniorũ: ſine cauſa enim non proferuntur.

De inordinatis affectibus.

CAPVT VI.

QVandocunque homo aliquid inordinatè appetit, ſtatim in ſe inquietus fit. Superbus, & auarus nunquam quieſcit. Pauper, & humilis ſpiritu in multitudine pacis conuerſatur. Homo, qui necdum perfectè mortuus eſt, citò tentatur, & vincitur in paruis, & in vilibus rebus. Infirmus ſpiritu & quodammodo adhuc carnalis, & ad ſenſibilia inclinatus, difficulter ſe poteſt à terrenis deſideriis ex toto abſtrahere. Et ideò ſæpè habet triſtitiam, cùm ſe ſubtrahit: leuiter etiam indignatur, ſi quis ei reſiſtit. Si autem conſecutus fuerit quod concupiſcit, ſtatim ex reatu conſcientiæ grauatur,

quia ſecutus eſt paſſionem ſuam: quæ nihil iuuat ad pacem, quam quæſiuit. Reſiſtendo igitur paſſionibus inuenitur vera pax cordis, nõ autem ſeruiendo eis. Non eſt ergo pax in corde hominis carnalis, non eſt in homine exterioribus dedito, ſed in feruido ſpiritali.

De vana ſpe, & elatione fugienda.

CAPIT. VII.

VAnus eſt, qui ſpem ſuam ponit in hominibus, aut in creaturis. Non te pudeat aliis ſeruire, amore Ieſu Chriſti, & pauperem in hoc ſæculo videri. Non ſtes ſuper te ipſum, ſed in Deo ſpẽ tuã cõſtitue. Fac quod in te eſt: Deus aderit bonæ volũtati tuæ. Non confidas in tua ſcientia, vel cuiuſquam aſtutia viuentis, ſed magis in Dei gratia, qui adiuuat humiles, & de ſe præſumẽtes humiliat. Ne glorieris in diuitiis ſi adſũt, nec in amicis, quia potẽtes ſunt: ſed in Deo, qui omnia præſtat, & ſeipſum ſuper omnia dare deſiderat. Non te extollas de magnitudine, vel pulchritudine corporis, quæ modica infirmitate corrũpitur, & fœdatur. Nõ placeas tibi ipſi de habilitate, aut ingenio tuo, ne diſpliceas Deo, cuius eſt totum, quicquid boni naturaliter habueris. Non te reputes aliis me-

liorem,

liorem, ne fortè coram Deo deterior habearis: qui ſcit, quid eſt in homine. Non ſuperbias de operibus bonis, quia aliter ſunt iudicia Dei, quàm hominum: cui ſæpè diſplicet, quòd hominibus placet. Si aliquid boni habueris, crede de aliis meliora, vt humilitatem conſerues. Non nocet ſi omnibus te ſupponas, nocet autem plurimum, ſi vel vni te præponas. Iugis pax cum humili, in corde autem ſuperbi, zelus, & indignatio frequens.

De cauenda nimia familiaritate.

CAPVT VIII.

NOn omni homini reueles cor tuũ: ſed cum ſapiente, & timente Deum, age cauſam tuam: cum iuuenibus, & extraneis rarus eſto. Diuitibus noli blandiri, & corã magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus, & ſimplicibus, cum deuotis, & morigeratis ſocia te, & quæ ædificationis erunt pertracta. Non ſis familiaris alicui mulieri: ſed in cõmuni, omnes bonas mulieres Deo commenda. Soli Deo, & angelis eius opta familiaris eſſe: & hominum notitiam deuita. Charitas habenda eſt ad omnes: ſed familiaritas non expedit. Quandoque accidit, vt perſona ignota ex bona familia luceſcat, cuius tamen pręſentia ocu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

los intuentium obfuſcat. Putamus aliquãdo aliis placere ex coniunctione noſtra, & incipimus magis diſplicere ex morum improbitate in nobis conſiderata.

De obedientia, & ſubiectione.

CAPVT IX.

VAldè magnum eſt in obediẽtia ſtare, ſub pręlato viuere, & ſuis iuris nõ eſſe Multò tutius eſt ſtare in ſubiectione, quã in prælatura. Multi ſunt ſub obediẽtia magis ex neceſſitate, quàm ex charitate: & illi pœnam habent, & leuiter murmurant: nec libertatem mentis acquirent, niſi ex toto corde, propter Deum ſe ſubijciant. Curre huc, vel illuc, non inuenies quietem, niſi in humili ſubiectione ſub prælati regimine. Imaginatio locorum, & mutatio, multos fefellit. Verum eſt, quòd vnuſquiſque libenter agit pro ſenſu ſuo, & inclinatur ad eos magis, qui ſecum ſentiunt. Sed ſi Deus eſt inter nos, neceſſe eſt vt relinquamus etiã quandoq; noſtrum ſentire, propter bonum pacis Quis eſt ita ſapiens, qui omnia plenè ſcire poteſt? Ergo noli nimis in ſenſu tuo cõfidere, ſed velis etiã libenter aliorum ſenſum audire. Si bonum eſt tuũ ſentire, & hoc ipſum propter Deũ dimittis, & alium ſequeris, magis exinde proficies Audini

Digitized by Google

diui enim ſæpè ſecurius eſſe audire, & accipere conſilium quàm dare. Poteſt enim contingere, vt bonum ſit vniuſcuiuſq; ſentire: ſed nolle aliis acquieſcere, cùm id ratio, aut cauſa poſtulat, ſignum eſt ſuperbię, & pertinaciæ.

De cauenda ſuperfluitate verborum.

CAPVT X.

CAueas tumultum hominum, quantũ potes: multũ enim impedit tractatus ſæcularium geſtorum, etiam ſi ſimplici intentione proferantur. Citò enim inquinamur vanitate, & captiuamur. Vellẽ me pluries tacuiſſe, & inter homines non fuiſſe. Sed quare tam libenter loquimur, & inuicem fabulamur: cùm tamen rarò ſine læſione conſcientiæ ad ſilentium redimus? Ideò tam libenter loquimur: quia per multas locutiones ab inuicem cõſolari quærimus, & cor diuerſis cogitationibus fatigatum optamus releuare, & multum libenter de his, quæ multũ diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria ſentimus, libet loqui, & cogitare. Sed (proh dolor) ſæpè inaniter, & fruſtrà. Nam hæc exterior cõſolatio, interioris, & diuinę conſolationis nõ modicum detrimentum eſt. Ideò vigilandum eſt, & orandum, ne tempus otioſè

tranſeat. Si loqui licet, & expedit, quæ ædificabilia ſunt, loquere. Malus vſus, & negligentia profectus noſtri, multũ facit ad incuſtodiam oris noſtri: iuuat tamen non parum ad profectum ſpiritualem, deuota ſpiritualium rerũ collatio, maximè vbi pares animo & ſpiritu in Deo ſibi ſociantur.

De pace acquirenda, & zelo proficiendi.

CAPVT XI.

MVltam poſſemus pacem habere, ſi nõ vellemus nos cum aliorum dictis & factis, quæ ad noſtram curam non ſpectãt, occupare. Quomodo poteſt ille diu in pace manere, qui alienis curis ſe intermiſcet, qui occaſiones forinſecus quærit, qui parum, vel rarò ſe intrinſecus colligit? Beati ſimplices, quoniam multã pacem habebũt. Quare quidam ſanctorum tam perfecti, & contemplatiui fuerunt? Quia omnino ſeipſos mortificare omnibus terrenis deſideriis ſtuduerunt, & ideo totis medullis cordis Deo inhærere, atque liberè ſibi vacare potuerunt. Nos quidem nimiũ occupamur propriis paſſionibus, & de tranſitoriis nimium ſolicitamur. Rarò etiam vnum vitium perfectè vincimus, & ad quotidianũ profectum non accẽdimur, ideo frigidi & tepidi

tepidi remanemus. Si eſſemus nobiſipſis perfectè mortui, & minimè implicati, tunc poſſemus etiam diuina ſapere, & de cęleſti contemplatione aliquid experiri. Totũ & maximum impedimentum eſt, quia non ſumus à paſſionibus & concupiſcentiis liberi, nec perfectam ſanctorum viam conamur ingredi. Quando etiam modicum aduerſitatis occurrit, nimis citò deiicimur, & ad humanas conſolationes cõuertimur. Si niteremur, ſicut viri fortes, ſtare in prælio, profectò auxilium Domini videremus ſuper nos de cælo. Ipſe enim certantes, & de gratia ſua ſperantes, paratus eſt adiuuare: qui nobis certandi occaſiones procurat, vt vincamus. Si tantùm in iſtis exterioribus obſeruantiis profectum religionis ponimus, citò finem habebit deuotio noſtra. Si ad radicem ſecurim ponamus, vt purgati à paſſionibus, pacificam mentem poſſideamus. Si omni anno vnum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur. Sed modo contrario ſæpè ſentimus, vt meliores, & puriores in initio conuerſionis nos fuiſſe inueniamur, quã poſt multos annos profeſſionis. Feruor, & profectus noſter quotidie deberet creſcere ſed nũc pro magno videtur, ſi quis primi feruoris partem poſſit retinere. Si modicam violentiam fa-

ceremus in principio: tunc poſtea cuncta poſſemus facere cum leuitate, & gaudio. Graue eſt, aſſueta dimittere, ſed grauius eſt contra propriam voluntatem ire. Sed ſi nõ vincis parua, & leuia: quomodo ſuperabis difficiliora? Reſiſte in principio inclinationi tuæ, & malam deſere conſuetudinẽ, ne fortè paulatim ad maiorem te ducat difficultatem O ſi aduerteres, quantam tibi pacem & aliis lætitiam faceres, teipſum benè habendo: puto quòd ſolicitior eſſes ad ſpiritalem profectum

De vtilitate aduerſitatis.

CAPVT XII.

BOnũ eſt nobis, quòd aliquando habemus aliquas grauitates, & contrarietates: quia ſæpè hominem ad cor reuocant, quatenus ſe in exilio eſſe cognoſcat, nec ſpem ſuam in aliqua re mundi ponat. Bonum eſt, quòd patiamur, quandoque contradictores, & quòd malè & imperfectè de nobis ſentiatur, etiamſi benè agimus, & intendimus. Iſta ſæpè iuuant ad humilitatẽ, & è vana gloria nos defendunt. Tũc enim melius interiorem teſtẽ Deum quærimus, quãdo foris vilipendimur ab hominibus, & nõ benè de nobis creditur. Ideò deberet

ſe homo in Deo totaliter firmare, vt non eſſet ei neceſſe multas conſolationes quęrere. Quando homo bonæ voluntatis tribulatur, vel tẽtatur, aut malis cogitationibus affligitur, tunc Deũ ſibi magis neceſſariũ intelligit, ſine quo nihil boni ſe poſſe deprehẽdit. Tunc enim triſtatur, gemit, & orat pro miſeriis, quas patitur. tũc tædet eum diutius viuere, mortẽ optat inuenire, vt poſſit diſſolui, & cum Chriſto eſſe. Tũc etiam benè aduertit perfectam ſecuritatẽ, & plenam pacem in mundo non poſſe conſtare.

De tentationibus ſuſtinendis.

CAPVT XIII.

QVandiu in mundo viuimus, ſine tribulatione & tẽtatione eſſe non poſſumus. Vnde in Iob ſcriptum eſt. Tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Ideò vnuſquiſque ſolicitus eſſe deberet circa tentationes ſuas, & vigilare in orationibus, ne diabolus locum inueniret decipiendi, qui nunquam dormitat, ſed circuit, quærens quem deuoret. Nemo tam perfectus eſt & ſanctus, qui non habeat aliquando tentationes, & planè eis carere non poſſumus. Sunt tamẽ tentationes homini ſæpè valdè vtiles, licet moleſtæ ſint, & graues: quia in

illis

illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur. Omnes ſancti per multas tribulationes, & tentationes tranſierunt, & profecerunt: & qui benè tentationes ſuſtinere nequiuerunt, reprobi facti ſunt, & defecerunt. Non eſt aliquis ordo tam ſanctus, nec locus tam ſecretus, vbi non ſint tentationes, vel aduerſitates. Non eſt homo ſecurus à tentationibus totaliter quandiu vixerit: quia in nobis eſt, vnde tentamur, ex quo in concupiſcentia nati ſumus. Vna tentatione, ſeu tribulatione recedente, alia ſuperuenit, & ſemper aliquid ad patiẽdum habebimus. Nam bonum felicitatis noſtræ perdidimus. Multi quærunt tentationes fugere, & grauiùs incidunt in eas. Per ſolam fugam non poſſumus vincere: ſed per patientiam & veram humilitatem, omnibus hoſtibus efficimur fortiores. Qui tantummodo exterius declinat, nec radicem euellit, parum proficiet: imò citiùs ad eum tentationes redibunt, & peius ſentiet. Paulatim & per patientiam, cum longanimitate Deo iuuãte, meliùs ſuperabis, quàm cum duritia, & importunitate propria. Sæpius accipe conſilium in tentatione, & cum tentato noli duriter agere, ſed conſolationẽ ingere, ſicut tibi optares fieri. Initium omnium malarum tentationum

Digitized by Google

num inconſtantia animi, & parua ad Deum confidentia: quia ſicut nauis ſine gubernatione hinc inde à fluctibus impellitur: ita homo remiſſus, & ſuum propoſitum deſerens, variè tentatur. Ignis probat ferrum, & tentatio hominem iuſtum. Neſcimus ſæpè quid poſſumus: ſed tentatio aperit, quid ſumus. Vigilandum eſt tamen præcipuè circa initium tentationis, quia tunc faciliùs hoſtis vincitur, ſi oſtium mentis nullatenus intrare ſinitur, ſed extra limen ſtatim vt pulſauerit, illi obuiatur. Vnde dixit Ouidius.

Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuere moras.

Nam primò occurrit menti ſimplex cogitatio, deinde fortis imaginatio, poſtea delectatio, & motus prauus, & aſſenſio, ſicque paulatim ingreditur hoſtis malignus ex toto dum illi non reſiſtitur in principio, & quanto diutiùs quis ad reſiſtẽdum torpuerit, tanto in ſe quotidie debilior fit, & hoſtis contra eum potentior. Quidam in principio conuerſionis ſuæ grauiores tentationes patiuntur: quidam autem in fine, quidam verò quaſi per totam vitam ſuam malè habẽt. Nonnulli ſatis leuiter tentantur ſecundùm diuinæ ordinationis ſapientiam, & æquitatem, qui ſtatum, & merita

homi

Digitized by Google

hominum penſat, & cuncta ad electorum ſuorum ſalutem præordinat. Ideò non debemus deſperare, cùm tētamur: ſed eò feruentius Deum exorare, quatenus in nos in omni tribulatione dignetur adiuuare, qui vtique ſecundùm dictum Pauli tandem faciet cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. Humiliemus ergo animas noſtras ſub manu Dei in omni tentatione & tribulatione: quia humiles ſpiritu ſaluabit, & exaltabit. In tentationibus & tribulationibus probatur homo, quantum profecit, & ibi maius meritum exiſtit: & virtus melius pateſcit. Nec magnum eſt, ſi homo deuotus ſit, & feruidus cùm grauitatē non ſentit. Sed ſi tempore aduerſitatis patiēter ſuſtinet, ſpes magni profectus erit. Quidam à magnis tentationibus cuſtodiuntur, & in paruis quotidianis ſæpè vincuntur: vt humiliati, nunquam de ſeipſis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur.

De temerario iudicio vitando.

CAPVT XIIII.

AD teipſum oculos reflecte, & aliorum facta caueas iudicare. In iudicando alios homo fruſtrà laborat, ſæpius errat, & leuiter peccat: ſeipſum verò iudicando, & diſcutiēdo, ſemper fructuosè laborat. Sicut nobis

nobis res cordi eſt, ſic de ea frequenter iudicamus. Nam verum iudicium propter priuatum amorem, faciliter perdimus. Si Deus eſſet ſemper pura intentio noſtri deſiderii, non tam faciliter turbaremur pro reſiſtentia ſenſus noſtri. Sed ſæpè aliquid intra latet, vel etiã ab extra cõcurrit, quod nos etiam pariter trahit. Multi occultè ſeipſos quærunt in rebus, quas agunt, & neſciunt. Videntur etiam in bona pace ſtare, quando res pro eorum velle fiunt, & ſentire. Si autem aliter fit quàm cupiant, citò mouentur & triſtes fiunt. Propter diuerſitatem ſenſuum & opinionũ ſatis frequenter oriuntur diſſenſiones inter amicos, & ciues, inter religioſos, & deuotos. Antiqua conſuetudo difficulter relinquitur, & vltra proprium videre, nemo libenter ducitur. Si rationi tuæ magis inniteris, vel induſtriæ, quàm virtuti ſubiectiuæ Ieſu Chriſti, raro & tardè eris homo illuminatus: quia Deus vult nos ſibi perfectè ſubiici, & omnem rationem per inflammatum amorem tranſcendere.

De operibus ex charitate factis.

CAPVT. XV.

PRo nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione, aliquod malũ eſt faciendum:

ciendum:ſed pro vtilitate tamen indigētis opus bonum aliquando intermittendū eſt, aut etiam pro meliori mutandū: hoc enim facto, opus bonum non deſeritur, ſed in melius commutatur. Sine charitate opus externum nihil prodeſt. Quicquid autem ex charitate agitur, quantumcunque etiam paruum ſit, & deſpectū, totum efficitur fructuoſum. Magis ſiquidem Deus penſat, ex quanto quis agit, quàm quātum quis facit, multum facit, qui multum diligit: multum facit, qui rē benè facit. Benè facit, qui magis communitati quàm ſuæ voluntati ſeruit. Sæpe videtur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas, quia carnalis inclinatio propria voluntas, ſpes retributionis, affectus commoditatis raro abeſſe volunt. Qui verá, & perfectam charitatē habet, in nulla re ſeipſum quærit: ſed Dei ſolummodo gloriā in omnibus fieri deſiderat. Nulli etiam inuidet: quia nullum priuatum gaudium amat. Nec in ſeipſo vult gaudere, ſed in Deo ſuper omnia bona optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit, ſed totaliter ad Deum refert, à quo fontaliter omnia procedunt, in quo omnes ſancti fruibiliter quieſcunt. O qui ſcintillam haberet veræ charitatis, profectò omnia terrena ſentiret plena eſſe vanitatis!

De

De defectuum aliorum tolerantia.

CAPVT XVI.

QVæ homo in ſe, vel in aliis emendare non valet: debet patienter ſuſtinere, donec Deus aliter ordinet. Cogita, quia fortè ſic melius eſt pro tua probatione, & patientia: ſine qua non ſunt multùm ponderanda merita noſtra. Debes tamen pro talibus impedimentis ſupplicare, vt Deus tibi dignetur ſubuenire, vt poſſis benignè portare. Si quis ſemel aut bis admonitus, non acquieſcit, noli cum eo contendere: ſed totum Deo committe, vt fiat voluntas eius, & honor in omnibus ſeruis ſuis, qui ſcit mala in bonum conuertere. Stude patiens eſſe in tolerando aliorũ defectus, & qualeſcunque infirmitates: quia & tu multa habes, quę ab aliis oportet tolerari. Si non potes te talem facere, qualẽ vis quomodo poteris alium habere ad tuũ beneplacitum? Libẽter volumus alios perfectos: & tamen proprios non emẽdamus defectus. Volumus, quòd alij ſtrictè corrigantur: & ipſi corrigi nolumus. Diſplicet larga aliorum licentia: & tamẽ nobis nolumus negari, quod petimus: alios reſtringi per ſtatuta volumus: & ipſi nullatenus patimur amplius cohiberi. Sic ergo patet

quàm raró proximum ſic vt noſipſos penſamus. Si eſſemus omnes perfecti, quid tunc haberemus ab alijs pro Deo pati? Nunc autẽ Deus ſic ordinauit, vt diſcamus alter alterius onera portare: quia nemo ſine defectu, nemo ſine onere: nemo ſibi ſufficiens, nemo ſatis ſibi ſapiens: ſed oportet nos inuicem portare, inuicem conſolari, pariter adiuuare, inſtruere, & admonere. Quantæ autem virtutis quiſque fuerit, melius patet occaſione aduerſitatis: occaſiones namque hominem fragilem non faciunt, ſed qualis ſit, oſtendunt.

De monaſtica vita.

CAPVT XVII.

OPortet, vt diſcas teipſum in multis frangere, ſi vis pacem, & concordiam alijs tenere. Non eſt paruum, in monaſterijs vel in congregatione habitare, & ibi ſine querela conuerſari, & vſque ad mortẽ fidelis perſeuerare. Beatus quidem, qui ibi benè vixit, & feliciter conſummauit. Si vis debitè ſtare, & proficere, teneas te tanquàm exulem, & peregrinum ſuper terrã. Oportet te ſtultum fieri, propter Chriſtum, ſi vis religioſam ducere vitã. Habitus, & tonſura modicũ conferunt: ſed mutatio morum, & integra mortificatio paſſionum

ſionum verum faciunt religioſum. Qui aliud quærit, quàm purè Deum, & animæ ſuæ ſalutem, non inueniet niſi tribulationem, & dolorem. Non poteſt etiam diu ſtare pacificus, qui non nititur eſſe minimus & omnibus ſubiectus. Ad ſeruiendũ veniſti, non ad regendum. Ad patiendum, & laborandum ſcias te vocari, non ad otiandum, vel fabulandum. Hîc ergo probantur homines, ſicut aurum in fornace. Hîc nemo poteſt ſtare, niſi ex toto corde ſe voluerit propter Deum humiliare.

De exemplis ſanctorum patrum.

CAPVT XVIII.

INtuere ſanctorum patrum feruida exẽpla, in quibus vera perfectio refulſit, & religio: & videbis, quàm modicũ ſit, & penè nihil, quod nos agimus. Heu quid eſt vita noſtra ſi illis fuerit comparata? Sancti & amici Chriſti Domino ſeruierunt in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in labore, & fatigatione, in vigilijs, & ieiunijs, in orationibus, & ſanctis meditationibus, in perſecutionibus, & opprobrijs multis. O quã multas, & graues tribulationes paſſi ſunt Apoſtoli, martyres, confeſſores, virgines, & reliqui omnes, qui Chriſti veſtigia voluerunt ſequi! Nam animas ſuas in

hoc mundo oderunt, vt in æternam vitam eas poſſiderent. O quàm ſtrictam, & abdicatam vitam ſancti Patres in eremo duxerunt! quàm longas, & graues tentationes pertulerunt! quàm frequenter ab inimico vexati ſunt! quàm crebras, & feruidas orationes Deo obtulerunt! quàm rigidas abſtinentias peregerunt! quàm magnum zelum, & feruorem ad ſpiritualẽ profectum habuerunt! quàm forte bellum ad edomationem vitiorum geſſerunt! quàm puram & rectam intentionem ad Deum tenuerunt! Per diem laborabant, & noctibus orationi diuinæ vacabant: quanquã laborando, ab oratione mẽtiali minimè ceſſarent. Omne tempus vtiliter expendebant: omnis hora ad vacandum Deo breuis videbatur: & præ magna dulcedine contemplationis, etiam obliuioni tradebatur neceſſitas corporalis refectionis. Omnibus diuitijs, dignitatibus, honoribus, amicis, & cognatis renũciabãt: nihil de mũdo habere cupiebant: vix neceſſaria vitæ ſumebant, corpori ſeruire etiam in neceſſitate dolebãt. Pauperes igitur erãt in rebus terrenis: ſed diuites valdè in gratia, & virtutibus: foris egebant, ſed intus gratia, & conſolatione diuina reficiebantur. Mundo erant alieni; ſed Deo proximi, ac familiares

liares amici. Sibi ipſis videbātur tanquam nihil, & mūdo deſpecti: ſed erant in oculis Dei pretioſi, & electi: in vera humilitate ſtabant, in ſimplici obedientia viuebant: in charitate, & patientia ambulabant: & ideò quotidie in ſpiritu proficiebant, & magnam apud Deum gratiam obtinebant. Dati ſunt in exemplum omnibus religioſis, & plus prouocare nos debent ad benè proficiendum, quàm tepidorum numerus ad relaxandum. O quantus feruor omnium religioſorū in principio ſuę ſanctæ inſtitutionis fuit! O quanta deuotio orationis, quāta æmulatio virtutis, quàm magna diſciplina viguit! Quanta reuerentia, & obedientia ſub regula magiſtri in omnibus floruit. Teſtantur adhuc veſtigia derelicta, quòd verè viri ſancti, & perfecti fuerint, qui tam ſtrenuè militantes, mundum ſuppeditauerunt. Iam magnus putatur ſi quis transgreſſor non fuerit: ſi quis quod accepit, cum patientia tolerare potuerit. Hoc eſt temporis, & negligentiæ ſtatus noſtri, quòd tam citò declinamus à priſtino feruore: & iam tædet viuere præ laſſitudine, & tepore. Vtinam in te penitùs non dormitet profectus virtutum, qui multa ſæpius exempla vidiſti deuotorum.

De exercitijs boni religioſi.

CAPVT XIX.

VIta boni religioſi omnibus virtutibus pollere debet, ſit talis interius qualis videtur hominibus exterius. Et meritò multò plus debet eſſe intus, quàm quod cernitur foris, quia inſpector noſter eſt Deus, quem ſummopere reuereri debemus, vbicunque fuerimus, & tanquam Angeli in conſpectu eius mundi incedere. Omni die renouare debemus propoſitum noſtrum, & ad feruorē nos excitare: quaſi hodie primùm ad cōuerſionē veniſſemus, atque dicere, Adiuua me, Domine Deus meus, in bono propoſito, & ſācto ſeruitio tuo: & da mihi hodie, perfectè incipere: quia nihil eſt, quod hactenus feci. Secundum propoſitum noſtrum, curſus profectus noſtri. Sed multa diligentia opus eſt, benè proficere volenti. Quòd ſi fortiter proponens, ſæpè deficit, quid ille, qui rarò aut minus fixè aliquid proponit? Variis tamen modis contingit deſertio propoſiti noſtri: & leuis omiſſio exercitiorum, vix ſine aliquo diſpendio tranſit. Iuſtorū propoſitum, in gratia Dei potiùs, quàm in propria ſapientia pendet: in quo & ſemper confidunt, quicquid arripiant. Nam homo

mo proponit, ſed Deus diſponit: nec eſt in homine via eius. Si pietatis cauſa, aut fraternæ vtilitatis propoſito, quandoque conſuetum omittitur exercitium, facilè poſtea poterit recuperari. Si autem tædio animi, aut negligentia faciliter relinquitur, ſatis culpabile eſt, & nociuum ſentietur. Conemur quantum poſſumus: adhuc leuiter deficiemus in multis. Sēper tamen aliquid certi proponendum eſt, contra illa præcipuè, quæ ampliùs nos impediunt: Exteriora noſtra, & interiora pariter nobis ſcrutanda ſunt, ordināda: quia vtraque expediunt ad profectum. Si non continuè te vales colligere, ſaltem interdum, & ad minùs ſemel in die, mane videlicet, aut veſpere. Mane propone, veſpere diſcute mores tuos: qualis hodie fuiſti in verbo, opere, & cogitatione: quia in his ſæpius forſitan Deū offendiſti, & proximū Accinge te, ſicut vir contra diabolicas nequitias, fræna gulam, & omnem carnis inclinationem faciliùs frēnabis. Nunquam ſis ex toto otioſus: ſed aut legens, aut ſcribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid vtilitatis pro cōmuni laborans. Corporalia exercitia diſcretè ſunt agenda, nec omnibus æqualiter aſſumenda: quæ communia non ſunt, non ſunt foris oſtendenda: nam in

Digitized by Google

ſecreto tutius exercentur priuata. Cauendum tamen, ne piger ſis ad communia, & ad ſingularia promptior: ſed expletis integrè, & fideliter debitis, & iniunctis ſi iam vltra vacat, redde te tibi: provt deuotio tua deſiderat. Non poſſunt omnes habere vnum exercitium: ſed aliud iſti, aliud illi magis deſeruit. Etiam pro temporũ congruentia, diuerſa placent exercitia: quia alia in feſtis, alia in feriatis magis ſapiunt diebus: alijs indigemus tempore tentationis, & alijs tempore pacis, & quietis: alia cùm triſtamur, libet cogitare: & alia, cùm læti in domino fuerimus. Circa principalia feſta renouanda ſunt bona exercitia, & ſanctorum ſuffragia feruentiùs imploranda. De feſto in feſtum proponere debemus, quaſi tunc de hoc ſeculo migraturi ſimus, & ad æternum feſtum peruenturi. Ideòque ſollicitè præparare nos debemus deuotis temporibus, & deuotius cõuerſari, atque omnem obſeruantiam ſtrictiùs cuſtodire, tanquam in breui præmiũ laboris noſtri à Deo percepturi. Et ſi dilatũ fuerit, credamus nos minus benè præparatos, atque indignos tantæ adhuc gloriæ, quę reuelabitur in nobis tempore pręfinito: & ſtudeamus nos melius ad exitum præparare. Beatus ſeruus (ait Euangeliſta Lucas)

Lucas) quem cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

De amore ſolitudinis & ſilentij.

CAPVT XX.

QVære aptum tempus vacandi tibi, & de beneficiis Dei frequenter cogita. Relinque curioſa. Tales perlege materias quæ compunctionem magis præſtant quàm occupationẽ. Si te ſubtraxeris à ſuperfluis locutionibus, & otioſis circuitionibus, nec non à nouitatibus, & rumoribus audiendis, inuenies tempus ſufficiens, & aptum ad bonis meditationibus inſiſtendum. Maximi ſanctorum, humana conſortia, vbi poterãt, vitabant, & Deo in ſecreto viuere eligebant. Dixit quidam, Quoties inter homines fui, minus homo redij. *Seneca.* Hoc quippe ſæpius experimur, quando diu cõfabulamur. Facilius eſt omnino tacere quàm verbo non excedere. Facilius eſt domi latere, quàm foris ſe poſſe ſufficienter cuſtodire. Qui igitur intendit ad interiora, & ſpiritalia peruenire, oportet eũ cum Ieſu à turba declinare. Nemo ſecurè apparet, niſi qui libenter latet. Nemo ſecurè præeſt, niſi qui libenter ſubeſt. Nemo ſecurè præcipit, niſi qui liben-

ter obedire didicit: Nemo ſecurè gaudet, niſi qui bonæ conſcientiæ teſtimoniũ habet. Nemo ſecurè loquitur, niſi qui libenter tacet. Semper tamen ſanctorũ ſecuritas plena timore Dei extitit: Nec eò minus ſoliciti, & humiles in ſe fuerunt: quia magnis virtutibus, & gratia micuerunt. Prauorum autẽ ſecuritas ex ſuperbia, & præſumptione oritur, & in fine in deceptionẽ ſui vertitur. Nunquam promittas tibi ſecuritatem in hac vita, quàuis bonus videaris cœnobita, aut deuotus eremita. Sæpè meliores in æſtimatione hominum, grauiùs periclitati ſunt, propter ſuam nimiam confidentiam. Vnde multis vtiliùs eſt, vt nõ penitus tentationibus careant, ſed ſæpiùs impugnentur, nec nimiũ ſecuri ſint: ne fortè in ſuperbiam eleuentur: ne etiam ad exteriores conſolationes licentiùs declinent. O qui nunquam tranſitoriam lætitiã quæreret, qui nunquã cum mundo ſe occuparet, quàm bonam conſcientiã ſeruaret! O qui omnem vanam ſolicitudinem amputaret, & dumtaxat ſalutaria, ac diuina cogitaret, & totam ſpem ſuam in Deo conſtitueret, quàm magnam pacem, & quietẽ poſſideret. Nemo dignus eſt cæleſti conſolatione, niſi diligenter ſe exercuerit in ſancta cõpunctione. Si vis corde tenus compungi,
intra

Digitized by Google

intra cubile tuum, & exclude tumultus mundi, ſicut ſcriptum eſt, In cubilibus veſtris cōpungimini: in cella inuenies, quod de foris ſæpiùs amittes. Cella continuata dulceſcit, & malè cuſtodia tædiũ generat. Si in principio cõuerſionis tuæ benè eam incolueris, & cuſtodieris, erit tibi poſtea dilecta amica, & gratiſſimum ſolatium. In ſilẽtio & quiete proficit anima deuota, & diſcit abſcondita ſcripturarum: ibi inuenit fluẽtia lacrymarũ: quibus ſingulis noctibus ſe, & lauet, & mundet: vt conditori ſuo tantò familiarior fiat, quãtò lõgius ab omni ſeculari tumultu degit. Qui ergo ſe abſtrahit à notis, & amicis, appropinquabit illic Deus cũ angelis ſanctis. Melius eſt latere, & ſui curam agere, quàm ſe neglecto, ſigna facere. Laudabile eſt homini religioſo, ratò foras ire, fugere videri, nolle etiã homines videre. Cur vis videre, quod non licet habere? Trãſit mundus, & cõcupiſcentia eius. Trahunt deſideria ſenſualititis ad ſpatiandũ: ſed cùm hora tranſierit, quid niſi grauitatem cõſcientiæ, et cordis diſperſionem reportas? Lætus exitus, triſtẽ ſæpè reditũ parit, & læta vigilia ſerotina, triſte mane facit. Sic omne carnale gaudium blandè intrat: ſed in fine mordet, & perimit. Quid potes alibi videre, quòd

h ſic

Digitized by Google

hîc non vides? Ecce cœlum & terram, & omnia elementa:nam ex iſtis omnia ſunt facta. Quid potes alicubi videre,quod diu poteſt ſub ſole permanere? Credis te forſitan ſatiari: ſed non poteris pertingere. Si cũcta videres præſentia,quid eſſent niſi viſio vana? Leua oculos tuos ad Deum in excelſis: & ora pro peccatis tuis & negligentijs. Dimitte vana vanis. Tu autem intende illis,quę tibi præcepit Deus. Claude ſuper te oſtium tuum,& voca ad te Ieſum dilectum tuum. Mane cum eo in cella,quia non inuenies alibi tantum pacem. Si non exiſſes, nec quicquam de rumoribus audiſſes,melius in bona pace permanſiſſes. Ex quo noua delectat aliquando audire,oportet te exinde tribulationem cordis tolerare.

De compunctione cordis.

CAPVT XXI.

SI vis aliquid proficere, conſerua te in timore Dei: noli eſſe nimis liber, ſed ſub diſciplina cohibe omnes ſenſus tuos, nec ineptę te tradas lætitiæ. Da te ad cordis compunctionem,& inuenies deuotionem. Compunctio enim multa bona aperit,quæ diſſolutio citò perdere conſueuit. Mirum eſt,quòd homo poſſit vnquã perfectè lætari in hac vita,qui ſuum exitũ,& tam

Digitized by Google

tam multa pericula animę ſuę conſiderat, & penſat. Propter leuitatem cordis, & negligentiam defectuū noſtrorum, non ſentimus animæ noſtræ dolores: ſed ſæpè vanè ridemus, quando meritò flere deberemus. Non eſt vera libertas, nec bona lætitia, niſi in timore Dei, cum bona conſciētia. Felix, qui abiicere poteſt omne impedimentum diſtractionis, & ad vnionem ſe redigere ſanctæ compunctionis. Felix, qui à ſe abdicat, quicquid conſcientiam ſuam maculare poteſt, vel grauare. Certa viriliter, cōſuetudo cōſuetudine vincitur. Si tu ſcis homines dimittere, ipſi benè te dimittēt tua facta facere. Non attrahas tibi res aliorum: nec te implices cauſis maiorum. Habe ſemper oculū ſuper te primū, & admoneas teipſum ſpecialiter præ omnibus tibi dilectis. Si non habes fauorem hominum, noli ex hoc triſtari: ſed hoc ſit tibi graue, quia non habes te ſatis benè, & circunſpectè, ſicut deceret Dei ſeruum, & deuotum religioſum conuerſari. Vtilius eſt ſæpè & ſecurius quòd homo non habeat multas conſolationes in hac vita, ſecundū carnem præcipuè, tamen quòd diuinas nō habemus, aut rarius ſentimus, nos in culpa ſumus: quia compunctionē cordis non quærimus, nec vanas & externas conſolatio-

latio

lationes omninò abiicimus. Cognoſce te indignum diuina conſolatione: ſed magis dignum multa tribulatione. Quando homo perfectè eſt compunctus, tunc grauis & amarus eſt ei totus mundus. Bonus homo, ſufficientem inuenit materiam dolẽdi, & flendi. Siue enim ſe conſiderat, ſiue de proximo pẽſat, ſcit, quia nemo ſine tribulatione hîc viuit: & quanto ſtrictiùs ſeſe conſiderat, tanto amplius dolet. Materiæ iuſti doloris, & internæ compunctionis, ſunt peccata, & vitia noſtra: quibus ita inuoluti iacemus, vt rarò cœleſtia cõtemplari valeamus. Si frequentiùs de morte tua, quàm de longitudine vitæ tuę cogitares, nõ dubium, quin feruentiùs te emendares. Si etiã futuras inferni, ſiue purgatorij, pœnas cordialiter perpenderes, credo, quòd libẽter laborem, & dolorem ſuſtineres, & nihil rigoris formidares: ſed quia ad cor iſta non tranſeunt, & blandimenta adhuc amamus, ideò frigidi, & valdè pigri remaneamus. Sæpè eſt inopia ſpiritus, vnde tam leuiter conqueritur miſerum corpus. Ora igitur humiliter ad Dominum, vt det tibi compunctionis ſpiritum, & dic cum propheta, Ciba me Domine pane lacrymarum, & potum da mihi in lacrymis in menſura.

De

De conſideratione humanæ naturæ.

CAPVT XXII.

MIſer, vbicunque fueris, & quocũque te verteris, niſi ad Deum te conuertas. Quid turbaris, quia non ſuccedit tibi, ſicut vis, & deſideras? Quis eſt, qui habet omnia ſecundùm ſuam voluntatem? Nec ego, nec tu, nec aliquis hominum ſuper terram. Nemo eſt in mundo ſine aliqua tribulatione, vel anguſtia, quamuis rex ſit, vel papa. Quis eſt, qui melius habet? vtique, qui pro Deo aliquid pati vellet. Dicunt multi imbecilles, & infirmi, Ecce, quàm bonam vitam homo habet diues, quàm potens, quàm excelſus, quàm magnus, & quàm pulcher? Sed attende ad cæleſtia bona, & videbis, quòd omnia iſta temporalia nulla ſunt, ſed valdè incerta, & magis grauantia, quia nunquam ſine ſolicitudine, & timore poſſidentur. Non eſt hominis felicitas habere temporalia ad abundantiam, ſed ſuficit ei mediocritas. Verè miſeria eſt, viuere ſuper terram. Quantò homo voluerit eſſe ſpiritalior, tantò præſens vita fit ei amarior, quia ſentit melius, & videt clarius humanæ corruptionis defectus: nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quieſcere, laborare, & cæteris neceſſitatibus

bus naturæ ſubiacere, verè, magna miſeria eſt & afflictio homini deuoto, qui libenter vellet eſſe abſolutus, & liber ab omni defectu. Valdè enim grauatur homo interior neceſſitatibus corporalibus in hoc mundo: vnde Propheta deuotè rogat, quatenus liber ab iſtis eſſe valeat, dicens, De neceſſitatibus meis erue me Domine. Sed væ non cognoſcentibus ſuã miſeriam, & amplum væ illis, qui diligunt hãc miſeriã & corruptibilẽ vitã: nam in tantum quidam hanc amplectuntur, licet etiã vix neceſſaria laborãdo aut mendicãdo habeãt, vt ſi hîc poſſent ſemper viuere, de regno Dei nihil curarent. O inſani & infideles corde! qui tam profundè in terris iacẽt, vt nil niſi carnalia ſapiant, ſed miſeri adhuc in fine grauiter ſentient, quã vile & nihilum erat, quod amauerũt. Sancti autẽ Dei & omnes deuoti amici Chriſti non attenderunt, quę carni placuerunt, nec quę hoc tempore floruerunt: ſed tota ſpes eorũ & intentio ad æterna bona anhelabat, ferebatur totum deſiderium eorum ad immẽſa & inuiſibilia: ne amore viſibilium, traherentur ad infirma. Noli, frater, amittere confidentiam proficiẽdi ad ſpiritalia: adhuc habes tempus, & horam. Quare vis procraſtinare propoſitum tuum? Surge, &
in

in inſtanti incipe dicere: nunc tempus eſt
faciendi,nunc tempus eſt pugnandi, nunc
tempus aptum eſt me emendandi. Quan-
do malè habes, & tribularis, tunc tempus
eſt promerendi. Oportet te tranſire per
ignem,& aquam, ante quàm venias in re-
frigerium. Niſi tibi vim feceris, vitium
non ſuperabis. Quandiu iſtud fragile cor-
pus gerimus, ſine peccato eſſe non poſſu-
mus:nec ſine tædio & dolore viuere. Li-
benter haberemus ab omni miſeria quie-
tem:ſed quia per peccatum perdidimus in-
nocentiam, amiſimus etiam veram beati-
tudinē, ideò oportet nos tenere patientiā,
& Dei expectare miſericordiam, donec
trāſeat iniquitas, & hæc immortalitas ab-
ſorbeatur à vita.O quāta fragilitas huma-
na, quæ ſemper prona eſt ad vitia!Hodie
confiteris peccata tua, cras iterum perpe-
tras confeſſa. Nunc proponis cauere, &
poſt horam agis, quaſi nihil propoſuiſ-
ſes. Meritò ergo noſipſos humiliare poſ-
ſumus,nec vnquam aliquid magni de no-
bis ſentire:quia tam fragiles: & inſtabiles
ſumus. Citò etiam poteſt perdi per negli-
gentiam, quod multo labore vix tandem
acquiſitū eſt per gratiam. Quid fiet de no-
bis adhuc in fine, qui tepeſcimus tam ma-
nè? Væ nobis, ſi ſic volumus declinare ad

quietē: quaſi iam pax ſit, & ſecuritas, cùm nec dum appareat veſtigium verę ſanctitatis in noſtra conuerſatione. Benè opus eſſet, quòd iterū inſtitueremur tanquā boni nouitij ad mores optimos, ſi fortè ſpes eſſet de aliqua futura emendatione, & maiori ſpirituali profectu.

De meditatione mortis.

CAPVT XXIII.

VAlde citò hinc eſt migrandum: vide ergo quomodo te habeas, hodie homo eſt, & cras non comparet. Cùm autem ſublatus fuerit ab oculis, citò etiam tranſit à mēte. O hebetudo, & duritia cordis humani, quæ ſolùm præſentia meditatur, & futura non magis præuidet! Sic te in omni facto, & cogitatu deberes tenere, quaſi ſtatim eſſes moriturus. Si bonā conſcientiam haberes, nō multū mortē timeres. Melius eſſet peccata cauere, quàm mortem fugere. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? cras eſt dies incerta, & quid ſcis ſi craſtinū habebis? Quid prodeſt, diu viuere, quādo tā parū emendamur? At lōga vita non ſemper emēdat: ſed ſæpè culpā magis auget. Vtinam per vnam diē benè eſſemus conuerſati in hoc mūdo. Multi annos cōputāt cōuerſionis, ſed ſæpè paruus eſt fructus emendationis. Si formidoloſū eſt mori,

ri, forſitan periculoſius eſt diutius viuere. Beatus, qui horã mortis ſuæ ſemper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie ſe diſponit. Si vidiſti aliquando hominem mori, cogita, quia & tu per eandẽ viã trãſibis. Cũ mane fuerit, puta te ad veſperum non peruenturũ: veſpere autẽ facto, mane non audeas tibi polliceri. Sẽper ergo paratus eſto, & taliter viue, vt nunquam te imparatũ mors inueniat. Multi ſubitò & improuisè moriuntur: nam hora, qua nõ putatur, filius hominis venturus eſt. Quando illa extrema hora veniet, multũ aliter ſentire incipies de tota vita tua præterita, & valdè dolebis, quòd tã negligens & remiſſus fuiſti. Quàm felix & prudens, qui talis nũc nititur eſſe in vita, qualis optat inueniri in morte! Habet nãque magnã cõfidẽtiã feliciter moriẽdi, perfectus contẽptus mundi, feruẽs deſideriũ in virtutibus proficiendi, amor diſciplinæ, labor pœnitentiæ, promptitudo obediẽtię, abnegatio ſui, & tolerantia cuiuſlibet aduerſitatis pro amore Chriſti. Multa bona potes operari, dum ſanus es: ſed infirmatus, neſcio quid poteris. Pauci ex infirmitate emendantur, ſic & qui multum peregrinantur, rarò ſanctificantur. Noli confidere ſuper amicos & proximos, nec in futuris ſalutẽ tuam

differas: quia citius obliuiſcentur tui homines, quàm exiſtimas. Melius eſt nunc tẽpeſtiuè prouidere, & aliquid boni præmittere, quàm ſuper aliorum auxilio ſperare. Si non es pro teipſo ſolicitus modò, quis erit pro te ſolicitus in futurum? Nũc tempus eſt valdè pretioſum. Sed proh dolor, quòd hoc non vtilius expendis, in quo promereri vales, vnde æternaliter viuas! Veniet, quando vnum diem, ſeu horã pro emendatione deſiderabis, & neſcio an impetrabis. Eia chariſſime, à quanto periculo te poteris liberare, & quàm magno timore eripere, ſi ſemper timoratus fueris, & de morte ſuſpectus! Stude nunc taliter viuere, vt in hora mortis valeas potiùs gaudere, quàm timere. Diſce nunc mori mundo, vt tũc incipias viuere Chriſto. Diſce nũc omnia cõtemnere, vt tũc poſſis liberè ad Chriſtum pergere. Caſtiga nunc corpus tuũ per pœnitentiã, vt tunc valeas certã habere confidentiam. Ah ſtulte, quid cogitas te diu victurum, cùm nullũ diem habeas hîc ſecurum? Quàm multi ſunt decepti, & inſperatè de corpore extracti? Quoties audiſti à dicentibus: quia ille gladio cecidit: ille ſubmerſus eſt: ille ab alto ruens ceruicem fregit: ille manducãdo obriguit: ille ludendo finem fecit? Alius

igne,

igne, alius ferro, alius peſte, & alius latrocinio perijt: & ſic omnium finis mors eſt: & vita hominũ, tanquam vmbra ſubitò pertrãſit. Quis memorabitur tui poſt mortem, & quis orabit pro te? Age, age nũc, chariſſime, quicquid agere potes: quia neſcis, quando morieris: neſcis, quid te poſt mortem ſequetur. Dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales. Præter ſalutem tuam nihil cogites. Solùm quæ Dei ſunt, cures. Fac nunc tibi amicos venerando Dei ſanctos, & eorum actus imitando: vt, cũ defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula. Serua te tanquã peregrinum, & hoſpitẽ ſuper terram, ad quẽ nihil ſpectat de mundi negotijs. Serua cor liberum, & ad Deum ſurſum erectum, quia non habes hîc manentem ciuitatem. Illuc preces & gemitus quotidianos cum lacrymis dirige, vt ſpiritus tuus mereatur poſt mortem ad Dominum feliciter tranſire. Amen.

De iudicio & pœnis peccatorum.

CAPVT XXIIII.

IN omnibus rebus reſpice finẽ: & qualiter ante diſtrictum iudicem ſtabis, cui nihil eſt occultũ, qui muneribus nõ placatur, nec excuſationes recipit: ſed quod iu-

ſtum eſt, iudicabit. O miſerrime, & inſipiens peccator, quid reſpondebis Deo, omnia mala tua ſciẽti, qui interdũ formidas vultum hominis irati? Vt quid nõ prouides tibi in diẽ iudicij, quãdo nemo poterit per alium excuſari vel defendi: ſed vnuſquiſq; ſufficiens onus erit ſibiipſi? Nũc labor tuus eſt fructuoſus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor ſatisfactorius, & purgatiuus. Habet magnum, & ſalubre purgatorium patiens homo: qui ſuſcipiens iniurias plus dolet de alterius malitia, quam de ſua iniuria: qui pro contrariantibus ſibi libenter orat: & ex corde culpas indulget, qui veniam ab alijs petere non tardat, qui facilius miſeretur, quam iraſcitur, qui ſibiipſi violentiam frequenter facit, & carnẽ ſuam omninò ſpiritui ſubiugare conatur. Melius eſt modo purgare peccata, & vitia reſecare, quã in futurum purgãda reſeruare. Verè noſipſos decipimus per inordinatũ amorem, quem ad carnẽ habemus. Quid aliud ille ignis deuorabit, niſi peccata tua? Quãtò amplius tibiipſi nunc parcis, & carnem ſequeris, tantò durius poſtea pœnas lues & maiorẽ materiã cõburẽdi reſeruas: in quibus homo peccauit, ex illis grauius punietur: ibi acedioſi ardentibus ſtimulis pungẽtur: & guloſi ingẽti fame ac ſiti cruciabun

Digitized by Google

ciabuntur. Ibi luxurioſi, & voluptatũ amatores, ardenti pice, & fœtido ſulphure perfundẽtur, & ſicut furioſi canes præ dolore inuidi vlulabũt. Nullum vitium erit, quod ſuum proprium cruciatũ non habeat. Ibi ſuperbi omni confuſione replebuntur: & auari miſerrima egeſtate arctabuntur. Ibi erit vna hora grauior in pœna quàm hîc centum anni in amariſſima pœnitentia. Ibi nulla requies eſt, & nulla conſolatio damnatis. Hîc tamen interdum ceſſatur à laboribus, atque amicorum fruimur ſolatijs. Eſto modò ſolicitus, & dolẽs pro peccatis tuis: vt in die iudicij ſis ſecurus cum beatis. Tunc enim iuſti ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & depreſſerunt. Tunc ſtabit ad iudicandum, qui modò ſe ſubijcit humiliter iudicijs hominum. Tunc magnã fiduciã habebit pauper & humilis, & pauebit vndique ſuperbus. Tunc videbitur ſapiens in hoc mundo fuiſſe, qui pro Chriſto didicit ſtultus & deſpectus eſſe. Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpeſſa, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Tunc gaudebit omnis deuotus, & mœrebit omnis ireligioſus. Tunc plus exultabit caro afflicta, quam ſi in delitijs fuiſſet ſemper nutrita. Tunc ſplendebit habitus vilis, & ob-

tenebreſcet veſtis ſubtilis. Tunc plus laudabitur pauperculum domiciliũ, quã nunc deauratũ palatiũ. Tũc plus iuuabit cõſtans patientia, quàm omnis mũdi potẽtia. Tũc amplius exaltabitur ſimplex obedientia, quã omnis ſecularis aſtutia. Tũc plus lętificabitur pura, & bona cõſciẽtia, quàm docta philoſophia. Tunc pluris fiet contemptus diuitiarũ, quàm totus theſaurus terrigenarum. Tunc magis cõſolaberis ſuper deuota oratione, quàm ſuper delicata comeſtione. Tunc potius gaudebis de ſeruato ſilentio, quàm de lõga fabulatione. Tũc plus valebunt ſancta opera, quàm multa pulchra verba. Tunc plus placebit triſtis vita, & ardua pœnitentia, quàm omnis delectatio terrena. Diſce nunc in modico pati, vt tunc à grauioribus valeas liberari. Hîc primò proba, quid poſſis pati poſtea. Si nunc tã parum non vales ſuſtinere, quo modo poteris tunc æterna tormẽta ſufferre? ſi modò modica paſsio te impatientem efficit, quid gehẽna tunc faciet? Ecce, verè nõ potes duo gaudia habere, delectari hîc in mundo, & poſtea regnare in cælo cum Chriſto. Si vſque in hodiernum diẽ ſemper in honoribus, & voluptatibus vixiſſes, quid totum tibi profuiſſet, ſi iam in inſtãti mori contingeret? Omnia ergo vanitas,

præ

Digitized by Google

præter amare Deũ, & illi ſoli ſeruire. Qui enim Deũ ex toto corde amat, nec mortem, nec ſupplicium, nec iudicium, nec infernum metuit, quia perfectus amor, ſecurum acceſſum ad Deum facit. Quem autem adhuc peccare delectat, non mirum, ſi mortem & iudicium timeat. Bonũ tamen eſt, vt ſi necdum amor à malo te reuocat, ſaltem timor gehennalis coërceat. Qui verò timorem Dei poſtponit, diu ſtare in bono non valebit, ſed diaboli laqueos citius incurret.

De feruenti emendatione totius vitæ noſtræ.

CAPVT XXV.

ESto vigilans, & diligens in Dei ſeruitio, & cogita frequẽter ad quid veniſti, & cur ſeculum reliquiſti. Nõne, vt Deo viueres, & ſpiritalis homo fieres? Igitur ad perfectũ ferueas: quia mercedem laborum tuorum in breui recipies: nec erit tũc amplius timor, aut dolor in finibus tuis. Modicum nunc laborabis, & magnam requiem, imò perpetuam lætitiam inuenies. Si tu permanſeris fidelis, & feruidus in agẽdo, Deus procul dubio erit fidelis, & locuples in retribuendo. Spem bonã retinere debes, quòd ad palmam peruenies: ſed

ſecuritatem capere nõ oportet, ne torpeas aut elatus fias. Cùm enim quidam anxius inter metum & ſpẽ frequenter fluctuaret, & quadã vice mœrore confectus in Eccleſia ante quoddã altare ſe in oratione proſtrauiſſet, hæc inter ſe reuoluit, dicens; O ſi ſcirẽ, quòd adhuc perſeueraturus eſſem! ſtatim audiuit intus diuinum reſponſum, Quid, ſi hoc ſcires, facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, & benè ſecurus eris. Móxque conſolatus & cõfortatus diuinæ ſe commiſit voluntati: & ceſſauit anxia fluctuatio, noluitq́; curiosè inueſtigare, vt ſciret, quæ ſibi eſſent futura, ſed magis ſtuduit inquirere, quæ eſſet voluntas Dei, benè placens, & perfecta ad omne opus bonum inchoandum & perficiendũ. Spera in Domino, & fac bonitatẽ (ait Propheta) & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Vnum eſt, quod multos à profectu & feruenti emendatione retrahit: horror difficultatis, ſeu labor certaminis. Enimuerò illi maximè præ alijs in virtutibus proficiunt, qui ea quæ ſibi magis grauia & contraria ſunt, pro viribus vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem, vbi magis ſeipſum vincit & ſpiritum mortificat. Sed nõ omnes habẽt æquè animũ ad vincẽdũ,
&

& moriendum. Diligens tamen æmulator valentior erit ad proficiendum, etiam ſi plures habeat paſſiones, quàm alius benè morigeratus, minus tamen feruens ad virtutes. Duo tamen ſpecialiter ad magnam emẽdationem iuuant, videlicet, ſubtrahere ſe violenter, ad quod natura vitioſè inclinatur: & feruenter inſtarę pro bono, quo amplius quis indiget. Illa etiã ſtudeas magis cauere, & vincere, quę tibi frequentius in alijs diſplicent. Vbique profectũ tuũ capias, vt ſi bona exempla videas, vel audias, ad imitãdum accendaris. Si quid autẽ reprehenſibile conſideraueris, caue, ne idem facias: aut, ſi aliquando feciſti, citius emẽdare ſtudeas. Sicut oculus tuus alios conſiderat: ſic iterum ab alijs notaris. Quàm iucũdum, & dulce eſt, videre feruidos, & deuotos fratres, benè morigeratos, & diſciplinatos? Quàm triſte eſt, & graue videre inordinatè ambulantes, qui ea, ad quæ vocati ſunt, non exercent? Quàm nociuum eſt, negligere vocationis ſuæ propoſitum, & ad illicita ſenſum inclinare? Memor eſto arrepti propoſiti, & imaginem tibi propone crucifixi. Benè verecundari potes, inſpecta vita Ieſu Chriſti: quia necdũ magis illi te conformare ſtuduiſti, licet diu in via Dei fueris. Religioſus qui ſe

inten

intentè, & deuotè in ſanctiſſima vita, & paſſione Domini exercet, omnia vtilia, & neceſſaria ſibi abundãter ibi inueniet; nec opus eſt, vt extra Ieſum aliquid melius quærat. O ſi Ieſus crucifixus in cor noſtrum veniret, quàm citò, & ſufficienter docti eſſemus! Religioſus feruidus omnia benè portat, & capit, quę illi iubẽtur. Religioſus negligens, & tepidus habet tribulationẽ ſuper tribulationẽ, & ex omni parte patitur anguſtiam: quia interiori conſolatione caret: & exteriorem quærere prohibetur. Religioſus extra diſciplinam viuens graui ruinæ patet. Qui laxiora quærit, & remiſſiora, ſemper in anguſtijs erit: quia aut vnũ, aut reliquum ſibi diſplicebit. Quo modo faciunt tam multi alij religioſi, qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali, rarò exeunt, abſtractè viuunt, pauperrimè comedunt, groſsè veſtiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, maturè ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt? Attende Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & diuerſæ religionis monachos, ac moniales: qualiter omni nocte ad pſallendum Domino aſſurgunt. Et ideò turpe eſt, vt tu audeas in tam ſancto opere pigritare, vbi tanta multitudo religioſorum

rum incipit Deo iubilare. O ſi nihil aliud faciendũ incumberet, niſi dominum Deum noſtrum toto corde, & ore laudare! O ſi nunquam indigeres comedere, nec bibere, nec dormire: ſed ſemper poſſes Deum laudare, & ſolummodo ſpiritalibus ſtudijs vacare, tunc multo felicior eſſes, quã modò, cùm carni ex qualicunque neceſſitate ſeruis. Vtinam non eſſent iſtę neceſſitates, ſed ſolummodo ſpiritales animæ refectiones, quas (heu) ſatis rarò deguſtamus, quando homo ad hoc peruenit, vt de nulla creatura cõſolationem ſuam quærat: tũc ei Deus primò perfectè ſapere incipit, tunc etiam benè cõtentus de omni euentu rerũ erit, tũc nec pro magno lætabitur, nec pro modico cótriſtabitur: ſed ponet ſe integrè & fiducialiter in Deo, qui eſt ei omnia in omnibus: cui nihil vtique perit, nec moritur: ſed omnia ei viuunt, & ad nutũ incunctãter deſeruiunt. Memẽto ſemper finis, & quia perditum non redit tẽpus. Sine ſolicitudine, & diligentia nũquam acquires virtutes. Si incipis tepeſcere, incipies malè habere. Si autem dederis te ad feruorẽ, inuenies magnã pacẽ: & ſenties leuiorem laborẽ propter Dei gratiã, & virtutis amorem. Homo feruidus, & diligens, ad omnia eſt paratus. Maior labor eſt, reſiſtere vitijs,
& pa

& paſſionibus, quàm corporalibus inſudare laboribus. Qui paruos non vitat defectus, labitur ad maiores. Gaudebis ſemper veſpere, ſi diem expendas fructuosè. Vigila ſuper teipſum, excita te ipſum, admone teipſum: & quicquid de aliis ſit, non negligas teipſum. Tantùm proficies, quãtùm tibi ipſi vim intuleris.

LIBER II.

De interna conuerſatione.

CAPVT I.

REGNVM Dei intra vos eſt, dicit Dominus. Conuertere ex toto corde tuo ad Dominum, & relinque hunc miſerum mundum, & inueniet anima tua requiem. Diſce exteriora contemnere, & ad interiora te dare: & videbis regnum Dei in te venire. Eſt enim regnum Dei, pax & gaudium in ſpiritu ſancto, quod non datur impiis. Veniet ad te Chriſtus, oſtendens tibi conſolationem ſuam, ſi dignam illi intus paraueris manſionem. Omnis gloria eius, & decor, ab intra eſt, & ibi complacet ſibi. Frequens illi viſitatio cum homine interno, dulcis ſermocinatio, grata conſolatio, multa pax,

Digitized by Google

pax, familiaritas ſtupenda nimis. Eia anima fidelis, præpara huic ſponſo cor tuum, quatenus ad te venire, &in te habitare dignetur. Sic enim dicit: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & Pater meus diliget eam, &ad eum veniemus, & manſionem apud eũ faciemus. Da ergo Chriſto locum: & cæteris omnibus nega introitum. Cùm Chriſtum habueris, diues es: & ſufficit tibi. Ipſe erit prouiſor tuus, & fidelis procurator in omnibus: vt non ſit opus tibi in hominibus ſperare. Homines enim citò mutantur, & deficiunt velociter. Chriſtus autem manet in æternum, & reſtat vſque in finem firmiter. Non eſt magna fiducia ponenda in homine fragili, & mortali, etiam ſi vtilis ſit, & dilectus: neque triſtitia multa capienda ex hoc, ſi interdum aduerſetur, & contradicat. Qui hodie tecum ſunt, cras contra te eſſe poſſunt, & econuersò, ſæpè vt aura vertuntur. Pone totam fiduciam tuam in domino, & ſit ipſe timor tuus, & amor tuus. Ipſe pro te reſpondebit, & faciet benè, ſicut melius fuerit. Non habes hîc manentem ciuitatem, & vbicunque fueris, extraneus es, & peregrinus, nec requiem aliquando habebis, niſi Chriſto intimè fueris vnitus.

Digitized by Google

tus. Quid hîc circunſpicis,cùm iſte non ſit locus tuæ requietionis? in cæleſtibus debet eſſe habitatio tua, & ſicut in tranſitu, cuncta terrena ſunt aſpicienda. Tranſeunt omnia,& tu cum eis pariter. Vide,vt nõ inhæreas,ne capiaris, & pereas. Apud altiſſimũ ſit cogitatio tua, & deprecatio tua ad Chriſtũ ſine intermiſſione dirigatur. Si neſcis alta ſpeculari, & cæleſtia, requieſce in paſſione Chriſti, & in ſacris vulneribus eius libenter habita. Si enim ad vulnera, & pretioſa ſtigmata Ieſu deuotè confugies,magnam in tribulatione confortationem ſenties:nec multũ curabis hominum deſpectiones, faciliterque verba detrahẽtium perferes. Chriſtus fuit etiam in mũdo ab hominibus deſpectus:& in maxima neceſſitate à notis, & amicis inter opprobria derelictus. Chriſtus pati voluit, & deſpici:& tu audes de aliquo conqueri?Chriſtus habuit aduerſarios, & oblocutores:tu vis omnes habere amicos, & benedictores?Vnde coronabitur patientia tua, ſi nihil aduerſitatis occurrerit?Si nihil contrarium vis pati, quomodo eris amicus Chriſti? Suſtine cum Chriſto, & pro Chriſto, ſi vis regnare cum Chriſto. Si ſemel perfectè introiſſes in interiora Ieſu, & modicum de ardenti eius amore ſapuiſſes, de

prop

proprio cōmodo vel incōmodo nihil curares, ſed magis de opprobrio illato gauderes, quia amor Ieſu, facit hominem ſeipſum contemnere. Amator Ieſu, & verus internus, & liber ab affectionibus inordinatis, poteſt ſe ad Deū liberè conuertere, & leuare ſupra ſeipſum in ſpiritu, ac fruitiuè quieſcere. Cui ſapiunt omnia, provt ſunt, non vt dicuntur, aut æſtimantur, hic verè ſapiens eſt, & doctus magis à Deo, quàm ab hominibus. Qui ab intra ſcit ambulare, & modicum res ab extra ponderare, nō requirit loca, nec tempora expectat ad habenda deuota exercitia. Homo internus citò ſe colligit, quia nunquā ſe totum ad exteriora effundit. Non illi obeſt labor exterior, aut occupatio ad tempus neceſſaria, ſed ſicut res eueniunt, ſic ſe illis accommodat. Qui intus benè diſpoſitus eſt, & ordinatus, non curat mutabiles & peruerſos hominum geſtus. Tantum homo impeditur, & diſtrahitur, quantum ſibi res attrahit. Si rectè tibi eſſet, & benè purgatus eſſes, omnia tibi in bonum cederēt, & profectum. Ideò multa tibi diſplicent, & ſæpè te conturbant, quia adhuc non es tibiipſi perfectè mortuus, nec ſegregatus ab omnibus terrenis. Nihil ſic maculat & implicat cor hominis, ſicut im-

purus amor in creaturis. Si [illegible] renuis cō-ſolari exterius, poteris ſpeculari cœleſtia, & frequenter interius iubilare.

De humili ſubmiſſione ſub prælati regimine.

CAPVT II.

NOn magni pendas, quis pro te, vel contra te ſit: ſed hoc age, & cura, vt Deus tecum ſit in omni re, quam facis. Habeas conſcientiam bonam: & Deus benè te defenſabit. Quem enim adiuuare voluerit, huic nullius peruerſitas nocere poterit. Si tu ſcis tacere, & pati, videbis proculdubio Domini auxilium. Ipſe nouit tempus & modum liberandi te, & ideò debes te illi reſignare. Dei eſt adiuuare, & ab omni confuſione liberare. Sæpè valdè prodeſt ad maiorem humilitatem conſeruandam, quòd defectus noſtros alij ſciunt, & redarguunt. Quando homo pro defectibus ſuis ſe humiliat, tunc faciliter alios placat, & leuiter ſatisfacit ſibi iraſcentibus. Humilem Deus protegit & liberat, humilem diligit & conſolatur, humili homini ſe inclinat: humili largitur gratiam magnam, & poſt ſuam depreſſionem leuat ad gloriam: humili ſua ſecreta reuelat, & ad ſe dulciter trahit, & inuitat.

tat. Humilis, accepta contumelia & confuſione, ſatis benè eſt in pace: quia ſtat in Deo, & non in mundo. Non reputes te aliquid profeciſſe, niſi omnibus inferiorem te eſſe ſentias.

De bono & pacifico homine.

CAPVT III.

POne te primò in pace: & tunc alios poteris pacificare. Homo pacificus plus prodeſt, quàm benè doctus. Homo paſſionatus, etiam bonum in malum trahit, & faciliter malum credit. Bonus & pacificus homo omnia ad bonum conuertit. Qui benè in pace eſt, de nullo ſuſpicatur: qui autem malè contentus eſt, & commotus, varijs ſuſpicionibus agitatur, nec ipſe quieſcit: nec alios quieſcere permittit. Dicit ſæpè, quod non dicere deberet: & omittit, quod ſæpè ſibi magis facere expediret. Conſiderat quod alij facere tenentur, & negligit quod ipſe facere tenetur. Habe ergo primum zelum ſuper temetipſum: tunc zelare poteris etiam iuſtè proximum tuum. Tu facta tua benè ſcis excuſare, & colorare, & aliorum non vis recipere excuſationes. Iuſtius eſſet, vt te accuſares. Si portari vis, porta & tu alium. Vide quàm longè es adhuc à vera charitate, & humilitate, quæ

nulli nouit indignari, vel iraſci, niſi tantùm ſibi ipſi. Non eſt magnum cum bonis & manſuetis conuerſari: hoc enim omnibus naturaliter placet, & vnuſquiſque libenter pacem habet: & ſecum ſentientes magis diligit: ſed cum duris aut peruerſis & indiſciplinatis, aut nobis contrariantibus, pacificè poſſe viuere, magna gratia eſt, & laudabile nimis, viriléque factum. Sed ſunt qui ſeipſos in pace tenent, & cum alijs etiam pacem habent. Et ſunt, qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt: alijs ſunt graues, ſed ſibi ſunt ſemper grauiores. Et ſunt qui ſeipſos in pace retinent, & ad pacem alios reducere ſtudent. Et tamē tota pax noſtra in hac miſera vita, potiùs in humili patientia ponenda eſt, quàm in non ſentiendo contraria. Qui meliùs ſcit pati, pacem tenebit maiorem. Iſte eſt victor, ſui & dominus mundi, amicus Chriſti, & hæres cœli.

De pura mente, & ſimplici intentione.

CAPVT IIII.

DVabus alis homo ſubleuatur à terrenis, ſimplicitate ſcilicet, & puritate. Simplicitas debet eſſe in intentione: puritas

ritas, in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit, & guſtat. Nulla bona actio te impediet, ſi liber intus ab omni inordinato effectu fueris, ſi nihil aliud quàm Dei beneplacitum, & proximi vtilitatem intendis, & quæris, interna libertate frueris. Si rectum cor tuum eſſet, omnis tibi creatura ſpeculum vitæ, & liber ſanctæ doctrinę eſſet. Non eſt creatura tam parua & vilis, quæ bonitatem Dei non repræſentet. Si tu eſſes intus bonus, & purus, omnia ſine impedimento videres & caperes benè. Cor purum penetrat cælum, & infernum. Qualis vnuſquiſque intus eſt, taliter iudicat exterius. Si eſt gaudium in mundo, hoc vtique poſſidet puri cordis homo: Et ſi eſt alicubi tribulatio, & anguſtia, hoc melius nouit mala conſcientia. Sicut ferrum miſſum in ignem, amittit rubiginem, & totum candens efficitur: ſic homo ad Deum & ſe integrè conuertens, à torpore exuitur, & in nouum hominem tranſmutatur. Quando homo incipit tepeſcere, tunc paruum metuit laborem, & libenter externam accipit conſolationem. Sed quando perfectè incipit ſe vincere, & viriliter in via Dei ambulare, tunc minus ea reputat, quæ ſibi priùs grauia eſſe ſentiebat.

De propria conſideratione.

CAPVT V.

NOn debemus nobiſipſis nimis credere: quia ſæpe nobis gratia deeſt, & ſenſus: modicum lumen eſt in nobis, & hoc citò per negligentiam amittimus. Sæpe etiam non aduertimus, quòd tam cæci intus ſumus. Sæpe malè agimus, & peius excuſamus, & paſſione interdum mouemur, & id zelum putamus. Parua in aliis reprehendimus: & noſtra maiora pertranſimus. Satis citò ſentimus, & ponderamus quod ab aliis ſuſtinemus: ſed quãtum alij à nobis ſuſtinent, nõ aduertimus. Qui bene, & rectè ſua ponderaret, non eſſet quòd de alio grauiter iudicaret. Internus homo ſuiipſius curam omnibus curis anteponit: & qui ſibiipſi diligenter intendit, faciliter de aliis tacet. Nunquam eris internus, & deuotus, niſi de alienis ſilueris & ad teipſum ſpecialiter reſpexeris. Si tibi, & Deo totaliter intendis, modicum te mouebit, quòd foris percipis. Vbi es, quando tibiipſi præſens non es? & quando omnia percurriſti, quid, te neglecto, profeciſti? Si debes habere pacem, & vnionem veram, oportet quòd totum mundum poſtponas, & te ſolùm præ oculìs habeas. Multum proinde proficies, ſi te feriatum

tum ab omni temporali cura conſerues. Valdè deficies, ſi aliquid temporale reputaueris. Nil altum, nil magnum, nil gratũ, nil acceptum tibi ſit, niſi purè Deus, aut quod in Deo ſit. Totum vanum æſtima, quicquid conſolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima, ſub Deo deſpicit vniuerſa. Solus Deus æternus, & immenſus, implens omnia, ſolatium eſt animæ, & vera cordis lætitia.

De lætitia bonæ conſcientiæ.

CAPVT VI.

GLoria boni hominis, teſtimonium bonæ conſcientiæ eſt. Habe bonam conſcientiã, & ſemper habebis lætitiã. Bona conſcientia, valdè multa poteſt portare, & valdè læta eſt inter aduerſa. Mala conſciẽtia ſemper timida eſt, & inquieta. Suauiter requieſces, ſi te cor tuum non reprehẽderit. Noli lætari, niſi cùm benefeceris. Mali nunquam habent veram lætitiã, nec internam ſentiunt pacem, quia non eſt pax impijs, dicit Dominus. Et ſi dixerint, in pace ſumus, non venient ſuper nos mala: &quis nocere audebit? Ne credas eis, quoniam repentè exurget ira Dei: & in nihilum redigentur actus eorũ, & cogitationes eorũ peribunt. Gloriari in tribulatione

non eſt graue amanti: ſic enim gloriari, eſt in cruce Domini gloriari. Breuis gloria, quæ hominibus datur, & accipitur: mundi gloriam ſemper comitatur triſtitia. Bonorum gloria, in conſcientijs eorum, & non in ore hominum. Iuſtorum lætitia de Deo & in Deo eſt: & gaudium eorum de veritate. Qui veram & æternam gloriam deſiderat, temporalem non curat. Et qui temporalem quærit gloriam: aut nõ animo contemnit, minus amare conuincitur cœleſtem. Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia. Facilè erit contentus & placatus, cuius cõſcientia munda eſt. Non es ſanctior ſi lauderis: nec vilior, ſi vitupereris: quod es, hoc es, nec maior dici vales quã Deo teſte ſis. Si attendis, quid apud te ſis intus; non curabis, quid de te loquantur homines foris. Homo videt in facie, Deus autem in corde. Homo conſiderat actus. Deus penſat intentionẽ. Benè ſemper agere, & modicum de ſe tenere, humilis animæ indicium eſt. Nolle cõſolari ab aliqua creatura. magnæ puritatis, & internæ fiduciæ indicium eſt. Qui nullum extrinſecus pro ſe teſtimonium quærit, liquet, quòd ſe Deo totaliter cõmiſit. Non enim, qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ait beatus

Paulus:

Digitized by Google

Paulus; ſed quem Deus commendat. Ambulare cũ Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, ſtátus eſt interni hominis.

De amore Ieſu ſuper omnia.

CAPVT VII.

BEatus, qui intelligit, quid ſit amare Ieſum, & contemnere ſeipſum, propter Ieſum. Oportet dilectũ pro dilecto relinquere: quia Ieſus vult ſolus ſuper omnia amari. Dilectio creaturæ, fallax, & inſtabilis: dilectio Ieſu, fidelis, & perſeuerabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili: qui amplectitur Ieſum, firmabiter in æuum. Illum dilige, & amicum tene, qui tibi omnibus recedentibus, te non derelinquet, nec patietur in fine perire. Ab omnibus oportet te aliquando ſeparari, ſiue velis, ſiue nolis. Teneas te apud Ieſum viuens, & moriẽs: & illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus, ſolus poteſt te iuuare. Dilectus, tuus talis eſt naturæ: vt alienum non velit admittere: ſed ſolus velit cor tuum habere, & tanquam rex in proprio throno ſedere. Si ſcires te benè ab omni creatura euacuare, Ieſus libenter tecum habitaret. Penitus perditum inuenies, quicquid extra Ieſum in omnibus poſueris. Non confidas, nec innitaris ſuper calamum ventoſum: quia omnis

caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos fœni cadet. Citò decipieris, ſi ad externam hominum apparentiam tantùm aſpexeris. Si enim tuum in alijs quæris ſolatium, & lucrum, ſenties ſæpè detrimentum. Si quæris in omnibus Ieſum, inuenies vtique Ieſum. Si autem quæris teipſum, inuenies etiam teipſum, ſed ad tuam perniciem: plus enim homo nocet ſibi, ſi Ieſum non quærit, quàm totus mundus, & omnes ſui aduerſarij.

De familiari amicitia Ieſu.

CAPVT VIII.

QVando Ieſus adeſt, totum bonū eſt, nec quicquā difficile videtur. Quando verò Ieſus non adeſt, totum durum eſt. Quando Ieſus intus non loquitur, conſolatio vilis eſt. Si autem Ieſus vnum verbum loquitur tantùm, magna conſolatio ſentitur. Nonne Maria Magdalene ſtatim ſurrexit de loco, in quo fleuit, quando Martha illi dixit: Magiſter adeſt, & vocat te? Felix hora, quando Ieſus vocat te à lacrymis ad gaudium ſpiritus. Quàm aridus, & durus es, ſine Ieſu! Quàm inſipiens, & vanus, ſi cupis aliquid extra Ieſum! Nonne hoc eſt maius damnum, quàm ſi totum perderes mundum? Quid

poteſt

Digitized by Google

poteſt mundus conferre ſine Ieſu? Eſſe ſine Ieſu grauis eſt infernus: & eſſe cum Ieſu, dulcis paradiſus. Si fuerit tecum Ieſus, nullus poterit nocere inimicus. Qui inuenit Ieſum, inuenit theſaurum bonum, imò bonum ſuper omne bonum. Et qui perdit Ieſum, perdit nimis multum, & plus quàm totum mundum. Pauperrimus eſt, qui viuit ſine Ieſu. Ditiſſimus, qui benè eſt cum Ieſu. Magna eſt ars ſcire conuerſari cum Ieſu: & ſcire Ieſum tenere, magna prudentia. Eſto humilis & pacificus, & erit tecũ Ieſus: Si eris deuotus, & quietus, permanebit tecum Ieſus. Potes citò fugare Ieſum, & gratiam eius perdere, ſi volueris ad exteriora declinare. Et ſi illum effugaueris, & perdideris, ad quem tunc fugies, & quem tunc quæres amicum? Sine amico non potes diu viuere: & ſi Ieſus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis triſtis, & deſolatus.

Fatuè igitur agis, ſi in aliquo altero confidis & lætaris. Eligendum eſt magis totum mundum habere contrarium, quàm Ieſum offenſum. Ex omnibus ergo charis ſit Ieſus dilectus ſpecialis. Diligantur omnes propter Ieſum: Ieſus autem propter ſeipſum. Solus Ieſus Chriſtus ſingulariter eſt amandus, qui ſolus bonus, & fidelis

inue

inuenitur præ omnibus amicis, propter ipſum, & in ipſo, tam amici, quàm inimici tibi ſint chari, & prò omnibus exorandus eſt vt omnes ipſum cognoſcāt, & diligant. Nunquam cupias ſingulariter laudari, & amari: quia hoc ſolius eſt Dei, qui ſimilem ſibi non habet. Nec velis, quòd aliquis in corde ſuo tecum occupetur: neque tu in alicuius occuperis amore, ſed ſit Ieſus in te, & in omni bono homine. Eſto purus & liber ab intus ſine alicuius creaturæ implicamento. Oportet enim nudũ & purum cor ad Ieſum gerere, ſi vis vacare, & videre, quàm ſuauis eſt dominus. Et reuera ad hoc non peruenies, niſi gratia eius fueris præuentus, & tractus, vt omnibus euacuatis & licentiatis, ſolus cum ſolo vniaris. Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia: & quando recedit, tunc pauper & infirmus erit, & quaſi tantùm ad flagella relictus. In his non debes deiici, nec deſperare: ſed ad voluntatem Dei, æquanimiter ſtare: & cuncta ſuperuenientia tibi ad laudem Chriſti perpeti: quia poſt hyemem ſequitur æſtas, poſt noctem redit dies, & poſt tempeſtatem ſerenitas magna.

De ea

De carentia omni ſolatij.

CAPVT IX.

NOn eſt graue humanum contemnere ſolatiũ, cùm adeſt diuinum. Magnum eſt, & valdè magnum tam humano, quàm diuino poſſe carere ſolatio: & pro honore Dei libenter exilium cordis velle ſuſtinere, & in nullo ſeipſum quærere: nec ad propriũ meritum reſpicere: quid magni eſt ſi hilaris ſis, & deuotus, aduenięte gratia? optabilis cunctis hæc hora: Satis ſuauiter equitat, quem gratia Dei portat. Et quid mirũ, ſi onus non ſentit, qui portatur ab omnipotente, & ducitur à ſummo ductore? Libenter habemus aliquid pro ſolatio, & difficulter homo exuitur à ſeipſo. Vicit ſanctus martyr Laurentius ſeculũ, cũ ſuo ſacerdote, quia omne, quod in mundo delectabile videbatur, deſpexit, & Dei ſummi ſacerdotem Sixtũ, quẽ maximè diligebat, pro amore Chriſti etiã à ſe tolli æquanimiter ferebat. Amor igitur Creatoris, amorem hominis ſuperauit, & pro humano ſolatio, diuinũ beneplacitũ magis elegit. Ita & tu aliquem neceſſarium & dilectum amicum pro amore Dei diſce relinquere, nec grauiter feras, cùm ab amico dereli-

ctus

ctus fueris:ſciens, quoniã oportet nos omnes tandem ab inuicẽ ſeparari. Multũ, & diu oportet hominem in ſeipſo certare, & ante quã diſcat ſeipſum plenè ſuperare, & totũ affectum ſuum plenè in Deum trahere. Quando homo ſtat ſuper ſeipſo, facilè labitur ad conſolationes humanas. ſed verus Chriſti amator, & ſtudioſus ſectator virtutum, non cadit ſuper illas conſolationes, nec quærit tales ſenſibiles dulcedines: ſed magis fortes exercitationes, & pro Chriſto duros ſuſtinere labores. Cùm igitur ſpiritalis cõſolatio à Deo datur, cum gratiarũ actione accipe eam: ſed Dei munus intellige eſſe, nõ tuum meritũ: & noli extolli. Noli nimiũ gaudere, nec inaniter præſumere: ſed eſto humilior ex dono, cautior quoque, & timoratior in cunctis actibus tuis: quoniam tranſibit hora illa, & ſequetur tẽtatio. Cùm ablata fuerit cõſolatio, nõ ſtatim deſperes: ſed cum humilitate & patientia expecta cœleſtem viſitationem: quia potens eſt Deus ampliorem tibi donare gratiam, & conſolationẽ: iſtud nõ eſt nouum, nec alienum, vitam Dei expertis, quia in magnis ſanctis, & in antiquis prophetis fuit talis ſæpè alternationis modus. Vnde quidam, præſente iam gratia, dicebat: Ego dixi in abundantia mea, non
mouebor

mouebor in æternũ. Abſente autẽ gratia, quid in ſe fuerit expertus adiungit,dicẽs: auertiſti faciẽ tuã à me,& factus ſum cõturbatus: inter hæc tamẽ nequaquam deſperat : ſed inſtantiùs Dominum rogat, & dicit: Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.Denique orationis ſuę fructum reportat, & ſe exauditũ teſtatur, dicens: Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei : Dominus factus eſt adiutor meus. Sed in quo? Conuertiſti, inquit, planctum meum in gaudium mihi : & circundediſti me lætitia. Et ſi ſic actum eſt cum magnis ſanctis, non eſt deſperandum nobis infirmis & pauperibus, ſi interdum in frigiditate,& interdũ in feruore ſumus:quoniam ſpiritus venit, & recedit ſecũdum ſuæ voluntatis beneplacitum. Vnde Beatus Iob ait, viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum.In quo igitur ſperare poſſum, aut in quo confidere debeo, niſi in ſola magna miſericordia Dei, & in ſola ſpe gratiæ cæleſtis? Siue etiam adſint homines boni,ſiue deuoti fratres, & amici fideles, ſiue libri ſancti, vel tractatus pulchri, ſiue dulces cantus,& hymni: omnia hæc modicũ iuuant,& modicum ſapiunt, quando deſertus ſum à gratia, & in propria paupertate relictus, tunc non eſt melius remedium quàm

quàm patientia, & abnegatio mei. In veritate Dei nunquam inueni aliquem religioſum qui non habuerit interdum gratiæ ſubtractionem, aut non ſenſerit feruoris diminútionem. Nullus ſanctus fuit vnquam tam altè raptus & illuminatus, qui priùs vel poſteà non fuerit tentatus. Non enim dignus eſt alta Dei cõtemplatione, qui pro Deo non eſt exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim ſequentis conſolationis tentatio præcedens eſſe ſignum. Nam tentationibus probatis, cæleſtis promittitur conſolatio. Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vitæ. Datur etiam conſolatio diuina, vt homo fortior ſit ad ſuſtinendum aduerſa. Sequitur etiam tentatio, ne ſe eleuet de bono. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua eſt: ideò non ceſſes præparare te ad certamen, quia à dextris & ſiniſtris ſunt hoſtes, qui nunquam quieſcunt.

De gratitudine pro gratia Dei.

CAPVT X.

QVid quæris quietẽ, cùm natus ſis ad laborem? compone te ad patientiam magis, quàm ad conſolationem, & ad crucem portandam magis quàm ad lætitiam. Quis enim ſecularium nõ libẽter conſolationem

nem, & lętitiam ſpiritalē acciperet, ſi ſemper obtinere poſſet? Excedunt enim ſpiritales cōſolationes omnes mūdi delitias, & carnis voluptates. Nā omnes delicię mundanæ aut turpes ſunt, aut vanæ. Spiritales verò deliciæ, ſolæ iucundæ, & honeſtæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris infuſæ mētibus: ſed iſtis diuinis conſolationibus nemo ſemper pro ſuo affectu frui valet: quia tempus tentationis nō diu ceſſat. Multum contrariatur ſupernæ viſitationi falſa libertas animi, & magna confidentia ſui. Deus benè facit conſolationis gratiam dādo: ſed homo malè agit, nō totum Deo, cū gratiarum actione, retribuendo. Et ideò non poſſunt in nobis dona gratiæ fluere: quia ingrati ſumus Auctori: nec totum refundimus fontali origini. Sēper enim debetur gratia dignè gratias referenti. Auferetur ab elato, quod dari ſolet humili. Nolo cōſolationem, quæ mihi aufert cōpunctionē: nec affecto cōtemplationē, quę ducit in elationē. Non enim omne altū, ſanctū: nec omne deſiderium, puiū: nec omne dulce bonū: nec omne charum gratū Deo. Libenter accepto gratiam, vnde humilior ſemper, & timoratior inueniar, atque ad relinquendum me paratior fiā. Doctus dono gratiæ, & eruditus ſubſtractionis ver-

bere, non ſibi audebit quicquam boni attribuere: ſed potiùs ſe pauperem & nudũ confitebitur. Da Deo, quicquid Dei eſt: & tibi adſcribe, quod tuum eſt: hoc eſt, Deo gratias pro gratia tribue: tibi autem ſoli culpam & dignam pœnã pro culpa deberi ſentias. Pone te ſemper ad infimum, & dabitur tibi ſummum: nam ſummum non ſtat ſine infimo. Summi ſancti apud Deum minimi ſunt apud ſe: & quantò glorioſiores: tãtò in ſe humiliores, pleni veritate, & gloria cæleſti, non vanæ gloriæ cupidi. In Deo fundati, & confirmati nullo modo poſſunt eſſe elati: & qui Deo totum adſcribunt, quicquid boni acceperunt, gloriam ab inuicem non quærunt: ſed gloriã, quæ à ſolo Deo eſt, volunt, & Deum in ſe, & in omnibus ſanctis laudari ſuper omnia cupiunt: & ſemper in eũ ipsũ tẽdunt. Eſto igitur gratus in minimo: & eris dignus maiora accipere: ſit tibi minimũ etiã pro maximo, & magis contemptibile, pro ſpeciali dono. Si dignitas datoris inſpicitur, nullum datum paruum aut minus vile videbitur: non enim paruum eſt, quod à ſummo Deo donatur, etiam ſi pœnas, & verbera donauerit, gratum eſſe debet: quia ſemper pro ſalute noſtra facit, quicquid nobis euenire permittit. Qui gratiam Dei

reti

retinere deſiderat, ſit gratus pro gratia Dei data, patiens pro ſublata: oret, vt redeat: cautus ſit, & humilis ne amittat.

De paucitate amatorum crucis Ieſu.

CAPVT XI.

Habet Ieſus nũc multos amatores regni ſui cæleſtis, ſed paucos baiulatores ſuæ crucis: habet multos deſideratores conſolationis, ſed paucos tribulationis: plures inuenit ſocios menſæ, ſed paucos abſtinentiæ. Omnes volunt cum Chriſto gaudere: ſed pauci volunt pro ipſo aliquid ſuſtinere. Multi ſequuntur Ieſum vſque ad fractionem panis, ſed pauci ad bibendum calicem paſſionis ſunt parati. Multi miracula eius venerantur, ſed pauci ignominiam crucis ſequuntur. Multi Ieſum diligunt quandiu aduerſa non contingunt, multi illum laudant & benedicunt, quandiu conſolationes aliquas ab ipſo recipiunt. Si autem ſe Ieſus abſconderit, & modicum eos reliquerit, aut in querimoniam, aut in deiectionem nimiam cadunt. Qui autem Ieſum propter Ieſum, & non propter ſuam aliquam conſolationem propriam diligunt, ipſum in tribulatione, & in anguſtia cordis, ſicut in ſumma conſolatione benedi-

cunt:& ſi nunquam eis conſolationem daret, ipſum tamen ſemper laudarẽt, & ſemper gratias agere vellent. O quantũ poteſt amor Ieſu purus nullo proprio commodo vel amore permiſtus? Nonne omnes mercenarij ſunt dicendi, qui conſolationes ſemper quærunt? Nonne amatores ſui magis, quàm Chriſti probantur, qui ſua commoda, vel lucra ſemper meditantur? Vbi inuenietur talis, qui velit Deo ſeruire gratis? Raro inuenietur tã ſpiritualis aliquis, qui omnibus ſit nudatus. Nam verum ſpiritu pauperem, & ab omni creatura nudum, quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam, adhuc nihil eſt: & ſi fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguũ eſt: & ſi apprehenderit omnem ſcientiam, adhuc longè eſt: & ſi habuerit virtutem magnam, & deuotionem nimis ardentem, adhuc multum ſibi deeſt, vnum ſcilicet quod ſibi ſummè neceſſarium eſt. Quid illud? Vt omnibus relictis, ſe relinquat: & à ſe totaliter exeat, nihilque de priuato amore retineat cùm omnia fecerit, quæ facienda nouerit, nihil feciſſe ſe ſentiat. Non grande ponderet, quod grãdis æſtimari poſſit: ſed in veritate ſeruum inutilẽ ſe pronunciet, ſicut Veritas

ritas ait: Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, adhuc dicite, quia ſerui inutiles ſumus. Tũc verò pauper & nudus ſpiritu eſſe poterit: & cum propheta dicere, quia vnicus, & pauper ſum ego. Nemo iſto ditior, nemo tamen liberior, nemo potentior illo qui ſcit ſeſe, & omnia relinquere, & ad infimum ſe ponere.

De regia via ſanctæ crucis.

CAPVT XII.

DVrus hîc multis videtur ſermo, abnega temetipſum: tolle crucem tuam & ſequere Ieſum. Sed multò durius erit, audire illud extremum verbum: Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum: qui enim modò libenter audiunt, & ſequũtur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione mala æternæ damnationis. Hoc ſignum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit. Tunc omnes ſerui crucis, qui ſe crucifixo conformauerunt in vita, ad Chriſtũ accedent iudicem cum magna fiducia. Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad regnum? In cruce ſalus, in cruce vita, in cruce protectio ab hoſtibus, in cruce infuſio ſupernæ ſuauitatis, in cruce robur mentis, & in cruce gaudium ſpiritus, in

cruce virtus ſumma, in cruce perfectio ſanctitatis. Non eſt ſalus animæ, nec ſpes æternæ vitæ, niſi in cruce. Tolle ergo crucem tuam, & ſequere Ieſum, & ibis in vitam æternam. Præceſſit ille baiulans ſibi crucem, & mortuus eſt pro te in cruce: vt tu etiam portes crucem, & mori affectes in cruce, quia ſi cum illo mortuus fueris, etiam cum illo pariter viues: & ſi ſocius fueris pœnæ, ſocius eris & gloriæ. Ecce in cruce totum conſtat, & in moriendo totum iacet: & non eſt alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, niſi via ſanctæ Crucis, & quotidianæ mortificationis. Ambula quò vis, quære vbicunque volueris, & non inuenies altiorem viam ſupra, nec ſecuriorem viam infra, niſi viam ſanctæ crucis. Diſpone, & ordina omnia ſecundùm tuum velle, & videre, & non inuenies, niſi ſemper aliquid pati debere, aut ſpõte, aut inuitè: & ita crucem ſemper inuenies. Aut enim in corpore dolorem ſenties, aut in anima ſpiritus tribulationem ſuſtinebis. Interdum à Deo relinqueris, interdum à proximo exercitaberis, &, quod amplius eſt, ſæpè tibimetipſi grauis eris, nec tamen aliquo remedio, vel ſolatio liberari, ſeu alleuiari poteris: ſed donec Deus voluerit, oportet quòd ſuſtineas.

Digitized by Google

neas. Vult enim Deus, vt tribulationem ſine conſolatione diſcas pati, & vt illi totaliter te ſubijcias, vt humilior ex tribulatione fias. Nemo ita cordialiter ſentit paſſionem Chriſti, ſicut is, cui contigerit ſimilia pati. Crux igitur ſemper parata eſt, & vbique te expectat. Non potes effugere, quocunque cucurreris: quia quocunque perueneris, teipſum tecum portas: & ſemper teipſum inuenies. Conuerte te ſupra, conuerte te infra, conuerte te extra, & intra, & in omnibus inuenies crucem, & neceſſe eſt te vbique tenere patientiam, ſi internam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam. Si libenter crucẽ portas, portabit te, & deducet te ad deſideratum finem: vbi ſcilicet finis patiendi erit, quãuis hîc non erit. Si inuitè portas, onus tibi facit: & teipſum magis grauas, & tamen oportet vt ſuſtineas. Si abijcis vnam crucem, aliam proculdubio inuenies, & forſitan grauiorem. Credis tu euadere, quod nullus mortalium potuit? quis ſanctorum in mundo ſine cruce & tribulatione fuit? Nec enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vna hora ſine dolore paſſionis fuit, quamdiu in hoc mundo vixit. Oportebat autem Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriã ſuam.

Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam viam, quæ eſt via ſanctæ crucis? Tota vita Chriſti, crux fuit, & martyrium, & tu ibi quæris requiem, & gaudiũ? Erras, erras, ſi aliud quæris quàm pati tribulationes: quia tota iſta vita mortalis plena miſerijs, & circunſignata crucibus, & quantò altius quis in ſpiritu profecerit, tantò grauiores cruces ſæpe inueniet: quia exilij ſui pœna magis ex amore creſcit. Sed tamen iſte ſic multipliciter afflictus, non eſt ſine leuamine conſolationis: quia fructum magnum ſibi ſentit accreſcere ex tolerantia ſuæ crucis. Nam dum ſponte illi ſe ſubijcit, omne onus tribulationis in fiduciam diuinæ conſolationis conuertit: & quantò magis caro per tribulationem atteritur, tantò ampliùs ſpiritus per internam conſolationem roboratur. & nonnũquam intantum confortatur ex affectu tribulationis, & aduerſitatis, ob amorem & conformitatem crucis Chriſti: vt non ſine dolore & tribulatione eſſe velit: quoniam tantò ſe acceptiorem Deo reddit, quantò plura & grauiora pro eo perferre poteſt. Non eſt illud virtus hominis, ſed gratia Chriſti, quæ tanta poteſt, & agit in carne fragili, vt quod naturaliter ſemper abhorret & fugit, hoc feruore ſpiritus aggre

gre

Digitized by Google

grediatur, & perficiat. Non eſt ſecundùm hominem, crucem portare, crucem amare, corpus caſtigare, & ſeruituti ſubijcere, & honores fugere, contumeliam libenter ſuſtinere, ſeipſum deſpicere, & deſpici optare, aduerſa quæq; cum damnis perpeti, & nihil proſperitatis in hoc mundo deſiderare. Si ad te ipſum reſpicis, nihil huiuſmodi ex te poteris: ſed ſi in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cælo, ſubijcietur ditioni tuæ mundus, & caro. Sed nec inimicum diabolum timebis, ſi fueris fide armatus, & Iesv cruce ſignatus. Pone ergo te ſicut fidelis, & bonus ſeruus Chriſti, ad portandum viriliter crucem Domini tui, pro te ex amore Crucifixi: præpara te ad toleranda multa aduerſa, & varia incommoda in hac miſera vita, quia ſic tecum erit, vbicunque fueris: & ſic reuera eum inuenies, vbicunque latueris: oportet te ita eſſe, & non eſt aliud remedium euadendi à tribulatione malorum, & dolore, quàm vt patiaris. Calicem Domini affectanter bibe, ſi amicus eius eſſe, & partem cum eo habere deſideras. Conſolationes Deo committe, faciat ipſe cum talibus, ſicut ſibi magis placuerit. Tu verò pone te ad ſuſtinendum tribulationes, & reputa eas maximas conſolationes, quia

non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, promerendam, etiam ſi ſolus omnes poſſes ſuſtinere. Quādo ad hoc veneris, quòd tribulatio tibi dulcis eſt, & ſapit, pro Chriſto, tunc benè tecum eſſe æſtima, quia inueniſti paradisũ in terra. Quandiu pati tibi graue eſt, & fugere quæris, tandiu malè habebis, & ſequetur te vbique fuga tribulationis. Si ponis te adquod eſſe debes, videlicet ad patiendum, & moriendum, fiet citò melius, & pacem inuenies. Etiam ſi raptus fueris in tertium cælum cum Paulo, non es propterea ſecurus de nullo contrario ſuſtinendo. Ego, inquit Ieſus, oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Pati ergo tibi remanet, ſi Ieſum diligere, & perpetuò illi ſeruire placet. Vtinam dignus eſſes pro nomine Ieſu aliquid pati: quàm magna gloria remaneret tibi, quanta exultatio omnibus ſanctis Dei! quanta quoque ædificatio eſſet proximi! Nam patientiam omnes cōmendant, quamuis pauci pati velint. Meritò deberes libenter modicum pati pro Chriſto, cùm multi grauiora patiantur pro mundo. Scias pro certo, quòd morientem te oportet ducere vitam, & quantò quiſq; plus ſibi moritur, tantò magis Deo

viuere

viuere incipit: Nemo aptus eſt ad comprehendendum cæleſtia, niſi ſe ſubmiſerit ad portandum pro Chriſto aduerſa. Nihil Deo acceptius, nihil tibi ſalubrius in mundo iſto, quàm libenter pati pro Chriſto. Et ſi eligendum tibi eſſet, magis optare deberes pro Chriſto aduerſa pati, quàm multis cõſolationibus recreari: quia Chriſto ſimilior eſſes. & omnibus ſanctis eius conformior. Non enim ſtat meritum noſtrum, & profectus ſtatus noſtri, in multis ſuauitatibus, & conſolationibus: ſed potius in magnis grauitatibus, & tribulationibus perferendis. Si quidem aliquid melius & vtilius ſaluti hominum, quàm pati fuiſſet, Chriſtus vtique verbo, & exemplo oſtendiſſet. Nã & ſequentes ſe diſcipulos, omnéſque eum ſequi cupientes, manifeſtè ad crucem portandam hortatur. Et dicit, Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Omnibꝰ ergo perlectis, & ſcrutatis, ſit iſta finalis concluſio, Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

*

DE

DE IMITAT. CHRISTI, LIBER III.

De interna Chriſti locutione ad animam fidelem.

CAPVT I.

AVdiam quid loquatur in me Dominus Deus. Beata anima, quæ Dominum in ſe loquentem audit, & de ore eius verbum conſolationis accipit. Beatæ aures, quæ auram diuini ſuſurri ſuſcipiunt, & de mundi huius ſuſurrationibus nihil aduertunt. Beatæ planè aures quæ non vocē foris ſonātem, ſed interius auſcultant veritatem loquentem, & docentem. Beati oculi, qui exterioribus clauſi, interioribus autem aperti ſunt. Beati qui interna penetrant, & ad capiēda arcana cæleſtia magis ac magis per quotidiana exercitia ſe ſtudent præparare. Beati qui Deo vacare geſtiunt, & ab omni impedimento ſeculi ſe excutiūt. Animaduerte hæc, ô anima mea, & claude ſenſualitatis tuæ oſtia: vt poſſis in te audire, quid loquatur Dominus Deus in te. Hæc dicit dilectus tuus. Salus tua ego ſum, pax tua, & vita tua. Serua te apud me, & pacem inuenies: dimitte omnia tranſitoria, & quære

æterna. Quæ ſunt omnia temporalia, niſi ſeductoria? Et quid iuuant omnia creaturam, ſi fuerit à creatore deſerta? Omnibus abdicatis, Creatori tuo te redde placidum ac fidelem: vt veram valeas apprehendere beatitudinem.

Quòd veritas intus loquitur, ſine ſtrepitu verborum.

CAPVT II.

LOquere Domine, quia audit ſeruus tuus, Seruus tuus ego ſum, da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua, inclina cor meum in verba oris tui: fluat vt ros eloquium tuum. Dicebant olim filij Iſraël ad Moſen: Loquere nobis tu, & audiemus: nō loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur: Non ſic Domine, nō ſic, oro: ſed magis cum Samuele propheta humiliter ac deſiderāter obſecro. Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus: nō loquatur mihi Moſes, aut aliquis ex Prophetis: ſed potiùs tu loquere, Domine Deus inſpirator, & illuminator omnium prophetarum, quia tu ſolus ſine his potes me perfectè imbuere: illi autem ſine te nihil proficient. Poſſunt quidem verba ſonare, ſed ſpiritū non cōferunt: pulcherrimè dicunt, ſed tacente te, cor nō accēdunt. Literas tradunt, ſed

ſed tu ſenſum aperis. Myſteria proferũt, ſed tu reſeras intellectũ ſignatorũ. Mandata edicũt, ſed tu iuuas ad perficiendũ. Viam oſtendunt, ſed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tantùm agunt, ſed tu corda inſtruis, & illuminas Illi exterius rigant, ſed tu fœcunditatem donas. Illi clamant verbis, ſed tu auditui intelligentiam tribuis. Non ergo loquatur mihi Moſes: ſed tu, Domine Deus meus, æterna veritas: ne fortè moriar, & ſine fructu efficiar, ſi fuero tantùm foris admonitus; & intus non accenſus: nec ſit mihi ad iudicium verbum auditum, & non factum: cognitum, non amatum: creditum, & non ſeruatum. Loquere igitur Domine, quia audit ſeruus tuus. Verba enim vitæ æternæ habes. Loquere mihi, ad qualemcunque animæ meæ conſolationem, & ad totius vitæ meę emendationem, tibi autem ad gloriam, & perpetuum honorem.

Quòd verba Dei cum humilitate ſunt audienda: & quòd multi ea non ponderant.

CAPVT III.

AVdi, fili mi, verba mea, verba ſuauiſſima, omnem Philoſophorum & ſapientum huius mundi ſcientiam excedentia.

tia Verba mea ſpiritus & vita ſunt, nec humano ſenſu penſanda. Non ſunt ad vanam complacentiam tradenda: ſed in ſilentio audienda, & cum omni humilitate, atque affectu magno ſuſcipienda. Et dixi: Beatus eſt quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis, & non deſoletur à terra. Ego, inquit Dominus, docui prophetas ab initio, & vſque nunc non ceſſo omnibus loqui: ſed multi ad vocem meam ſurdi ſunt & duri: plures mundum libentius audiunt quàm Deum: facilius ſequūtur carnis ſuæ appetitum quàm Dei bene placitum. Promittit mundus temporalia, & parua: & ſeruitur ei auiditate magna. Ego promitto ſumma, & æterna: & torpeſcunt mortalium corda. Quis tanta cura mihi ſeruit, & obedit, ſicût mundo, & dominis eius ſeruitur? Erubeſce Sidon, ait mare. Et ſi cauſam quæris, audi quare pro modica præbenda, longa via curritur: & pro æterna vita vix à multis pes ſemel à terra leuatur. Vile pretium quæritur: pro vno numiſmate interdum turpiter litigatur, & pro vana re, & parua promiſſione, die noctúque fatigari non timetur. Sed (prô dolor) pro bono incommutabili, pro præmio inæſtimabili, pro ſummo honore

&

& gloria interminabili, vel ad modicum
fatigari pigritatur. Erubeſce ergo, ſerue
piger & querule. Illi paratiores inueniun-
tur ad perditionẽ, quàm tu ad vitã. Gau-
dent amplius ad vanitatem, quàm tu ad
veritatem. Et quidẽ ſpe ſua nonnunquam
fruſtantur: ſed promiſſio mea neminem
fallit, nec confidentem mihi dimittit ina-
nẽ: Quod promiſi, dabo: quod dixi, imple-
bo, ſi tamen vſque in finem fidelis in dile-
ctione mea quis permanſerit. Ego remu-
nerator ſum omnium bonorum, & fortis
probator omnium deuotorum. Scribe ver-
ba mea in corde tuo, & pertracta diligen-
ter. Erũt enim in tempore tentationis val-
dè neceſſaria, quod non intelligis, cùm le-
gis, cognoſces in die viſitationis. Duplici-
ter ſoleo electos meos viſitare, tentatio-
ne ſcilicet, & conſolatione: & duas lectio-
nes eis quotidie lego, vnã increpando eo-
rum vitia, alteram exhortando ad virtu-
tum incrementa. Qui audit verba mea, &
ſpernit ea, habet qui iudicet eum in no-
uiſſimo die.

*Oratio ad implorandum deuo-
tionis gratiam.*

CAPVT IIII.

DOmine Deus meus, omnia bona mea
tu es. Et quis ego ſum, vt audeam ad
te lo

te loqui? Ego ſum pauperrimus ſeruulus tuus, & abiectus vermiculus, multò pauperior & cõtemptibilior, quàm ſcio, & dicere audeo. Memento tamẽ Domine quia nihil ſum, nihil habeo, nihílque valeo. Tu ſolus bonus, & iuſtus, & ſanctus. Tu omnia potes, omnia præſtas, omnia imples: ſolum peccatorem inanem relinquens. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & imple cor meum gratia tua: quia non vis vacua eſſe opera tua. Quomodo poſſum me tolerare in hac miſera vita, niſi me cõfortauerit miſericordia & gratia tua. Noli auertere faciem tuam à me: noli viſitationem tuam prolongare: noli conſolationẽ tuam abſtrahere, ne fiat anima mea ſicut terra ſine aqua tibi Domine: doce me facere voluntatẽ tuam: doce me corã te dignè & humiliter conuerſari: quia ſapiẽtia mea tu es, qui in veritate me cognoſcis, & cognouiſti, ante quàm fieret mundus, & ante quàm natus eſſem in mundo.

Quod in veritate & humilitate coram Deo conuerſandum eſt.

CAPVT V.

FIlli, ambula coram me in veritate, & in ſimplicitate cordis tui quære me ſemper. Qui ambulat corã me in veritate, tutabitur ab incurſibus malis, & veritas li-

[illegible]

[illegible] poſſis gloriari, ſed multa, vnde te debes vilifica-
re: quia [illegible] es, quã vales cõ-
prehendere. [illegible] ergo tibi magnũ videa-
tur ex omnibus quæ agis, nihil grande, ni-
hil pretioſum, & admirabile, nihil reputa-
tione appareat dignum, nihil altum, nihil
vere laudabile, & deſiderabile, niſi quod
[illegible] eſt. Placeat tibi ſuper omnia veri-
tas: diſpliceat ſuper omnia vilitas maxima
tua. Nihil ſic timeas, nihil ſic vituperes &
fugias, ſicut vitia, & peccata tua: quę magis
diſpli

diſplicere debent, quàm quælibet rerum damna. Quidam non ſyncere corã me ambulant: ſed quadã curioſitate, & arrogancia ducti, volunt ſecreta mea ſcire, & alta Dei intelligere, ſe, & ſuam ſalutem negligentes: hi ſæpe in magnas tentationes, & peccata, propter ſuperbiam, & curioſitatē eis me aduerſante, labuntur. Time iudicia Dei, expaueſce iram omnipotentis: noli autem diſcutere opera Altiſſimi: ſed tuas iniquitates perſcrutare, in quantis deliquiſti, & quàm multa bona neglexiſti. Quidã ſolum portant ſuam deuotionem in libris, & quidam in imaginibus, quidam autem in ſignis exterioribus & figuris: quidã habent me in ore, ſed modicũ in corde. Sunt & alij qui intellectu illuminati, & affectu purgati, ad æterna ſemper anhelãt, de terrenis grauiter audiunt, neceſſitatibus naturæ dolenter inſeruiunt, & hi ſentiunt, quid veritatis ſpiritus loquitur in eis: qui docet eos terrena deſpicere, & amare cœleſtia, mundum negligere, & cœlum tota die ac nocte deſiderare.

De mirabili effectu diuini amoris.

CAPVT VI.

BEnedico te pater cęleſtis, pater Domini mei Ieſu Chriſti: quia mei pauperis dignatus es recordari, ô pater miſericor-

diatum,& Deus totius conſolationis, gratias ago tibi,qui me,indignum omni conſolatione,quandoque tua recreas conſolatione.Benedico te ſemper, & glorifico cũ vnigenito filio tuo, & ſpiritu ſancto paracleto in ſęcula ſęculorũ.Eia domine Deus amator ſancte meus,cùm tu veneris in cor meum, exultabunt omnia interiora mea. Tu es gloria mea,& exultatio cordis mei: tu es ſpes mea, & refugium meum in die tribulationis meæ. Sed,quia adhuc debilis ſum in amore, & imperfectus in virtute, ideò neceſſe habeo à te cõfortari,& cõſolari: propterea viſita me ſæpiùs & inſtrue diſciplinis ſanctis.Libera me à paſſionibus malis,& ſana cor meum ab omnibus affectionibus inordinatis & vitijs: vt intus ſanatus, & benè purgatus, aptus efficiar ad amandum,fortis ad patiendum,ſtabilis ad perſeuerandum. Magna res eſt amor, magnum omninò bonum, quod ſolũ leue facit omne oneroſum: & fert æqualiter omne inæquale Nã onus ſine onere portat, & omne amarum dulce ac ſapidum efficit. Amor Ieſu nobilis, ad magna operãda impellit, & ad deſideranda ſemper perfectiora excitat.Amor vult eſſe ſurſum, nec vult infimis rebus retineri. Amor vult eſſe liber,&ab omni mundana affectione alienus,

nus, ne internus eius impediatur aſpectus ne per aliquod cõmodum temporale implicationes ſuſtineat, aut per incõmodum ſuccumbat. Nihil dulcius eſt amore, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucũdius, nihil plenius, nihil melius in cœlo, & in terra: quia amor à Deo natus eſt: nec poteſt niſi in Deo ſuper omnia creata requieſcere. Amãs volat, currit, lætatur, liber eſt, & nõ tenetur: dat omnia pro omnibus & habet omnia in omnibus: quia in vno sũmo ſuper omnia quieſcit: ex quo omne bonum fluit, & procedit. Non reſpiſcit ad dona, ſed ad donantẽ ſe cõuertit ſuper omnia bona. Amor modum ſemper neſcit, ſed ſupra omnẽ modũ ferueſcit Amor onus non ſentit, labores non reputat, plus affectat, quàm valet, de impoſſibilitate nõ cauſatur: quia cuncta ſibi poſſe, & licere arbitratur. Valet igitur ad omnia & multa implet, & effectui mancipat, vbi nõ amãs deficit, & iacet. Amor vigilat, & dormiens non dormitat Fatigatus nõ laſſatur, arctatus non arctatur, territus non conturbatur, ſed ſicut viuax flamma, & ardens facula ſurſum erumpit, ſecuréque pertranſit. Si quis amat, nouit quid hæc vox clamet. Magnus clamor in auribus Dei eſt ipſe ardẽs affectus animæ, quæ dicit: Deus meus,

Digitized by Google

amor meus, tu totus meus, & ego tuus: dilata me in amore, vt diſcam interiora cordis ore deguſtare: quã ſuaue ſit amare, & in amore liquefieri, & natare. Tenear amore, vadẽs ſupra me præ nimo feruore & ſtupore: cantẽ amoris canticum, ſequar te dilectũ meũ in altum: deficiat in laude tua anima mea, iubilans ex amore. Amem te, plus quã me: nec me, niſi propter te, & omnes in te, qui verè amant te ſicut iubet lex amoris, lucens ex te. Eſt amor velox, ſyncerus, pius, iucũdus, & amœnus, fortis, patiens, & fidelis, prudens, longanimis, virilis, & ſeipſum nunquam quærens. Vbi enim ſeipſum aliquis quærit, ibi ab amore cadit. Eſt amor circumſpectus, humilis & rectus: nõ mollis, nõ leuis, nec vanis intendẽs rebus, ſobrius, caſtus, ſtabilis, quietus, & in cunctis ſenſibus cuſtoditus. Eſt amor ſubiectus, & obediẽs prælatis: ſibi villis, & deſpectus: Deo deuotus, & gratificus: cõfidens & ſemper ſperans in eo, etiam cùm ſibi nõ ſapit Deus: quia ſine dolore nõ viuitur in amore, qui non eſt paratus omnia pati, & ad voluntatem ſtare dilecti, non eſt dignus amator appellari. Oportet amantem omnia dura & amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

De

De probatione veri amatoris.

CAPVT VII.

Fili nõ es adhuc fortis & prudens amator. Quare Domine? Quia propter modicam contrarietatem deficis à cœptis: & nimis auidè conſolationem quæris. Fortis amator ſtat in tentationibus, nec callidis credit perſuaſionibus inimici. Sicut in proſperis ei placeo: ita nec in aduerſis diſpliceo. Prudens amator non tã donum amãtis conſiderat, quàm dantis amorem. Affectum potiùs attendit, quàm cenſum, & infra dilectum omnia data ponit. Nobilis amator non quieſcit in dono, ſed in me ſuper omne bonum. Nõ eſt ideò totum perditum, ſi quandoque minùs benè de me, vel de ſanctis meis ſentis, quàm velles. Affectus ille bonus & dulcis, quẽ interdum percipis, affectus gratiæ præſentis eſt, & quidam prægustus patriæ cœleſtis: ſuper quo non nimium innitendum, quia vadit, & venit. Certare autem aduerſus incidentes malos animi motus, ſuggeſtionémque ſpernere diaboli, inſigne eſt virtutis, & magni meriti. Non ergo te conturbent alienæ phantaſiæ, de quacunque materia ingeſtæ. Forte ſerua propoſitum, & intentionem rectã ad Deum. Nec eſt illuſio quod aliquãdo in exceſsũ ſubitò raperis, & ſta-

Digitized by Google

tim ad ineptias ſolitas cordis reuerteris, Illa enim inuitè magis pateris quàm agis. & quandiu diſplicent, & retineris, meritũ eſt, & non perditio. Scito, quòd antiquus inimicus omninò nititur impedire deſiderium tuum in bono, & ab omni deuoto exercitio euacuare, à ſanctorum ſcilicet cultu, à pia paſſionis meę memoria, & peccatorum vtili recordatione, à proprij cordis cuſtodia, & à firmo propoſito proficiẽdi in virtute. Multas malas cogitationes ingerit, vt tædium tibi faciat. & horrorem, vt ab oratione reuocet, & ſacra lectione. Diſplicet ipſi humilis confeſſio: & ſi poſſet, à communione ceſſare faceret. Nõ credas ei, neque cures illum: licet ſæpiùs tibi deceptionis tetẽderit laqueos. Tibi imputa, cùm mala ingerit, & immunda, dicito illi, Vade immunde ſpiritus, erubeſce miſer valdè immundus es tu, qui talia infers auribus meis. Diſcede à me, ſeductor peſſime, non habebis in me partẽ vllam, ſed Ieſus mecum erit, tanquã bellator fortis, & tu ſtabis confuſus. Malo potiùs mori, & omnem pœnam ſubire, quàm tibi conſentire. Tace, & obmuteſce, non audiã te amplùs, licet mihi plures moliaris moleſtias. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ

meæ,

meæ, à quo trepidabo? ſi cõſiſtant aduerſum me caſtra, nõ timebit cor meum. Dominus adiutor meus, & redemptor meus. Certa, tanquàm miles bonus: &, ſi interdũ ex fragilitate corruis, reſume vires fortiores prioribus, cõfidens de ampliori gratia mea. Et multum præcaue à vana complacentia, & ſuperbia. Propter hoc multi in errorem ducuntur, & in cæcitatem penè incurabilẽ quandoque labuntur. Sit tibi in cautelam & perpetuam humilitatẽ ruina hæc ſuperborum, de ſe ſtultè prçſumẽtium.

De occultanda gratia, ſub humilitatis cuſtodia.

CAPVT VIII.

FIli, vtiliùs eſt tibi, & ſecurius, deuotionis gratiam abſcondere, nec in altum te efferre, nec multum inde loqui, nec multum põderare: ſed magis temetipſum deſpicere, & tanquam indigno datam timere. Non eſt iſti affectioni tenacius inhærendum, quæ citiùs poteſt mutari in contrarium. Cogita in gratia, quàm miſer & inops eſſe ſoles ſine gratia. Nec eſt in eo tantùm ſpiritalis vitæ profectus cùm conſolationis habueris gratiam, ſed cum humiliter, & abnegatè patientérque tuleris eius ſubtractionem, ita quòd tunc ab orationis ſtudio non torpeas, nec reliqua opera tua ex vſu facienda, omninò dilabi per

mittas:ſed ſicut meliùs potueris,&intellexeris, libenter, quod in te eſt, facias: nec propter ariditatem, ſeu anxietatem mentis,quam ſentis te totaliter negligas. Multi enim ſunt,qui cùm non benè eis ſucceſſerit,ſtatim impatientes fiunt, aut deſides. Non enim ſemper eſt in poteſtate hominis via eius.ſed Dei eſt dare, & conſolari, quando vult,& quantum vult, cui vult,ſicut ſibi placuerit & non amplius. Quidam incauti propter deuotionis gratiã, ſeipſos deſtruxerunt: quia plus agere voluerunt, quàm potuerunt,nõ penſantes ſuæ paruitatis menſurã, ſed magis cordis affectum ſequentes,quàm rationis iudicium:& quia maiora præſumpſerunt, quàm Deo placitum fuit,idcircò gratiã citò perdiderunt. Facti ſunt inopes, & viles relicti:qui in cęlum poſuerunt nidum ſibi,vt humiliati, & depauperati, diſcant nõ in alis ſuis volare, ſed ſub pennis meis ſperare. Qui ad hæc noui ſunt, & imperiti in via Domini, niſi cõſilio diſcretorum ſe regant,faciliùs decipi poſſunt,&eludi. Quòd ſi ſuum ſenſum magis ſequi, quàm alijs exercitatis credere volũt,erit eis periculoſus exitus:ſi tamẽ retrahi à proprio conceptu nõ voluerint. Raro ſibiipſis ſapientes, ab alijs regi humiliter patiuntur. Meliùs eſt modicum ſapere

pere cum humilitate, & parua intelligentia, quàm magni ſciētiarum theſauri cum vana complacentia. Melius eſt tibi minus habere, quàm multum, vnde poſſis ſuperbire. Nō ſatis diſcretè agit, qui ſe totū lætitiæ tradit, obliuiſcēs priſtinæ inopiæ ſuæ & caſti timoris Domini, qui timet gratiam oblatam amittere. Non etiam ſatis virtuosè ſapit, qui tēpore aduerſitatis, & cuiuſlibet grauitatis nimis deſperatè ſe gerit: & minus fidenter de me, quàm oportet, recogitat ac ſentit. Qui tempore pacis nimis ſecurus eſſe voluerit, ſæpè tempore belli nimis deiectus, & formidoloſus reperietur. Si ſcires ſemper humilis, & modicus in te permanere, necnon ſpiritum tuū bene moderari ac regere, non incideres tam citò in periculum & offenſam. Conſilium bonum eſt vt feruoris ſpiritu concepto, mediteris, quid futurū ſit abſcedente lumine. Quod dū contigerit, recogita, & denuò lucem poſſe reuerti, quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriā ad tempus ſubtraxi. Vtilior eſt enim ſæpè talis probatio, quam ſi ſemper proſpera pro tua haberes voluntate. Nam merita non ſunt ex hoc æſtimanda, ſi quis plures viſiones aut conſolationes habeat, vel ſi peritus ſit in ſcripturis, aut in altiori ponatur

gradu,

gradu, ſed ſi in vera fuerit humilitate fundatus, & diuina charitate repletus, ſi Dei honorē purè & integrè ſemper quærat, ſi ſeipſum nihil reputet, & in veritate deſpiciat, atque ab aliis etiam deſpici, & humiliari magis gaudeat, quàm honorari.

De vili æſtimatione ſui ipſius in oculis Dei.

CAPVT IX.

LOquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis. Si me ampliùs reputauero, ecce ſtas contra me, & dicunt teſtimonium verum iniquitates meæ nec poſſum contradicere. Si autem me vilificauero, & ad nihilū redegero, & ab omni propria reputatione defecero, atque, ſicut ſū, pulueriżauero, erit mihi propitia gratia tua, & vicina cordi meo lux tua, & omnis æſtimatio quātulacūque minima, in valle humilitatis meæ ſubmergetur, & peribit in æternum: ibi oſtendes me mihi, quid ſum, quid fui, & de quo veni: quia nihil: & neſciui: ſi mihi ipſi relinquor, ecce nihil, & tota infirmatas: ſi autem ſubitò me reſpexeris, ſtatim fortis efficior, & nouo repleor gaudio, & mirum valdè, quòd ſic repētè ſubleuor, & tam benignè à te cōplector, qui proprio pondere ſemper ad ima feror. Facit hoc amor tuus, gratis præueniens

niens me,& in tam multis ſubueniens neceſſitatibus,à grauibus quoque cuſtodiens me periculis,& ab innumeris (vt verè dicam) eripiens malis. Me ſiquidem malè amãdo,perdidi:te ſolũ requirendo, & purè amando, me & te pariter inueni, atque ex amore tui , profundiùs ad nihilum me redegi. Quia tu,ó Dulciſſime,facis mecum ſuprà meritum omne,& ſuprà id,quod audeo ſperare , vel rogare. Benedictus ſis, Deus meus, quia licet ego omnibus bonis ſim indignus, tua tamen nobilitas, & infinita bonitas,nunquam ceſſat benefacere, etiam ingratis & longè à te auerſis. Conuerte nos ad te,vt ſimus grati,humiles,& deuoti, quia ſalus noſtra tu es, virtus & fortiudo noſtra.

Quòd omnia ad Deum ſicut ad finem vltimum ſunt referenda.

CAPVT X.

FIli,ego debeo eſſe finis tuus ſupremus & vltim⁹,ſi verè deſideras eſſe beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, ſæpiùs ad ſeipſum, & ad creaturas malè incuruatus. Nã, ſi teipſum in aliquo quæris,ſtatim in te deficis, & areſcis : omnia ergo ad me principaliter referas, quia ego ſum,qui omnia dedi. Sic ſingula cõſidera,ſicut ex ſummo bono manãtia:& ideò

ideò ad me tãquam ad ſuã originẽ cuncta ſunt reducenda. Ex me puſillus, magnus, pauper, & diues tanquã ex fonte viuo aquã hauriunt viuã, & qui mihi ſponte & liberè deſeruiũt, gratiã pro gratia accipient. Qui autẽ extra me voluerit gloriari, vel in aliquo priuato bono delectari, nõ ſtabilietur vero gaudio, neque in corde ſuo dilatabitur, ſed multipliciter impedietur, & anguſtiabitur. Nihil ergo tibi de bono adſcribere debes: nec alicui homini virtutem attribuas, ſed totũ da Deo, ſine quo nihil habet homo: ego totũ dedi, ego totũ te habere volo, & cũ magna diſtrictione gratiarũ actiones requiro. Hęc eſt veritas, qua fugatur gloriæ vanitas. Et ſi intrauerit cœleſtis gratia & vera charitas, non erit aliqua inuidia, nec contractio cordis, neque priuatus amor occupabit. Vincit enim omnia diuina charitas, & dilatat omnes animæ vires. Si rectè ſapis, in me ſolo gaudebis, & in me ſolo ſperabis, quia nemo bonus, niſi ſolus Deus, qui eſt ſuper omnia laudandus, & in omnibus benedicendus.

Quòd, ſpreto mundo, dulce eſt ſeruire Deo.

CAPVT XI.

NVnc iterũ loquar, Domine & nõ ſilebo: dicam auribus Dei mei, Domini mei, & regis mei, qui eſt in excelſo: O quã magna

magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abſcondiſti timẽtibus te! Sed quid es amantibus? quid toto corde tibi ſeruiẽtibus? verè ineffabilis dulcedo cõtemplationis tuæ quam largiris amantibus te. In hoc maximè oſtendiſti dulcedinem charitatis tuæ, quia cùm nõ eſſem, feciſti me, & cũ errarẽ lõgè à te, reduxiſti me, vt ſeruirẽ tibi: & præcepiſti, vt diligam te. O fons amoris perpetui, quid dicã de te? Quomodo potero tui obliuiſci, qui mei dignatus es recordari? Etiam poſtquam contabui, & perij, feciſti, vltra omnem ſpem, miſericordiam cum ſeruo tuo, & vltra omne meritum gratiam & amicitiã exhibuiſti. Quid retribuam tibi pro gratia iſta? non enim omnibus datum eſt, vt omnibus abdicatis ſeculo renuncient, & monaſticam vitam aſſumant. Nunquid magnum eſt, vt tibi ſeruiam, cui omnis creatura ſeruire tenetur? Non magnum mihi videri debet ſeruire tibi: ſed potiùs hoc mihi magnum & admirandum apparet, quòd tam pauperẽ & indignum dignaris in ſeruũ recipere, & dilectis ſeruis tuis adunare. Ecce omnia tua ſunt quæ habeo, & vnde tibi ſeruio, veruntamen vice verſa, tu magis mihi ſeruis, quàm ego tibi. Ecce cœlum & terram, quæ in miniſterium hominis creaſti,

præ

præſto ſunt & faciunt quotidie, quæcũque mãdaſti. Et hoc parũ eſt: quin etiam angelos in miniſteriũ hominis creaſti, & ordinaſti. Tranſcẽdi autem hæc omnia: quia tu ipſe ſeruire homini dignatus es, & te ipsũ ei daturum promiſiſti. Quid tibi dabo pro omnibus iſtis mille bonis? Vtinam poſſem tibi ſeruire cunctis diebus vitæ meæ. vtinam vel vna die dignum ſeruitiũ exhibere ſufficerẽ. verè tu es dignus omni ſeruitio, omni honore, & laude ęterna, verè Dominus meus es, & ego pauper ſeruus tuus: qui totis viribus teneor tibi ſeruire, nec vnquã in laudibus tuis debeo faſtidire. Sic volo, ſic deſidero: quicquid mihi deeſt, tu digneris ſupplerę. Magnus honor, magna gloria tibi ſeruire, & omnia propter te cõtemnere. Habebunt enim gratiã magnã qui ſponte ſe ſubiecerunt tuæ ſanctiſſimæ ſeruituti: inuenient ſuauiſſimã ſancti ſpiritus conſolationem, qui pro amore tuo carnalẽ abiecerunt delectationẽ: conſequentur magnam cordis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingredientur viam, & omnem mũdanã neglexerint curã. O grata & iucunda Dei ſeruitus, qua homo veraciter efficitur liber, & ſanctus! O ſacer ſtatus religioſi famulatus: qui hominem angelis reddit æqualẽ, Deo placabilẽ, dæmonibus terri

terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem! O amplectendum, & ſemper optandum ſeruitium, quo ſummum promeretur bonum, & gaudium acquiritur ſine fine manſurum!

Quòd deſideria cordis examinanda ſunt, & moderanda.

CAPVT XII.

FIli, oportet te adhuc multa addiſcere, quæ necdum benè didiciſti. Quæ ſunt hæc, Domine? Vt deſiderium tuum ponas totaliter ſecundùm beneplacitum meum, & tui ipſius amator non ſis, ſed meę volũtatis cupidus amator, & ęmulator. Deſideria te ſæpè accendunt, & vehementer impellunt: ſed cõſidera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis mouearis. Si ego ſum in cauſa, benè contentus eris, quomodocũq; ordinauero. Si autem de proprio quæſitu aliquid latet, ecce hoc eſt, quod te impedit & grauat Caue ergo ne nimium innitaris ſuper deſiderio præ concepto, me nõ conſulto: ne fortè poſtea pœniteat, & diſpliceat quod primo placuit, & quaſi pro meliore zelaſti. Nõ enim omnis affectio, quæ videtur bona, ſtatim eſt ſequẽda, ſed nec omnis contraria affectio ad primum fugienda Expe-

dit interdum refrænatione vti, etiã in bonis ſtudiis, & deſideriis: ne per importunitatem mentis diſtractionem incurras: ne aliis per indiſciplinationem ſcandalũ generes, vel etiam per reſiſtentiam aliorum ſubitò turberis & corruas. Interdum verò oportet violentia vti, & viriliter appetitui sẽſitiuo cõtra ire: nec aduertere, quid velit caro, & quid non velit, ſed hoc magis satagere, vt ſubiecta ſit etiam nolens ſpiritui, donec parata ſit ad omnia: paucíſque contentari diſcat, ac ſimplicibus delectari, nec contra aliquod inconueniens murmurare.

De informatione patientiæ, & luctamine aduerſus concupiſcentias.

CAPVT XIII.

DOmine Deus, vt audio, patientia eſt mihi valdè neceſſaria. Multa enim in hac vita accidunt cõtraria. Nam qualitercunque ordinauero de pace mea, non poteſt eſſe ſine bello & dolore vita mea. Ita eſt fili: non autẽ volo te talẽ quærere pacẽ, quæ tentationibus careat, aut cõtraria nõ ſentiat: ſed tũc etiam exiſtimare te pacem inueniſſe, cùm fueris variis tribulationibus exercitatus, & in multis contrarietatibus probatus. Si dixeris te non multa poſ-

ſe pati, quomodo ſuſtinebis ignem purgatorij? De duobus malis, ſemper minus malum eſt eligendum. Ergo vt æterna futura ſupplicia poſſis euadere, multa præſentia ſtudeas pro Deo æquanimiter tolerare. An putas quòd homines ſeculi huius, nihil aut parũ patiãtur? nec hoc inuenies etiam ſi delicatiſſimos quæſieris. Sed habẽt iniqui multas delectationes, & proprias ſequuntur voluntates, ideóque parum ponderãt ſuas tribulationes. Eſto, quòd ita ſit, vt habeant quicquid voluerint: ſed quãdiu putas durabit? Ecce quemadmodum fumus deficient abundãtes in ſeculo, & nulla erit recordatio præteritorũ gaudiorum. Sed & cùm adhuc ita viuunt, non ſine amaritudine, & tædio, ac timore in eis quieſcunt. Ex eadem namque re, vnde delectationem concipiunt ſibi, inde doloris pœnam frequenter recipiunt. Iuſtè illis fit, vt quia inordinatè delectationes quærunt, & ſequuntur, non ſine amaritudine & confuſione eas explcant. O quàm breues, quàm falſæ, quàm inordinatæ & turpes omnes ſunt. Verumtamen præ ebrietate & cæcitate nõ intelligunt, ſed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vitę delectamentum, mortem animæ incurrent. Tu ergo fili, poſt concupiſcentias tuas non

eas, & à voluntate tua auertere. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: etenim ſi veraciter vis delectari, & abundantiùs à me conſolari, ecce in contemptu omnium mundanorũ, & in abſciſſione omnium infirmarũ delectationum, erit benedictio tua, & copioſa reddetur tibi conſolatio, & quãtò magis te ab omni creaturarum cõſolatione ſubtraxeris, tantò in me ſuauiores, & potẽtiores conſolationes inuenies. Sed primò non ſine quadam triſtitia, & labore certaminis, ad has pertinges. Obſiſtet inſolita cõſuetudo, ſed meliori cõſuetudine deuincetur. Remurmurabit caro, ſed feruore ſpiritus refrænabitur. Inſtigabit te & exacerbabit ſerpens antiquus: ſed oratione fugabitur: inſuper & labore vtili aditus ei magnus obſtruetur.

De obedientia humilis ſubditi, ad exemplum Ieſu Chriſti.

CAPVT XIIII.

FIli, qui ſe ſubtrahare, nititur ab obedĩetia, ipſe ſe ſubtrahit à gratia. Et qui quærit habere priuata, amittit communia, Qui non libenter & ſponte ſuo ſuperiori ſe ſubdit, ſignum eſt, quòd caro ſua necdũ perfectè ſibi obedit, ſed ſæpè recalcitrat, & mermurat. Diſce ergo celeriter ſuperiori

te tuo

te tuo ſubmittere,ſi carnẽ propriam optas ſubiugare. Citiùs nãq; fortè exterior vincitur inimicus,ſi interior homo non fuerit deuaſtatus Non eſt moleſtior & peior animæ hoſtis, quàm tu ipſe tibi,non benè cõcordãs ſpiritui Oportet enimverum te aſſumere tui ipſius cõtemptum:ſi vis præualere aduerſus carnem & ſanguinem , quia adhuc nimis inordinatè diligis : ideò plenè te reſignare aliorũ voluntati trepidas. Sed quid magnum, tu,qui puluis es & nihil, ſi propter Deũ te ſubdis homini, quãdo ego omnipotens & altiſſimus,qui cuncta creaui ex nihilo, me homini , propter te , humiliter ſubieci:factus ſum omnium humillimus,& infimus,vt tuam ſuperbiam mea humilitate vincerem.Diſce obtemperare,puluis, diſce te humiliare, terra & limus, & ſub omniũ pedibus incuruare : diſce voluntates tuas frangere, & ad omniũ ſubiectionem te dare. Exardeſce cõtra te, nec patiaris tumorem in te viuere, ſed ita ſubiectum & paruulũ te exhibe, vt omnes ſuper te ambulare poſſint,& ſicut lutũ platearũ conculcare. Quid habes, homo inanis,cõqueri? Quid ſordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi:qui toties Deũ offẽdiſti, & toties infernũ meruiſti ? Sed pepercit tibi oculus meus: quia

pretioſa fuit anima tua in conſpectu meo: vt cognoſceres dilectionem meam, & gratus ſemper beneficiis meis exiſteres, & ad veram ſubiectionem, & humilitatem te iugiter dares, patientérque proprium contemptum ferres.

De occultis Dei iudiciјs conſiderandis, ne extollamur in bonis.

CAPVT XV.

INtonas ſuper me iudicia tua Domine, & timore ac tremore cõcutis omnia oſſa mea, & expaueſcit anima mea valdè. Sto attonitus, & conſidero, quia cæli non ſunt mundi in cõſpectu tuo. Si in angelis repeꝛiſti prauitatem nec tamẽ pepercisti, quid fiet de me? ceciderunt ſtellæ de cælo, & ego puluis, quid præſumo? Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima: & qui comedebat panem Angelorum vidi ſiliquis delectari porcorum. Nulla eſt ergo ſanctitas, ſi manum tuã Domine, retrahas. Nulla ſapientia prodeſt, ſi gubernare deſiſtas. Nulla iuuat fortitudo, ſi conſeruare deſinas. Nulla ſecura caſtitas, ſi eam non protegas Nulla propria prodeſt cuſtodia, ſi non adſit tua ſancta vigilantia. Nam relicti mergimur, & perimus: viſitati verò viuimus, & erigimur: inſtabiles quippe ſumus, ſed per te confirmamur: tepeſci

peſcimus, ſed à te accendimur. O quàm humiliter, & abiectè mihi de meipſo ſentiendum eſt, quàm nihili pendendũ, ſi quid boni videor habere? O quam profunde me ſubmittere debeo ſub abyſſalibus iudiciis tuis, Domine, vbi nihil aliud me eſſe inuenio, quàm nihil, & nihil? O pondus immẽſum! ô pelagus intranſnatabile! vbi nihil aliud de me reperio, quàm in toto nihil. Vbi eſt ergo latebra gloriæ, vbi confidentia de virtute cõcepta? Abſorpta eſt omnis gloria vana in profunditate iudiciorum tuorum ſuper me. Quid eſt omnis caro in conſpectu tuo? Nunquid gloriabitur lutum contra formantẽ ſe? Quomodo poteſt erigi vaniloquio, cuius cor in veritate ſubiectum eſt Deo? Non eum totus mundus erigeret, quem ſibi ſubiecit veritas: nec omnium laudantiũ ore mouebitur, qui totam ſpem ſuam in Deo firmauit. Nam & ipſi, qui loquũtur, ecce omnes nihil, & deficient cum ſonitu verborum: veritas autem Domini manet in æternum.

Qualiter ſtandum ſit, ac dicendum in omni re deſiderabili.

CAPVT XVII.

FIli, ſic dicas in omni re: Domine, ſi tibi placitum fuerit, fiat hoc ita. Domine, ſi

ſit, honor tuus fiat in nomine tuo hoc. Domine, ſi mihi videris expedire, & vtile eſſe probaueris, tunc da mihi hoc vti ad honorem tuum: ſed ſi mihi nociuum fore cognoueris, nec animæ ſaluti prodeſſe, aufer à me tale deſiderium. Non enim omne deſiderium à ſpiritu ſancto eſt, etiam ſi homini videatur rectum, aut bonum. Difficile eſt pro vero iudicare, an ſpiritus bonus, an alienus te impellat ad deſiderandum hoc vel illud, an etiam ex proprio mouearis ſpiritu. Multi in fine ſunt decepti, qui primò bono ſpiritu videbãtur inducti Igitur ſemper cum timore Dei, & cordis humilitate deſiderandum eſt, & petendum quicquid deſiderabile menti occurrit, maximéque cum propria reſignatione mihi totum committendum eſt, atque dicendum: Domine tu ſcis, qualiter melius eſt: fac hoc, vel illud, ſicut volueris. Da quod vis, & quantum vis, & quando vis. Fac mecum, ſicut ſcis, & ſicut tibi magis placuerit, & maior honor tuus fuerit. Pone me vbi vis, & liberè age mecum in omnibus, in manu tua ego ſum: gyra, & verſa me per circuitum. En ego ſeruus tuus paratus ad omnia: quoniam non deſidero mihi viuere, ſed tibi: vtinam dignè, & perfectè.

Oratio

Oratio pro beneplacito Dei perficiendo.

CAPVT XVII.

COncede mihi benigniſſime Ieſu gratiam tuam, vt mecum ſit, & mecũ laboret, mecúmque vſque in finem perſeueret. Da mihi ſemper deſiderare, & velle, quod tibi magis acceptum & charius placet. Tua voluntas mea ſit: & mea voluntas tuam ſequatur ſemper, & optimè ei concordet: & ſit mihi vnum velle, & nolle tecum, nec aliud poſſe velle, aut nolle, niſi quod vis, & nolis: Da mihi omnibus mori quæ in mundo ſunt, & propter te amare, contemni & neſciri in hoc ſeculo. Da mihi ſuper omnia deſiderata, in te quieſcere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu ſola requies: extra te omnia ſunt dura, & inquieta. In hac pace in idipſum, hoc eſt, in te vno ſummo, & æterno bono dormiam, & requieſcam. Amen.

Quòd verum ſolatium in ſolo Deo eſt requirendum.

CAPVT XVIII.

QVicquid deſiderare, vel cogitare poſſum ad ſolatium meũ, nõ hîc expecto, ſed in poſterum. Quid ſi omnia ſolatia mundi ſolus haberem, & omnibus

delicijs frui poſſem, certum eſt quòd diu durare non poſſent. Vnde non poteris anima mea plenè conſolari, nec perfectè recreari, niſi in Deo conſolatore pauperum, & ſuſceptore humilium. Expecta modicū anima mea, expecta diuinum promiſſum, & habebis abundantiam omnium bonorum in cælo. Si nimis inordinatè iſta appetis præſentia, perdes æterna & cæleſtia. Sint tēporalia in vſu, æterna in deſiderio, non potes aliquo bono temporali ſatiari: quia ad hæc fruenda non es creata. Etiam ſi omnia bona creata haberes, non poſſes eſſe felix & beata, ſed in Deo, qui cuncta creauit, tua beatitudo, & tua felicitas conſiſtit: non qualis videtur, & laudatur à ſtultis mūdi amatoribus: ſed qualem expectant boni Chriſti fideles, & prægustant interdum ſpirituales, ac mūdi corde, quorum conuerſatio eſt in cælis: Vanum eſt, & breue, omne humanum ſolatium. Beatum & verum ſolatium, quod intus à veritate percipitur. Deuotus homo vbique ſecum fert conſolatorem ſuum Ieſum, & dicit ad eum: Adeſto mihi Domine Ieſu in omni loco & tempore. Hęc mihi ſit conſolatio, libēter velle carere omni humano ſolatio. Et ſi tua defuerit conſolatio, ſit mihi tua voluntas, & iuſta probatio,

batio, pro ſummo ſolatio. Nõ enim in perpetuum iraſceris, neque in æternum comminaberis.

Quòd omnis ſolicitudo in Deo ponenda eſt.
CAPVT XIX.

FIlli, ſine me tecũ agere, quod volo. Ego ſcio, quid expediat tibi. Tu cogitas, vt homo: in multis ſentis, ſicut tibi humanus ſuadet affectus. Domine, verum eſt, quod dicis. Maior eſt ſolicitudo tua pro me, quã omnis cura, quam ego poſſum gerere pro me. Nimis enim caſualiter ſtat, qui non proiicit omnem ſolicitudinem ſuam in te, Domine, dummodò voluntas mea recta, & firma ad te permaneat, fac de me, quicquid tibi placuerit. Non enim poteſt eſſe niſi bonum, quicquid de me feceris. Si me vis eſſe in tenebris, ſis benedictus: & ſi me vis eſſe in luce, ſis iterũ benedictus. Si me dignaris conſolari, ſis benedictus, & ſi me vis tribulari, æque ſis ſemper benedictus. Fili ſic oportet te ſtare, ſi mecum deſideras ambulare. Ita promptus debes eſſe ad patiendum, ſicut ad gaudendum. Ita libenter debes eſſe inops, & pauper ſicut plenus & diues. Domine libenter patiar pro me quicquid volueris venire ſuper me. Indifferenter volo de manu tua bonum & malum, dulce & amarũ, lætum & triſte ſuſcipere,

pere, & pro omnibus mihi cõtingentibus gratias agere. Cuſtodi me ab omni peccato, & non timebo mortem, nec infernum: dummodo in æternum me non proijcias, nec deleas me de libro vitæ, non mihi nocebit, quicquid venerit tribulationis ſuper me.

Quòd temporales miſeriæ, Chriſti exemplo, æquanimiter ſunt ferendæ.

CAPVT XX.

Filli mi, ego deſcendi de cęlo pro tua ſalute ſuſcepi tuas miſerias, non neceſſitate, ſed charitate trahente: vt patientiam diſceres, & temporales miſerias non indignãter ferres. Nam ab hora ortus mei, vſque ad exitũ in cruce, non defuit mihi tolerantia doloris: defectum rerum temporalium magnũ habui, multas querimonias de me frequẽter audiui, cõfuſiones, & opprobria benignè ſuſtinui, pro beneficijs ingratitudinem recepi, pro miraculis blaſphemias, pro doctrina reprehẽſiones. Domine, quia fuiſti patiens in vita tua, in hoc maximè implendo præceptum patris tui, dignum eſt, vt ego miſerrimus peccator ſecundùm voluntatem tuam patienter me ſuſtineã, & donec ipſe volueris, onus corruptibilis vitæ pro ſalute mea portẽ. Nam & ſi onerosa ſentitur præſens vita, facta

eſt

eſt tamen iam per gratiã tuam valdè meritoria, atque exemplo tuo, & ſanctorum tuorum veſtigiis, infirmis tolerabilior, & clarior, ſed & multò magis conſolatoria, quàm olim in lege veteri fuerat, cùm porta cæli clauſa perſiſteret, & obſcurior etiam via videbatur, quando tam pauci regnum cælorum quærere curabant: ſed neque qui tunc iuſti erant, & ſaluandi ante paſſionem tuam & ſacræ mortis debitum, cæleſte regnum poterãt introire O quãtas tibi gratias teneor referre, quòd rectam & bonam viã dignatus es mihi, & cunctis fidelibus ad æternum regnum tuum oſtendere: Nã vita tua, via noſtra, & per ſanctam patientiam ambulamus ad te, qui es corona noſtra. Niſi tu nos præceſſiſſes & docuiſſes, quis ſequi curaret? Heu, quot longè, retróque manerent, niſi tua præclara exempla inſpicerent? Ecce, adhuc tepeſcimus, auditis tot ſignis tuis, & doctrinis: quid fieret, ſi tantum lumen ad ſequendum te non haberemus?

De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur.

CAPVT XXI.

QVid eſt quod loqueris, fili? Ceſſa conqueri. Conſidera meam, & ſanctorum paſſionem. Nondum vſque ad ſangui

guinem reſtitiſti. Parum eſt quod tu patеris, in comparatione eorum, qui tam multa paſſi ſunt, tam fortiter tentati, tam grauiter tribulati, tam multipliciter probati & exercitati. Oportet te igitur aliorum grauiora ad mentem reducere, vt leuius feras tua minima. Et ſi tibi minima nõ videntur, vide ne & hoc tua faciat impatientia. Siue tamen parua, ſiue magna ſunt, ſtude cuncta patienter ferre. Quantò melius te ad patiendum diſponis, tantò ſapientius agis, & amplius promereris, & feres leuius animo, & vſu ad hoc non ſegniter paratus. Nec dicas, nõ valeo hoc ab homine tali pati, nec huiuſcemodi mihi patienda ſunt, graue enim intulit damnum, & improperat mihi, quæ nũquam cogitaueram: ſeu ab alio libenter patiar, & ſicut patienda videro. Inſipiens eſt talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ non conſiderat, nec à quo coronanda erit, ſed magis perſonas, & offenſas ſibi illatas perpendit. Non eſt verus patiens, qui non vult pati niſi quantũ ſibi viſum fuerit, & à quo ſibi placuerit. Verus autem patiens non attendit à quo homine, vtrum à prælato ſuo, an ab aliquo æquali, aut inferiori: vtrũ à bono & ſancto viro, an à peruerſo & indigno exerceatur: ſed indifferenter ab omni

creatu

creatura, quantumcumque & quotieſcumque ei aliquid aduerſi acciderit, totum hoc gratanter de manu Dei accipit, & ingens lucrum reputat, quia nihil apud Deũ quãtum libet paruum, pro Deo tamẽ paſſum, poterit ſine merito tranſire. Eſto igitur expeditus ad pugnam, ſi vis habere victoriã. Sine certamine nõ poteris venire ad patiẽtiæ coronã. Si pati nõ vis, recuſas coronari: ſi autẽ coronari deſiras, certa viriliter, ſuſtine patiẽter. Sine labore non tenditur ad requiem, nec ſine pugna peruenitur ad victoriam. Fac mihi Domine poſſibile per gratiã, quod mihi impoſſibile videtur per naturam. Tu ſcis, quòd modicum poſſum pati, & quòd citò deiicior, leui exurgente aduerſitate. Efficiatur mihi quælibet exercitatio tribulationis pro nomine tuo amabilis & optabilis. Nam pati, & vexari pro te, valdè ſalubre eſt animæ meæ.

De confeßione propriæ infirmitatis & huius vitæ miſeriis.

CAPVT XXII.

CONfitebor aduerſum me iniuſtitiam meam: Confitebor tibi Domine infirmitatem meã: Sæpè parua res eſt, quæ me deiicit & contriſtat. Propono me fortiter acturũ: ſed cùm modica tentatio venerit? magna mihi fit anguſtia: valdè vilis quãdo

que

que res eſt, vnde grauis tentatio prouenit, & dum puto me aliquantulú tutú, quum non ſentio inuenio me nonnunquam penè deuictũ ex leui flatu. Vide ergo Domine humilitatem meam, & fragilitatem tibi vndique notam. Miſerere mei, & eripe me de luto vt non infigar, non permaneã deuictus vſquequaque. Hoc eſt, quod me frequenter reuerberat, & corã te confundit; quòd tam labilis ſum, & infirmus ad reſiſtendum paſſionibus. Et ſi non omnino ad conſenſionem trahit, tamen mihi etiã moleſta & grauis eſt eorum inſectatio, & tædet valdè ſic quotidie viuere in lite. Et hinc nota ſit mihi infirmitas mea, quia multò faciliùs irruunt abominãdæ ſemper phantaſiæ, quàm diſcedunt. Vtinã fortiſſimè Deus Iſraël, zelator animarum fidelium reſpicias ſerui tui laborẽ & dolorem, adſiſtaſque illi in omnibus, ad quæcunque perrexit. Robora me cæleſti fortitudine, ne vetus homo, miſera caro, ſpiritui necdum plenè ſubiecta, valeat dominari, aduerſus quam certare oportebit, quandiu ſpiratur in hac vita miſerrima. Heu qualis eſt hæc vita, vbi non deſunt tribulationes, & miſeriæ, vbi plena laqueis & hoſtibus ſunt omnia. Nã vna tribulatione ſeu tentatione recedente, alia ſuccedit: ſed

adhuc

Digitized by Google

huc priore durante conflictu, alij plures ſuperueniunt, & inſperatè. Et quomodo poteſt amari vita habens tantas amaritudines, & tot ſubiecta calamitatibus & miſeriis? Quomodo etiã ducitur vita, tot generans mortes & peſtes, & tamen amatur, & delectari ea à multis quæritur? Reprehenditur frequenter mundus, quòd fallax ſit, & vanus: nec tamen facilè relinquitur: quia cõcupiſcentiæ carnis nimis dominãtur: ſed alia trahunt ad amandum, alia ad contemnendum. Trahunt ad amorẽ mundi, deſiderium carnis, deſiderium oculorum, & ſuperbia vitę: ſed pœnę, ac miſerię ſequentes, ea odium mundi pariunt, & tædium. Sed vincit (proh dolor) delectatio praua mentẽ mundo deditam, & eſſe ſub ſenſibus delicias reputat: quia Dei ſuauitatem & internam virtutis amœnitatem nec vidit, nec guſtauit. Qui autem mundum perfectè contemnunt, & Deo viuere ſub ſancta diſciplina ſtudent, iſti diuinam dulcedinem veris abrenuntiantibus promiſſam non ignorant: & quàm grauiter mundus errat, & variè fallitur, vident.

Quòd in Deo ſuper omnia bona & dona requieſcendum eſt.

CAPVT XXIII.

Digitized by Google

SVper omnia,& in omnibus requieſces, anima mea, in Domino ſemper: quia ipſe eſt ſanctorum æterna requies. Da mihi dulciſſime,& amantiſſime Ieſu, in te ſuper omnem creaturam requieſcere, ſuper omnẽ ſalutẽ & pulchritudinẽ, ſuper omnẽ gloriam & honorem,ſuper omnem potẽtiam & dignitatem,ſuper omnẽ ſcientiam & ſubtilitatem,ſuper omnes diuitias & artes,ſuper omnem lætitiã & exultationem, ſuper omnem famem & laudem, ſuper omnem ſuauitatem & conſolationem,ſuper omnem ſpem & promiſſionem, ſuper omne meritum & deſideriũ, ſuper omnia dona,& munera,quæ potes dare,& infundere: ſuper omne gaudium & iubilationẽ quam poteſt mens capere, & ſentire: denique ſuper omnes Angelos, & archãgelos, & ſuper omnem exercitum cœli, ſuper omnia viſibilia,& inuiſibilia,& ſuper omne quod tu Deus meus non es, quia tu Deus meus ſuper omnia optimus es:tu ſolus potẽtiſſimus,tu ſolus ſufficientiſſimus,& pleniſſimus,tu ſolus ſuauiſſimus,& ſolatioſiſſimus,tu ſolus pulcherrimus,& amantiſſimus, tu ſolus nobiliſſimus, & glorioſiſſimus ſuper omnia: in quo cuncta bona ſimul perfectè ſunt,fuerunt,& erunt. Atque ideò minus eſt, & inſufficiens, quicquid

præter

præter te ipſum mihi donas, vel de teipſo reuelas, vel promittis, te non viſo, nec plenè adepto. Quoniam quidem non poteſt cor meum veraciter requieſcere, nec totaliter contentari, niſi in te requieſcat, & omnia dona, omnéque creaturam tranſcendat. O mi dilectiſſime ſponſe Ieſu Chriſte, amator puriſſime, dominator vniuerſæ creaturæ: quis mihi det pennas veræ libertatis ad volandum, & pauſandum in te? O quando ad plenum dabitur vacare mihi, & videre, quã ſuauis es Domine Deus meus! Quando ad plenum recolligam me in te, vt præ amore tuo non ſentiam me: ſed te ſolum ſuper omnẽ ſenſum, & modum, in modo non omnibus noto? Nũc autem frequenter gemo, & infelicitatem meã cum dolore porto quia multa mala in hac valle miſeriarum occurrunt, quæ me ſæpiùs cõturbant, contriſtant, & obnubilant: ſæpiùs impediunt, & diſtrahũt, alliciunt, & implicant, ne liberum habeam acceſſum ad te, & ne iucundis fruar amplexibus, qui præſto es ſemper beatis ſpiritibus. Moueat te ſuſpirium meum, & deſolatio multiplex in terra. O Ieſu ſplendor æternæ gloriæ, ſolamen peregrinantis animæ, apud te eſt os meum ſine voce, & ſilentium meũ loquitur tibi. Vſque quo tardat venire Domi-

nus meus? Veniat ad me pauperculũ ſuum, & lætum faciat. Mittat manum ſuam, & me miſerum eripiat de omni anguſtia. Veni, veni: quia ſine te nulla erit quieta dies, aut hora, quia tu lætitia mea, & ſine te vacua eſt menſa mea. Miſer ſum, & quodammodo incarceratus, & cõpedibus grauatus, donec luce præſentiæ tuæ me reficias, ac libertate dones, vultúmque amicabilẽ demonſtres. Quærant alij à te aliud quodcũque libuerit, mihi aliud interim nil placet, nec placebit niſi tu Deus meus, ſpes mea, ſalus æterna. Non reticebo, nec deprecari ceſſabo, donec gratia tua reuertatur, mihique tu intus loquaris. Ecce adſum, ecce ego ad te: quia inuocaſti me, lacrymæ tuæ, & deſideriũ animæ tuæ, humiliatio tua, & contritio cordis, inclinauerunt me, & adduxerunt ad te. Et dixi, Domine, inuocaui te, & deſideraui frui te, paratus omnia reſpuere propter te: Tu enim prior excitaſti me, vt quærerem te. Sis ergo benedictus Domine, qui feciſti hãc bonitatem cũ ſeruo tuo ſecundũ multitudinẽ miſericordiæ tuæ. Quid habet vltra dicere Domine ſeruus tuus coram te, niſi vt humiliet ſe valdè ante te, memor ſẽper propriç iniquitatis & vilitatis? Non enim eſt ſimilis tui in cũctis mirabilibus cœli & terræ: sũt opera tua

Digitized by Google

tua bona valdè, Domine, iuſtitia vera, & prouidētia tua reguntur vniuerſa. Laus ergo tibi, & gloria, ô Patris ſapientia: te laudet, & benedicat os meum, anima mea, & cuncta creata ſimul.

De recordatione beneficiorum Dei multipliciũ.

CAPVT XXIV.

APeri Domine cor meum: in lege tua, & in præceptis tuis doce me ambulare. Da mihi intelligere voluntatē tuam, & cum magna reuerentia, ac diligenti cōſideratione beneficia tua, tam in generali, quàm in ſpeciali memorari: vt dignè tibi ex hinc valeam gratias referre: Verũ ſcio, & confiteor ne pro minimo quidem puncto me poſſe debitas gratiarũ laudes perſoluere. Minor ego ſum omnibus bonis mihi præſtitis, & cùm tuam nobilitatem attēdo, deficit præ magnitudine illius ſpiritus meus. Omnia, quæ in anima habemus, & in corpore, quæcũque exterius, vel interius naturaliter poſſidemus, tua ſunt beneficia, & te benficum, pium, ac bonum commendant, à quo bona cuncta accepimus. Et ſi alius plura, alius pauciora accipit, omnia tamen tua ſunt, & ſine te ne minimum quidem haberi poteſt. Ille, qui maiora accepit, nō poteſt merito ſuo gloriari, nec ſuper alios extolli, nec minori in

Digitized by Google

ſultare, quia ille maior, & melior, qui ſibi minus adſcribit, & in regratiando humilior eſt, atque deuotior. Et qui omnibus viliorem ſe exiſtimat, & indigniorem ſe iudicat, aptior eſt ad parcipiendum maiora. Qui autem pauciora accepit, contriſtari non debet, nec indignãter ferre, neque ditiori inuidere: ſed te potiùs attendere, & tuam bonitatẽ maximè laudare: qui tam affluenter, tam gratis, tã libenter ſine perſonarum acceptione, tua munera largiris. Omnia ex te, & ideò in omnibus es laudãdus: tu ſcis quidẽ vnicuique donare, quod expedit, & cur iſte minus, & ille amplius habeat, nõn noſtrum, ſed tuum eſt, hoc diſcernere: apud quem ſingulorum diffinita ſunt merita. Vnde Domine Deus, pro magno etiam reputo beneficio, nõ multa habere, vnde exterius, & ſecundùm homines laus, & gloria appareat: ita quis conſiderata paupertate, & vilitate perſonæ ſuæ non modò grauitatem, aut triſtitiam, vel deiectionem inde concipiãt: ſed potiùs conſolationem, & hilaritatem magnam: quia tu Deus pauperes, humiles, atque huic mundo deſpectos, tibi elegiſti in familiares & domeſticos. Teſtes ſunt ipſi Apoſtoli tui, quos principes ſuper omnem terram conſtituiſti: fuerũt tamen ſine querela conuerſati

ſati in mundo, tam humiles & ſimplices, ſine omni malitia, & dolo, vt etiam pati cõtumelias gauderent pro nomine tuo, & quæ mundus abhorret, ipſi amplecterentur affectu magno. Nihil ergo amatorem tuum, & cognitorem beneficiorum tuorum ita lętificare debet, ſicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ diſpoſitionis tuæ: de qua tantùm cõtentari debet, & conſolari, vt ita libenter velit eſſe minimus, ſicut aliquis optaret eſſe maximus, & ita pacificus, & contẽtus in nouiſſimo, ſicut in loco primo atque ita libenter deſpicabilis & abiectus, nullius quoque nominis & famæ, ſicut cæteris honorabilior, & maior in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui omnia excedere debet, & plus eum conſolari, magíſque placere, quàm omnia beneficia ſibi data, vel danda.

De quatuor, magnam importantibus pacem.

CAPVT XXV.

FIli, nunc docebo te viam pacis, & veræ libertatis. Fac Domine, quod dicis: quia hoc mihi gratum eſt audire. Stude fili alterius potius facere volũtatem, quàm tuam. Elige ſemper minùs, quàm plus habere. Quære ſemper inferiorem locũ, & omnibus ſubeſſe. Opta ſemper, & ora, vt volũtas

Digitized by Google

Dei integrè in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis & quietis. Domine, ſermo tuus iſte breuis, multum in ſe continet perfectionis, paruus eſt dictu, ſed plenus ſenſu, & vberi fructu. Nam, ſi poſſet à me fideliter cuſtodiri, non deberet tã facilis in me turbatio oriri. Nam quoties me impacatum ſentio & grauatũ, ab hac doctrina me receſſiſſe inuenio. Sed tu, qui omnia potes, & animę profectum ſemper diligis, adauge maiorẽ gratiam, vt poſſim tuum complere ſermonem, & meam perficere ſalutem.

Oratio contra cogitationes malas.

CAPVT XXVI.

DOmine Deus meus, ne elongeris à me: Deus meus, in auxilium meum reſpice, quoniam inſurrexerunt in me cogitationes vanę, & timores magni affligẽtes animã meã. Quomodo pertranſibo illæſus? quomodo perfringam eos? Ego, inquit, ante te ibo: & glorioſos terræ humiliabo, aperiã ianuam carceris, & arcana ſecretorũ reuelabo tibi. Fac Domine, vt loquaris & fugiãt à facie tua omnes iniquæ cogitationes. Hęc ſpes & vnica conſolatio mea, ad te in omni tribulatione cõfugere, tibi confidere, ex intimo inuocare, & patienter conſolationem tuam expectare

Oratio

Oratio pro illuminatione mentis deuotiſſima.

CAPVT XXVII.

CLarifica me bone Ieſu, claritate æterni luminis, & educ de habitaculo cordis mei tenebras vniuerſas: cohibe euagationes multas, & elide vim facientes tentationes. Pugna fortiter pro me, & expugna malas beſtias, concupiſcentias dico illecebroſas, vt fiat pax in virtute tua, & abundãtia laudis tuæ reſonet in aula ſancta, hoc eſt in conſcientia pura. Impera ventis & tempeſtatibus, dic mari, quieſce, dic Aquiloni, ne flaueris, & erit trãquillitas magna, emitte lucem tuam, & veritatẽ tuam, & luceat ſuper terram: quia terra ſum inanis, & vacua, donec illumines me. Effunde gratiã tuam deſuper, perfunde cor meum gratia cœleſti, miniſtra deuotionis aquas ad irrigandã faciẽ terræ, ad producendum fructum bonum & optimum: eleua mentem preſſam mole peccatorum, & ad cœleſtia totum deſiderium meum ſuſpende, vt, guſtata ſuauitate supernæ felicitatis, pigeat de terrenis cogitare. Rape me, & eripe me ab omni creaturarũ indurabili conſolatione, quia nulla res creata appetitum meum plenariè valet quietare, & conſolari. Iunge me tibi inſeparabili di-

lectionis vinculo, quoniã tu ſolus amanti ſufficis, & abſque te friuola ſunt vniuerſa.

De euitatione curioſæ inquiſitionis ſuper alterius vita.

CAPVT XXVIII.

FIli, noli eſſe curioſus, nec vacuas gere ſolicitudines. Quid hoc, vel illud ad te? tu me ſequere. Quid enim ad te, vtrum ille ſit talis, vel talis? aut iſte ſic agat, vel loquatur? Tu nõ indiges reſpõdere pro alijs ſed pro teipſo rationẽ reddes. Quid ergo te implicias? Ecce, ego omnes cognoſco, cũcta quę ſub ſole fiunt, video, & ſcio, qualiter cũ vnoquoq; fiat, quid cogitet q̃d velit, & ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur committenda ſunt omnia. Tu verò ſerua te in bona pace, & dimitte agitantem agitare, quantum voluerit. Veniet ſuper eum, quicquid fecerit, vel dixerit: quia me fallere non poteſt. Non tibi ſit curæ de magni nominis vmbra, & de multorum familiaritate, nec de priuata hominum dilectione: iſta enim generant diſtractiones, & magnas in corde obſcuritates. libenter loquerer tibi verbum meum, & abſcondita reuelarem, ſi aduentum meum diligenter obſeruares, & oſtiũ cordis mihi aperires. Eſto prouidus, & vigila in orationibus, & humilia te in omnibus.

In

In quibus firma pax cordis, & verus profectus conſiſtit.

CAPVT XXIX.

FIli, ego locutus ſum: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, nõ quomodo mundus dat, ego do vobis. Pacem omnes deſiderant: ſed quæ ad verã pacem pertinent, non omnes curant. Pax mea cum humilibus, & manſuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. Si me audieris, & vocem meam ſequutus fueris, poteris multa pace frui. Quid igitur faciam? in omni re attende tibi, quid facias, & quid dicas, & omnem intentionem ad hoc dirige, vt mihi ſoli placeas, & extra me nihil cupias, vel quæras, ſed & de aliorum dictis, vel factis nihil temerè iudices: nec rebus tibi non commiſſis te implices. & poteri fieri, vt raro turberis. Nunquam autem ſentire aliquam turbationem, nec pati aliquã cordis, vel corporis moleſtiam, non eſt præſentis temporis, ſed ſtatus æternæ quietis. Non ergo exiſtimes, te veram pacem inueniſſe, ſi nullam ſenſeris grauitatem, nec tunc totum eſſe bonum, ſi neminem patiaris aduerſarium: nec hoc eſſe perfectũ, ſi cuncta fiunt ſecundùm cor tuum: neque tũc aliquid magni te reputes, aut ſpecialiter dilectum exiſtimes, ſi in

magna

magna fueris deuotione, atque dulcedine: quia in iſtis non cognoſcitur verus amator virtutis, nec in iſtis cõſiſtit profectus & perfectio hominis. In quo ergo Domine? in offerendo te ex toto corde tuo voluntati diuinæ, nõ quærẽdo quæ tua ſunt, nec in paruo, nec in magno, nec in tempore, ne in æternitate: ita vt vna & æquali facie in gratiarum actione permaneas inter proſpera, & cõtraria, omnia æqua lance penſando. Si fueris tam fortis, longanimis in ſpe, vt ſubtracta interiori conſolatione, etiam ad ampliora ſuſtinenda cor tuum præparaueris, nec te iuſtificaueris, & ſanctum laudaueris: tunc in vera & recta via pacis ambulabis, & ſpes indubitata erit, quòd rurſus in iubilo faciem meam ſis viſurus. Quòd ſi ad plenum tuiipſius contemptum perueneris, ſcito, quòd tunc abundantia pacis perfrueris, ſecundùm poſſibilitatem tui incolatus.

De eminentia liberæ mentis, & quòd supplex oratio, magis meretur quàm lectio.

CAPVT XXI.

DOmine, hoc opus eſt perfecti viri nũquam ab intentione cœleſtiũ animũ laxare, & inter multas curas, quaſi ſine cura tranſire, non more torpentis, ſed præroga

rogatiua quadam liberæ mẽtis nulli crea-
turæ inordinata affectione adhærendo.
Obſecro te, pijſſime Deus meus, præſerua
me à curis huius vitæ, ne nimis implicet
multis neceſſitatibus corporis, ne volu-
ptate capiar, ab vniuerſis animæ obſtacu-
lis: ne moleſtijs fractus deijciar. Non dico
ab his rebus quas toto affectu ambit vani-
tas mundana, ſed ab his miſerijs, quæ ani-
mã ſerui tui cõmuni maledicto mortali-
tatis pœnaliter grauant, & retardant ne in
libertatem ſpiritus, quoties libuerit, valeat
introire. O Deus meus, dulcedo ineffabi-
lis, verte mihi in amaritudinẽ, omnẽ con-
ſolationem carnalem, & ab æternorum a-
more me abſtrahẽtem, & ad ſe intuitu cu-
iuſdam boni delectabilis præſentis malè
allicientem. Non me vincat Deus meus,
non vincat caro & ſanguis, non me deci-
piat mundus & breuis gloria eius, non me
ſupplantet diabolus, & aſtutia illius. Da
mihi fortitudinem reſiſtendi, patientiam
tolerandi, conſtantiam perſeuerãdi, da pro
omnibus mundi conſolationibus ſuauiſſi-
mam ſpiritus tui vnctionem, & pro carnali
amore, tui nominis infunde amorem. Ecce
cibus, potus, veſtis, ac cætera vtenſilia, ad
corporis ſuſtentaculũ pertinentia, feruenti
ſpiritui ſunt oneroſa. Tribue, talibus fo-
mentis,

mentis temperatè vti, non deſiderio nimio implicari. Abiicere omnia non licet: quia natura ſuſtentanda eſt: requirere autem ſuperflua, & quæ magis delectant, lex ſancta prohibet: nam aliàs caro aduerſus ſpiritum inſoleſceret: inter hæc quæſo manus tua me regat & doceat, ne quid nimium fiat.

Quòd priuatus amor à ſummo bono maximè retardat.

CAPVT XXXI.

FIli, oportet te dare totũ pro toto, & nihil tuiipſius eſſe ſinito, quia amor tui ipſius magis nocet tibi, quàm aliqua res mundi. Secundum amorẽ & affectum, quẽ geris, quęlibet res plus, vel minùs adhęret. Si fuerit amor tuus purus, ſimplex, & benè ordinatus, eris ſine captiuitate rerũ Noli cõcupiſcere, quod nõ licet habere. Noli habere, quod te poteſt impedire, & libertate interiori priuare. Mirùm, quòd non ex toto fundo cordis teipſum mihi committis, cũ omnibus, quæ deſiderare potes, vel habere. Quare vano mœrore cõſumeris? Cur ſuperfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitũ meũ & nullum patiaris detrimentũ. Si quæris hoc, vel illud, & volueris eſſe ibi vel ibi, propter tuũ commodum & propriũ beneplacitũ magis habendũ, nunquam

quam eris in quietudine, nec liber à ſolicitudine: quia in omni re reperietur aliquis defectus, & in omni loco erit, qui aduerſetur. Iuuat igitur non quælibet res adepta, vel multiplicata exterius, ſed potiùs contempta, & euulſa ex corde radicitùs. Quod non tantùm de cenſu æris & diuitiarum intelligas, ſed de honoris etiam ambitu, ac vanę laudationis deſiderio: quæ omnia tranſeunt cũ mundo. Munit parum locus, ſi deeſt ſpiritus feruoris. Nec diu ſtabit pax illa quæſita forinſecus, ſi vacat fundamento ſtatus cordis, hoc eſt, niſi ſteteris in me, permutare te potes, ſed non meliorare. Nam occaſione orta, & accepta, inuenies quod fugiſti, & amplius.

Oratio pro purgatione cordis, & cæleſti ſapientia.

CAPVT XXXII.

COnfirma me, Deus, per gratiã ſancti ſpiritus. da virtutẽ corroborari in interiori homine, & cor meũ ab omni inutili ſolicitudine & languore euacuare, nec variis deſideriis trahi cuiuſcũque rei, vilis aut pretioſæ: ſed omnia inſpicere ſicut trãſeũtia, & me pariter cũ illis trãſiturũ: quia nihil permanẽs ſub ſole: ſed omnia vanitas & afflictio ſpiritus. O q̃ ſapiens qui iſta

conſi

conſiderat? Da mihi, Domine cœleſtem ſapientiam, vt diſcam te ſuper omnia quęrere, & inuenire, ſemper omnia ſapere, & diligere, & cætera ſecundùm ordinem ſapientię tuę, prout ſunt, intelligere. Da prudenter declinare blandientem, & patienter ferre aduerſantem: quia hæc magna virtus ſapientiæ, non moueri omni vento verborum, nec aurem malè blandienti præbere Sireni: ſic enim incœpta pergitur via ſecurè.

Contra linguas obtrectatorum.

CAPVT XXXIII.

FIli, nõ ægrè feras, ſi quidam de te malè ſenſerint, & dixerint, quòd nõ libenter audias. Tu deteriora de teipſo ſentire debes, & neminem inferiorem te credere. Si ambulas abintra, non multùm ponderabis volantia verba. Eſt nõ parua prudentia ſilere in tempore malo, & introrſus ad me conuerti, nec humano iudicio diſturbari. Non ſit pax tua in ore hominũ: ſiue enim benè, ſiue malè interpretati fuerint non ideò es alter homo. Vbi eſt vera pax, & vera gloria. Nonne in me? Et qui non appetit hominibus placere, nec diſplicere timet, multa perfruetur pace? Ex inordinato amore, & vano timore oritur omnis inquietudo cordis, & diſtractio ſenſuum

Quæ

Qualiter inſtante tribulatione Deus inuocandus eſt, & benedicendus.

CAPVT XXXIIII.

SIt nomen tuum, Domine, benedictum in ſecula, qui voluiſti hanc tentationem & tribulationem venire ſuper me. Non poſſum eam effugere, ſed neceſſe habeo ad te confugere: vt me adiuues, & in bonum mihi conuertas. Domine, modò ſum in tribulatione, & nõ eſt cordi meo benè, ſed multum vexor à præſenti paſſione. Et nunc pater dilecte, quid dicam? deprehenſus ſum inter anguſtias: ſaluifica me ex hora hac: ſed propterea veni in hanc horã, vt tu clarificeris, cùm fuero valdè humiliatus, & per te liberatus. Complaceat tibi, Domine, vt eruas me; nam ego pauper quid agere poſſum? & quo ibo ſine te? Da patientiam, Domine, etiam hac vice. Adiuua me, Deus meus, & non timebo, quãtuncunq; grauatus fuero. Et nũc inter hæc quid dicam? Domine, fiat volũtas tua. Ego bene merui tribulari, & grauari: oportet vtique vt ſuſtineã, & vtinam patiẽter, donec tranſeat tempeſtas, & melius fiat. Potens eſt autem omnipotens manus tua etiam hanc tentationem à me auferre, & eius impetum mitigare, ne penitùs ſuccumbam, quemadmodum & prius ſæpè

egiſti mecum, Deus meus, miſericordia mea, & quantò mihi difficilius, tantò tibi facilior eſt hæc mutatio dexteræ tuæ, quæ eſt Excelſi.

De diuino petendo auxilio: & confidentia recuperandæ gratiæ.

CAPVT XXXV.

FIlli, ego Dominus confortās in die tribulationis. Venias ad me, cùm tibi non fuerit benè. Hoc eſt, quod maximè impedit conſolationem cæleſtem: quia tardius conuertis te ad orationem. Nam antè quã me interroges, multa interim ſolatia quęris & recreas te in externis: ideóque fit, vt parum omnia proſint: nec aduertis, quia ego ſum, qui eruo ſperantes in me: nec eſt extra me valēs auxilium neque vtile conſilium, ſed neque durabile remedium. Sed iam reſumpto ſpiritu, poſt tempeſtātē recõualeſce in luce miſerationum mearum, quia propè ſum, dicit Dominus, vt reſtaurem vniuerſa, non ſolùm integrè, ſed & abundanter & cumulatè. Nunquid mihi quicquam eſt difficile? aut ero ſimilis dicenti & non facienti? Vbi eſt fides tua? ſta firmiter, & perſeueranter. Eſto longanimis, & vir fortis: veniet tibi conſolatio tēpore ſuo, expecta me, expecta: veniam,

Digitized by Google

& curabo te. Tentatio eſt, quæ te vexat, & formido vana, quæ te exterret, quid importat ſolicitudo de futuris contingentibus, niſi vt triſtitiã ſuper triſtitiam habeas? Sufficit diei malitia ſua. Vanum eſt, & inutile, de futuris conturbari, vel gratulari, quæ fortè nunquam euenient, ſed humanum eſt huiuſmodi imaginationibus illudi, & parui adhuc animi ſignum, tam leuiter trahi à ſuggeſtione inimici. Ipſe enim non curat, an veris, an falſis illudat, & decipiat, & vtrũ præſentium amore, an futurorũ formidine proſternat. Non ergo turbetur cor tuum, neque formidet. Crede in me, & in miſericordia mea habeto fiduciam. Quando tu te elongatum æſtimas à me, ſæpè ſum propinquior: quãdo tu æſtimas totum perditũ, tunc ſæpè magis merendi inſtat lucrum: nõ eſt totũ perditum, quãdo res accidit in contrariũ. Non debes iudicare ſecundùm præſens ſentire: nec ſic grauitati alicui vndecũque venienti inhærere, & accipere, tanquam omnis ſpes ſit ablata emergẽdi. Noli putare te derelictũ ex toto, quãuis ad tẽpus miſerim tibi aliquam tribulationem, vel etiam optatam ſubtraxerim cõſolationem: ſic enim tranſitur ad regnum cælorum. Et hoc ſine dubio magis expedit tibi & cæteris ſeruis

meis, vt excitemini aduerſis, quàm ſi cuncta ab libitum haberetis. Ego noui cogitationes abſconditas, quia multùm expedit pro ſalute tua, vt interdum ſine ſapore relinquaris, ne fortè eleueris in bono ſucceſſu: & tibiipſi placere velis in eo, quòd nō es. Quod dedi, auferre poſſum, & reſtituere, cùm mihi placuerit: cùm dedero, meum eſt: cùm ſubtraxero, tuum non tuli: quia meum eſt omne datum bonum, & omne donum perfectum. Si tibi miſerim grauitatem, aut quamlibet cōtrarietatem, non indigneris, neque concidat cor tuum: ego citò ſubleuare poſſum, & omne onus in gaudium tranſmutare. Veruntamen iuſtus ſum, & commendabilis multùm, cùm ſic facio tecum. Si rectè ſapis, & in veritate aſpicis, nunquàm debes propter aduerſa tam deiectè cōtriſtari: ſed magis gaudere, & gratias agere: imò hoc vnicum putare gaudium, quòd affligens te doloribus, nō parco tibi. Sicut dilexit me pater, ego diligo vos: dixi dilectis diſcipulis meis: quos vtique non miſi ad gaudia temporalia, ſed ad magna certamina: non ad honores, ſed deſpectiones: non ad otium, ſed ad labores: non ad requiem, ſed ad afferendum fructum multum in patientia. Horum memento, fili mi, verborum.

De

De neglectu omnis creaturæ, vt creator poſsit inueniri.

CAPVT XXXVI.

DOmine mi, adhuc bene indigeo maiori gratia, ſi debeam illuc peruenire, vbi me nemo poterit, nec vlla creatura, impedire. Nam, quandiu res aliqua me retinet, non poſſum liberè ad te volare. Cupiebat liberè volare, qui dicebat, Quis dabit mihi pennas ſicut columbę, & volabo, & requieſcam? Quid ſimplici oculo quietius? & quid liberius, nihil deſiderāte in terris? Oportet igitur omnē pertranſire creaturā, & ſeipſam perfectè deſerere, ac in exceſſu mentis ſtare, & videre te omniū conditorem cū creaturis nil ſimile habere. Et niſi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit liberè intendere diuinis. Ideò enim pauci inueniuntur contemplatiui, quia pauci ſciūt ſe à perituris creaturis ad plenū ſequeſtrari. Ad hoc magna requiritur gratia, quæ animam leuet, & ſupra ſeipſam rapiat: & niſi homo ſit in ſpiritu eleuatus, & ab omnibus creaturis liberatus, ac Deo toto vnitus, quicquid ſcit, quicquid etiam habet, non eſt magni ponderis. Diu paruus erit, & in terra iacebit, qui aliquid magni æſtimat, niſi ſolum vnum immenſum æternum bonum. Et

quicquid Deus non eſt, nihil eſt, & pro nihilo computari debet. Eſt quippe magna differētia, ſapiētia illuminati, & deuoti viri, & ſcientiæ literati, & ſtudioſi clerici. Multò nobilior eſt illa doctrina, quæ de ſurſum ex diuina influentia manat, quàm quæ laborioſè humano acquiritur ingenio: plures reperiuntur contemplationem deſiderare: ſed quæ ad eā requiruntur, non ſtudent exercere. Eſt & magnum impedimentum: quia in ſignis, & in rebus ſenſibilibus ſtatur, & parū de perfecta mortificatione habetur. Neſcio quid eſt, & quo ſpiritu ducimur & quid prætēdimus, qui ſpiritales dici videmur: qui totum laborē, & ampliorem ſolicitudinem pro tranſitorijs, & vilibus rebus agimus, & de interioribus noſtris vix rarè plenè recollectis ſenſibus cogitamus. proh dolor! ſtatim poſt modicā recollectionē foras erumpimus, nec opera noſtra diſtricta examinatione trutinamus, vbi iacent affectus noſtri, attendimus, & quā impura ſint omnia noſtra, non deploramus. Omnis quippe caro corruperat viā ſuā, & ideò ſecutū eſt diluuium magnū. Cū ergo interior affectus noſter corruptus ſit, neceſſe eſt, vt actio ſequens, iudex carentiæ interioris vigoris, corrumpatur. Ex puro corde procedūt fructus bonæ

vitæ:

vitæ: quantum quis fecerit, quæritur: ſed ex quanta virtute agit, non tam ſtudioſè penſatur. Si fuerit fortis, diues, pulcher, habilis, vel bonus ſcriptor, bonus cãtor, bonus laborator, inueſtigatur: quàm pauper ſit ſpiritu, quàm patiens, & mitis, quàm deuotus, & internus, à multis tacetur. Natura exteriora hominis reſpicit, gratia ad interiora ſe conuertit: illa frequenter fallitur: iſta in Deo ſperat, vt non decipiatur.

De abnegatione ſui, & abdicatione omnis cupiditatis.

CAPVT XXXVII.

FIli, non potes perfectè poſſidere libertatẽ, niſi totaliter abneges temetipsũ. Compediti ſunt proprietarij, & ſuiipſius amatores, cupidi, curioſi, gyrouagi, quærentes ſemper mollia, nõ quæ ſunt Ieſu Chriſti, ſed ſæpè hoc fingentes, & cõponentes, quod nõn ſtabit: peribit enim totum quod nõ eſt ex Deo ortũ. Tene breue & cõſummatũ verbum: dimitte omnia, & inuenies omnia. Dimitte cupiditatem, & inuenies requiem. Hoc mente pertracta & cùm impleueris, omnia intelliges. Domine, hoc non eſt opus vnius diei, nec ludus paruulorum: imò in hoc breui includitur omnis perfectio religioſorũ. Fili, non debes auerti, nec ſtatim deiici, audita via perfectorũ:

ſed magis ad ſublimiora prouocari, & ad minus ad hæc ex deſiderio ſuſpirare. Vtinam ſic tecum eſſet, & ad hoc perueniſſes, vt tuiipſius amator nō eſſes: ſed ad nutum meum purè ſtares, & eius, quē tibi præpoſui, patris: tunc mihi valdè placeres, & tota via tua cum gaudio & pace trāſiret. Habes adhuc multa ad relinquendum, quæ niſi mihi ex integro reſignaueris, non recipies quod poſtulas. Suadeo tibi, à me emere aurum ignitum, vt locuples fias, id eſt ſapientiam cæleſtē omnia infirma conculcantem: poſtpone terrenā ſapientiam, omnem humanam complacētiam & propriam. Dixit tibi, viliora emenda pro pretioſis, & altis in rebus humanis. Nam valdè vilis, & parua, ac benè obliuioni tradita videtur vera cæleſtis ſapientia, nō ſapiens alta de ſe, nec magnificari quærens in terra, quam multi ore tenus prædicāt: ſed vita longè diſſentiunt. Ipſa tamen eſt pretioſa margarita, multis abſcondita.

De inſtabilitate cordis & de intentione finali ad Deum habenda.

CAPVT XXXVIII.

FIli, noli credere affectui tuo, qui nunc eſt, citò mutabitur in aliud. Quandiu enim vixeris, mutabilitati ſubiectus eris, etiam nolens: vt modò lætus, modò triſtis,

triſtis, modò pacatus, modò turbatus, nunc deuotus, nunc indeuotus, nunc ſtudioſus, nunc acedioſus, nunc grauis, nunc leuis inueniaris. Sed ſtat ſuper hæc inſtabilia ſapiens, & benè doctus in ſpiritu: non attẽdens, quid in ſe ſentiat, vel qua parte flet ventus inſtabilitatis: ſed vt tota intentio mẽtis eius ad debitũ, & ad optimum proficiat finem. Nam ſic poterit vnus & idem inconcuſſus permanere, ſimplici intentionis oculo per tot varios euẽtus ad me iam impretermiſsè directo. Quanto autem purior fuerit intentionis oculus, tanto conſtantiùs inter diuerſas itur procellas. Sed in multis caligat oculus intentionis: reſpicit enim citò in aliquod delectabile, quod occurrit, & rarò totus liber quis inuenitur à næuo propriæ exquiſitionis. Sic Iudæi olim venerant in Bethaniam ad Martham, & Mariam: non propter Ieſum tantùm, ſed vt Lazarum viderent. Mũdandus eſt ergo intentionis oculus, vt ſit ſimplex & rectus: atque vltra omnia varia media ad me dirigendus.

Quòd amanti ſapit Deus ſuper omnia & in omnibus.

CAPVT XXXIX.

ECce Deus meus, & omnia. Quid volo amplius, & quid felicius deſiderare

poſſum? O ſapidum, & dulce verbum: ſed amanti verbum, non mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Deus meus, & omnia intelligenti, ſatis dictum eſt: & ſæpè repetere, iucundum eſt amãti. Te ſiquidem præſente iucunda ſunt omnia: te autem abſente, faſtidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillũ & pacem magnã, lætitiámque feſtiuam Tu facis benè ſentire de omnibus, & in omnibus te laudare: nec poteſt aliquid ſine te diu placere ſed ſi debet gratum eſſe, & bene ſapere, oportet gratiam tuam adeſſe, & condimento tuæ ſapientiæ condiri. Cui tu ſapis, quid ei rectè non ſapiet? & cui tu nõ ſapis, quid ei ad iucunditatem eſſe poterit? Sed deficiunt in tua ſapiẽtia mundi ſapiẽtes, & qui carnem ſapiunt: quia ibi plurima vanitas, & hìc mors inuenitur. Qui autem te per contemptum mundanorum, & carnis mortificationem ſequũtur, verè ſapiẽtes eſſe cognoſcuntur: quia de vanitate ad veritatem, de carne ad ſpiritũ transferuntur. Iſtis ſapit Deus, & quicquid inuenitur in creaturis, totum referunt ad laudem ſui Conditoris. Diſſimilis tamen, & multum diſſimilis ſapor Creatoris, & creaturæ eſt, æternitatis, & temporis, lucis increatæ, & lucis illuminatæ. O lux perpetua cuncta creata tranſcendens lumina, fulgura, coruſcati

ruſcationem de ſublimi, penetrantem omnia intima cordis mei: purifica, lætifica, clarifica, & viuifica ſpiritum meũ cum ſuis potentiis ad inhærendum tibi iubiloſis exceſſibus. O quãdo veniet hæc beata & deſiderabilis hora, vt tua me ſaties præſentia, ſis mihi omnia in omnibus. Quandiu hoc datũ non fuerit, nec plenum gaudium erit. Adhuc (proh dolor) viuit in me vetus homo, non eſt totus crucifixus, nõ eſt perfectè mortuus. Adhuc concupiſcit fortiter aduerſus ſpiritum, bella mouet inteſtina: nec regnum animæ patitur eſſe quietum. Sed tu, qui dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum eius mitigas, exurge, adiuua me, diſſipa gentes, quæ bella volunt: contere eas in virtute tua. Oſtende quæſo magnalia tua, & glorificetur dextera tua: quia non eſt ſpes alia, nec refugium mihi niſi in te domine Deus meus.

Quòd non eſt ſecuritas à tentatione in hac vita.

CAPVT XL.

FIli, nunquam ſecurus es in hac vita: ſed quoad vixeris, ſemper arma ſpiritalia tibi ſunt neceſſaria Inter hoſtes verſaris, à dextris, & à ſiniſtris impugnaris Si ergo nõ vteris vndiq; ſcuto patiẽtiæ, nõ eris diu ſine vulnere. Inſuper, ſi nõ ponis cor tuum

fixè

Digitized by Google

fixè in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorẽ iſtũ ſuſtinere, nec ad palmam pertingere beatorũ. Oportet te ergo viriliter omnia pertranſire, & potenti manu vti aduerſus obiecta. Nam vincenti datur manna, & torpenti relinquitur multa miſeria. Si quæris in hac vita requiem, quomodo tunc peruenies ad æternã? Non cõponas te ad multam requiem, ſed ad magnam patientiam. Quære veram pacem, non in terris, ſed in cælis, nõ in hominibus, nec in cęteris creaturis: ſed in Deo ſolo: pro amore Dei debes omnia libenter ſubire: labores ſcilicet, & dolores, tentationes, vexationes, anxietates, neceſſitates, infirmitates, iniurias, oblocutiones, reprehenſiones, humiliationes, cõfuſiones, correctiones, & deſpectiones. Hæc iuuant ad virtutes, hæc probant Chriſti tyronem, hæc fabricant cæleſtem coronam. Ego reddam ei æternam mercedem, pro breui labore, & infinitam gloriã pro trãſitoria cõfuſione. Putas, quòd ſemper habebis pro tua voluntate conſolationes ſpirituales? Sancti mei non habuerunt tales: ſed multas grauitates, & tentationes varias, magnáſque deſolationes: ſed patiẽter ſuſtinuerunt ſe in omnibus, & magis ſunt confiſi Deo quàm ſibi, ſcientes quia non

non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam promerendam. Vis tu ſtatim habere, quod multi poſt lacrimas, & magnos labores vix obtinuerunt? Expecta Dominum, viriliter age, & confortare: noli deficere, noli diſcedere: ſed corpus, & animam expone conſtanter pro gloria Dei. Ego reddã pleniſſimè: ego tecum ero in omni tribulatione.

Contra vana hominum iudicia.

CAPVT XLI.

FIli, iacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas iudicium vbi te cõſcientia pium reddit, & inſontem. Bonum eſt & beatum taliter pati, nec hoc erit graue humili corde, & Deo magis, quã ſibiipſi confidenti: multi multa loquuntur, & ideò parua fides eſt adhibenda. Sed & omnibus ſatis eſſe, non eſt poſſibile. Et ſi Paulus omnibus ſtuduit in Domino placere, & omnibus omnia factus eſt: tamẽ etiã pro minimo duxit, quòd ab humano die iudicatus fuerit. Egit ſatis pro aliorũ ædificatione, & ſalute, quantum in ſe erat, & poterat: ſed ne ab aliis aliquãdo iudicaretur, vel non deſpiceretur, cohibere non potuit. Ideò totum Deo commiſit: qui totum nouerat, & patientia, & humilitate, contra ora loquentium iniqua, ac etiam vana

vana, ac mendoſa cogitantium, atque pro libito ſuo quæque iactantium ſe defendit. Reſpondit tamen interdũ, ne infirmis ex ſua taciturnitate generaretur ſcandalum. Quid tu timeas à mortali homine iudicari? Hodie eſt, & cras non comparet. Deum time, & hominũ terrores non expaueſces. Quid poteſt aliquis in te verbis, aut iniuriis? Sibi potius nocet quàm tibi, nec poterit iudiciũ Dei effugere, quicũque eſt ille. Tu habe Deum præ oculis, & noli contendere verbis querulosis. Quòd ſi ad pręsẽs videris ſuccumbere, & confuſionem pati, quam non meruiſti, ne indigneris ex hoc neque per impatientiam minuas coronam tuam, ſed ad me potiùs reſpice in cælum, qui potens ſum eripere ab omni cõfuſione, & iniuria, & vnicuique reddere ſecundùm opera ſua.

De pura & integra reſignatione ſui, ad obtinendam cordis libertatem.

CAPVT XLII.

FIli, relinque te, & inuenies me. Sta ſine electione & omni proprietate, & ſemper lucraberis. Nam & adiicietur tibi amplior gratia ſtatim vt temet reſignaueris, nec reſumpſeris. Domine, quoties me reſignabo, & in quibus me relinquã? Sẽper, & in omni hora ſicut in paruo, ſic & in magno:

gno: nihil excipio, ſed in omnib. te nudatũ inuenire volo. Alioquin quomodo poteris eſſe meus, & ego tuus, niſi fueris ab omni propria voluntate intus & foris ſpoliatus? Quantò celerius hoc ages, tantò melius habebis: & quantò plenius & ſincerius, tantò plus mihi placebis, & amplius lucraberis. Quidam ſe reſignant, ſed cũ aliqua exceptione: nõ enim plenè Deo cõfidunt: ideò prouidere ſibi ſatagũt. Quidam etiam primò totum offerũt: ſed poſteà tentatione pulſante, ad propria redeũt. ideò minimè in virtute proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem, & iucundæ familiaritatis meæ gratiam nõ pertingẽt, niſi integra reſignatione, & quotidiana ſui immolatione priùs facta, ſine qua non ſtat, nec ſtabit vnio fruitiua. Dixi tibi ſæpiſſimè, & nunc iterũ dico, relinque te, reſigna te, & frueris magna interna pace. Da totum pro toto, nil exquire, nil repete, ſta purè, & inhæſitãter in me, & habebis me. Eris liber in corde, & tenebræ nõ conculcabunt te. Ad hoc conare, hoc ora, hoc ſtude deſiderare, vt ab omni proprietate poſſis expoliari, & nudus mecum Ieſum ſequi, tibi mori, & mihi æternaliter viuere. Tunc deficient omnes vanæ phãtaſiæ, conturbationes iniquæ & curæ ſuperfluæ:

tunc

tunc etiam recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur.

De bono regimine in externis, & recurſu ad Deum in periculis.

CAPVT XLIII.

FIli, ad iſtud diligenter tẽdere debes, vt in omni loco, affectione, ſeu occupatione externa ſis interius liber, & tui ipſius potẽs, & ſint omnia ſub te, & nõ tu ſub eis, vt ſis dominus actionum tuarũ, & rector, non ſeruus, nec emptitius, ſed magis exemptus, verúſque Hebræus in ſortem ad libertatem tranſiens filiorum Dei: qui ſtãt ſuper præſentia, & ſpeculantur æterna, qui tranſitoria intuentur ſiniſtro oculo, & dextero cæleſtia, quos temporalia nõ trahunt ad inhærendum, ſed trahunt ipſi ea magis ad benè ſeruiendum, pro vt ordinata ſunt à Deo, & inſtituta à ſummo Opifice: qui nil inordinatum relinquit in ſua creatura. Si etiam in omni euentu ſtas non in apparentia externa, nec oculo carnali colluſtras viſa vel audita, ſed mox in quali bet cauſa intras cum Moſe in tabernaculum ad conſulendum Dominum, audies nõnunquam diuinum reſponſum, & redibis inſtructus de multis præſẽtibus, & futuris: ſemper enim Moſes recursũ habuit

ad

ad tabernaculum pro dubijs,& quæſtionibus ſoluendis,fugitque ad orationis adiutorium pro periculis, & improbitatibus hominum ſubleuandis Sic & tu confugere debes in cordis tui ſecretorium, diuinum intentius implorando ſuffragium. Propterea namque Ioſuë, & filij Iſraël à Gabaonitis leguntur decepti,quia os Domini non prius interrogauerunt: ſed nimium creduli dulcibus ſermonibus, falſa pietate deluſi ſunt.

Ne homo non ſit importunus in negotijs.

CAPVT XLIIII.

FIli, committe mihi ſemper cauſam tuam,& ego benè diſponam in tempore ſuo. Expecta ordinationem meam & ſenties inde profectum. Domine, ſatis libenter omnes res tibi committo: quia parū poteſt cogitatio mea proficere. Vtinam non multum adhærerem futuris euentibus,ſed ad beneplacitum tuum me incunctanter offerrem. Fili mi, ſæpè homo rem aliquam agitat, quam deſiderat: ſed cùm ad eam peruenerit, aliter incipit ſentire: quia affectiones circa idem non ſunt durabiles.ſed magis de vno in aliud nos impellunt Non ergo minimum eſt, etiam in minimis ſe relinquere Verus profectus hominis eſt abnegatio ſuiipſius: & homo ab

Digitized by Google

negatus, valdè liber eſt, & ſecurus. Sed antiquus hoſtis omnibus bonis aduerſans, à tentatione nõ ceſſat, & die noctúque graues molitur inſidias, ſi fortè in laqueum deceptionis poſſit præcipitare incautum. Vigilate ergo, & orate, dicit Dominus, vt non intretis in tentationem.

Quòd homo nihil boni ex ſe habet, & de nullo gloriari poteſt.

CAPVT XLV.

DOmine, quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quia viſitas eum? Quid promeruit homo, vt dares illi gratiam tuam? Domine, quid poſſum conqueri; ſi deſeris me? aut quid iuſtè obtendere poſſum, ſi, quod peto, non feceris? certè hoc in veritate cogitare poſſum, & dicere, Domine nihil ſum, nihil boni ex me habeo, ſed in omnibus deficio, & ad nihil ſemper tendo: & niſi à te fuero adiutus, & interiùs informatus, totus efficior tepidus, & diſſolutus. Tu autem Domine, ſemper idem ipſe es, & permanes in æternum, ſemper bonus, iuſtus & ſanctus, benè & iuſtè, ac ſanctè agens omnia, & diſponens in ſapientia. Sed ego, qui ad defectum magis pronus ſum, quàm ad profectum, non ſum ſemper in vno ſtatu perdurans,

durans, quia ſemper tēpora mutantur ſuper me. Veruntamen citò meliùs fit, cùm tibi placuerit, & manum porrexeris adiutricem, quia tu ſolus ſine humano ſuffragio poteris auxiliari, & intantū confirmare, vt vultus meus ampliùs in diuerſa non mutetur: ſed in te vno cor meū conuertatur, & quieſcat. Vnde, ſi benè ſcirem omnē humanam conſolationem abijcere, ſiue propter deuotionē adipiſcendam, ſiue propter neceſſitatē, qua cōpellor te quærere, quia non eſt homo, qui me conſoletur, tunc meritò poſſem de gratia tua ſperare, & de dono nouæ conſolationis exultare. Gratias tibi ago, vnde totum venit, & quotieſcūque mihi benè ſuccedit. Ego autem vanitas, & nihilum ante te, inconſtans homo, & infirmus. Vnde ergo poſſum gloriari? aut cur appeto reputari: Nunquid de nihilo? & hoc vaniſſimum eſt. Verè inanis gloria, mala peſtis, vanitas maxima: quia à vera trahit gloria, & cœleſti ſpoliat gratia. Dum enim homo cōplacet ſibi, diſplicet tibi: dum inhiat laudibus humanis, priuatur veris virtutibus: eſt autem vera gloria, & exultatio ſancta, gloriari in te, & nō in ſe gaudere in nomine tuo, nō in virtute propria, nec in aliqua creatura delectari, niſi propter te. Laudetur nomen tuum,

non meum: magnificetur opus tuum, non meum: benedicatur nomen ſanctum tuũ: nihil autem attribuatur mihi de laudibus hominũ. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei: in te gloriabor, & exultabo tota die: Pro me autem nihil niſi in infirmitatibus meis. Quærant Iudæi gloriam, quę ab inuicem eſt, ego hanc requiram, quæ à ſolo Deo eſt. Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ tuę comparata, vanitas eſt, & ſtultitia. O veritas mea, & miſericordia mea, Deus meus, Trinitas beata, tibi ſoli laus, virtus honor, & gloria per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

De contemptu omnis temporalis honoris.

CAPVT XLVI.

FIli, noli, tibi attribuere, ſi videas alios honorari, & eleuari, te autẽ deſpici, & humiliari: erige cor tuũ ad me in cœlum, & non contriſtabit te contemptus hominis in terris. Domine, in cæcitate ſumus, & vanitate citò ſeducimur. Si rectè me inſpicio, nunquàm mihi facta eſt iniuria ab aliqua creatura, vnde nec iuſtè habeo conqueri aduerſum te. Quia autẽ frequenter, & grauiter peccaui tibi, meritò armatur contra

contra me omnis creatura. Mihi igitur iuſtà debetur cõfuſio, & cõtemptus: tibi autẽ laus, honor, & gloria. Et niſi me ad hoc pręparauero, quòd velim libenter ab omni creatura deſpici, & relinqui, atque penitus nihil videri, non poſſum interius pacificari, & ſtabiliri, nec ſpiritualiter illuminari, neque plenè tibi vniri.

Quòd pax non eſt ponenda in hominibus.

CAPVT XLVII.

FIlii, ſi ponis pacem tuam cum aliqua perſona propter tuum cõſentire, & cõuiuere, inſtabilis eris, & impacatus. Sed ſi recurſum habes ad ſemper viuẽtem, & manentem veritatem, nõ cõtriſtabit te amicus recedens, aut moriens. In me debet amici dictio ſtare & propter me diligendus eſt quiſquis tibi bonus viſus eſt, & multum charus, in hac vita. Sine me non valet nec durabit amicitia, nec eſt vera & munda dilectio, quam ego non copulo. Ita mortuus deberes eſſe talibus affectionibus dilectorum hominum, vt quantum ad te pertinet, ſine omni humano optares eſſe conſortio. Tanto homo Deo magis appropinquat, quãto ab omni ſolatio terreno longius recedit. Tantò etiam altius aſcendit ad Deum, quanto profundius in ſe deſcendit, & plus ſubiipſi vileſcit. Qui

Digitized by Google

autem aliquid boni ſibi attribuit, gratiam Dei in ſe venire impedit: quia gratia ſpiritus ſancti, cor humile ſemper quærit. Si ſcires te perfectè annihilare, atque ab omni creato amore euacuare, tunc deberem in te cum magna gratia manere. Sed quando tu reſpicis ad creaturas, ſubtrahitur tibi aſpectus Creatoris. Diſce te in omnibus propter Creatorem vincere, tunc ad diuinã valebis cognitionẽ pertingere. Quantumcunque modicum ſit, ſi inordinatè diligitur, & deſpicitur, retardat à ſummo bono, & vitiat.

Contra vanam, & ſecularem ſcientiam.

CAPVT XLVIII.

FIli, non moueant te pulchra, & ſubtilia dicta hominum: non enim eſt regnum Dei in ſermone, ſed in virtute. Attende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant, inducunt compunctionem & veram ingerunt conſolationem. Nunquam ad hoc legas verbum, vt doctior, aut ſapientior poſſis videri, ſed ſtude mortificationem vitiorum: quia hoc amplius tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæſtionum. Cùm multa legeris, & cognoueris, ad vnum tantũ oportet venire principium. Ego ſum, qui doceo hominem

minem ſcientiam: & clariorem intelligentiam paruulis tribuo, quàm ab homine poſſit doceri. Cui ego loquor, citò ſapiens erit & multum in ſpiritu proficiet. Væ illis, qui multa curioſa ab hominibus inquirunt, & de via mihi ſeruiendi parum curant. Veniet tempus, quando apparebit magiſter magiſtrorum, Chriſtus, Dominus angelorum, cunctorum auditurus lectiones, hoc eſt, ſingulorũ examinaturus conſcientias: & tunc ſcrutabitur Hieruſalem in lucernis, & manifeſta erunt abſcondita tenebrarum, tacebúntque argumenta linguarum. Ego ſum qui humilem in puncto eleuo mentem, vt plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm ſi quis decem annis ſtuduiſſet in ſcholis. Ego doceo ſine ſtrepitu verborum, ſine cõfuſione opinionum, ſine faſtu honoris, ſine pugnatione argumentorum. Ego ſum, qui doceo terrena déſpicere, præſentia faſtidire, æterna quærere, æterna ſapere, honores fugere, ſcandala ſufferre, omnem ſpem in me ponere, & vltra me nil cupere, & ſuper omnia ardenter me amare. Nam quidam amãdo me intimè, didicit diuina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quàm in ſtudendo ſubtilia. Sed alijs loquor communia, alijs ſpecialia:

aliquibus in ſignis, & figuris dulciter appareo: quibuſdam verò in multo lumine reuelo myſteria. Vna vox librorum, ſed non omnes æquè informat: quia intus ſum doctor veritatis, cordis ſcrutator, cogitationum intellector, actionum promotor, diſtribuens ſingulis, ſicut dignum iudicauero.

De non attrahendo ſibi res exteriores.

CAPVT XLIX.

FIli, in multis oportet te eſſe inſcium, & æſtimare te tanquam mortuum ſuper terram, & cui totus mundus crucifixus ſit. Multa etiam oportet ſurda aure pertranſire, & quæ tuæ pacis ſunt, magis cogitare. Vtilius eſt oculos à rebus diſplicentibus auertere, & vnicuique ſuum ſentire relinquere, quàm contentioſis ſermonibus deſeruire. Si benè ſteteris cum Deo, & eius iudicium aſpexeris, faciliùs te victum portabis. O domine, quò deuenimus? Ecce damnum defletur temporale: pro modico quæſtu laboratur, & curritur, & ſpiritale detrimentum in obliuionem tranſit, & vix ſerò reditur; quod parum, vel nihil prodeſt attenditur, & quod ſummè neceſſarium eſt, negligenter præteritur: quia totus homo ad externa defluit, & niſi citò reſipiſcat, libens in exterioribus iacet.

Digitized by Google

Quòd omnibus non eſt credendum, & de facili lapſu verborum.

CAPVT L.

DA mihi auxilium Domine, de tribulatione: quia vana ſalus hominis. Quã ſępè ibi non inueni fidem, vbi me habere putaui! Quoties etiam ibi reperi, vbi minùs pręſumpſi? Vana ergo ſpes in hominibus: ſalus autẽ iuſtorum, in te, Deus. Benedictus ſis, Domine Deus, in omnibus quæ nobis accidũt: infirmi ſumus, & inſtabiles: citò fallimur, & permutamur. Quis eſt homo, qui ita cautè & circunſpectè in omnibus ſe cuſtodire valet, vt aliquãdo in aliquam deceptionem, vel perplexitatem non veniat? Sed qui in te, Domine, cõfidit, ac ſimplici te corde quærit, non tam facilè labitur. Et ſi inciderit in aliquam tribulationem, quomodocunque etiã fuerit implicatus, citiùs per te eruetur, aut à te cõſolabitur, quia tu non deſeris in te ſperantem, vſque in finẽ. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perſeuerãs preſſuris. Tu Domine, tu ſolus es fideliſſimus in omnibus, & præter te non eſt alter talis. O quàm benè ſapuit illa anima ſancta, quæ dixit: Mẽs mea ſolidata eſt, & in Chriſto fundata. Si ita mecum foret, nõ tam facilè timor humanus me ſollicitaret, nec verborũ iacula

Digitized by Google

mouerẽt: quis omnia præuidere quis præcauere futura mala ſufficit? Si præuiſa etiã lædunt ſæpè, quid improuiſa niſi grauiter etiam feriunt? Sed quare mihi miſero non meliùs prouidi: cur etiam tam facilè alijs credidi? Sed homines ſumus, nec aliud quã fragiles homines ſumus, etiam ſi angeli à multis æſtimamur & dicimur. Cui credam Domine, cui credam, niſi tibi? Veritas es, quæ non fallis, nec falli potes. Omnis homo mendax, infirmus, inſtabilis, & labilis, maximè in verbis, ita vt ſtatim vix credi debeat, quod rectum in facie ſonare videtur. Quàm prudenter præmonuiſti cauendum ab hominibus: & quia inimici hominis domeſtici eius: nec credendum ſi quis dixerit, ecce hìc, aut ecce illic? Doctus ſum damno meo & vtinã ad cautelam maiorẽ, & nõ ad inſipientiã mihi. Cautus eſto, quidam ait, cautus eſto, ſerua apud te, quod dico. Et dum ego ſileo, & abſcõditum credo, nec ille ſilere poteſt, quod ſilẽdum petijt: ſed ſtatim perdit me, & ſe, & abijt. Ab huiuſmodi fabulis, & incautis hominibus ptege me, Domine, ne in manus eorũ incidã, nec vnquã talia cõmittã: verbũ verũ, & ſtabile da in os meũ, & linguã callidam longe fac à me. Quod pati nolo, omni modo cauere debeo. O quàm bonũ, & pacificum,

cum de aliis ſilere, nec indiffeſ ẽter omnia credere, neque de facili vlterius effari: paucis ſe ipſum reuelare, te ſemper inſpectorẽ cordis quærere: nec omni vento verborum circunferri, ſed omnia intima, & externa ſecũdùm tuæ beneplacitum voluntatis optare perfici. Quàm tutum pro cõſeruatione cæleſtis gratiæ humanã fugere apparãtiam, nec appetere, quæ foris admirationem videntur præbere, ſed ea tota ſedulitate ſectari, quæ vitæ emandationem dant, & feruorem? Quàm multis nocuit virtus ſcita, ac præproperè laudata! quàm ſanè profuit gratia ſilentio ſeruata in hæc fragili vita, quæ tota tentatio fertur, & militia.

De confidentia in Deo habenda, quando inſurgunt verborum iacula.

CAPVT LI.

FIli, ſta firmiter, & ſpera in me. Quid enim ſunt verba, niſi verba? Per aërem volant, ſed vt lapis non lædunt. Si reus es cogita, quod te libenter velis emendare. Si nihil tibi conſcius es, penſa, quòd velis libenter pro Deo hoc ſuſtinere. Parũ eſt, vt vel verba interdũ ſuſtineas, qui necdũ fortia verbera tolerare vales. Et quare tã parua tibi ad cor trãſeũt, niſi quia adhuc car

Digitized by Google

nalis es, & homines magis quàm oportet attendis: Nam quia deſpici metuis, reprehendi pro exceſſibus nō vis, & excuſationū quæris vmbracula. Sed inſpice te melius, & agnoſces, quia viuit adhuc in te mūdus, & vanus amor placēdi hominibus. Cùm enim quaſſari refugis & confundi pro defectibus, cōſtat vtique quòd nec verè humilis ſis, nec verè mūdo mortuus, nec tibi mūdus crucifixus. Sed audi verbū meū, & nō curabis decē millia hominum verba. Ecce, ſi cuncta cōtra te dicerentur, quæ fingi malitioſiſſimè poſſent, quid tibi noceret, ſi omnino trāſire permitteres, nec plus quàm feſtucam perpēderes? Nunquid vel vnū capillum tibi extrahere poſſent? Sed qui cor intus non habet, nec Deū præoculis: faciliter verbo mouetur vituperationis: qui autem in me confidit, nec proprio iudicio ſtare appetit, abſque humano terrore erit. Ego enim ſum iudex, & cognitor omnium ſecretorū: ego ſcio qualiter res acta eſt, ego iniuriātem noui, & ſuſtinentē. A me exit verbū iſtud, me permittente, hoc accidit: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, ego reum & innocentē iudicabo: ſed occulto iudicio vtrunque antè probare volui. Teſtimoniū hominum ſæpè fallit: meum iudiciū verum eſt:

Digitized by Google

eſt:ſtabit,& non ſubuertetur:lacet plerunque, & paucis ad ſingula patet, nunquam tamē errat, nec errare poteſt, etiam ſi oculis inſipientium non rectum videatur. Ad me ergo recurrēdum eſt in omni iudicio, nec proprio innitendum arbitrio. Iuſtus enim nō cōturbabitur, quicquid à Deo ei acciderit. Etiam ſi iniuſtè aliquid contra eum prolatum fuerit, nō multum curabit. Sed nec vadè exultabit, ſi per alios rationabiliter excuſetur. Penſat namque, quia ego ſum ſcrutans corda, & renes: qui non iudico ſecundùm faciem, & humanam apparentiam. Nam ſæpè in oculis meis reperitur culpabile, quod hominum iudicio creditur laudabile. Domine Deus, iudex iuſte, fortis, & patiens, qui hominum noſti fragilitatem, & prauitatē, eſto robur meū, & tota fiducia mea. Nō enim mihi ſufficit conſcientia mea: tu noſti, quòd ego nō noui: & ideo in omni reprehenſione me humiliare debui, & māſuetè ſuſtinere. Ignoſce ergo mihi propitiùs, quoties ſic non egi, & dona iterū gratiam amplioris tolerantiæ. Melior enim mihi tua copioſa miſericordia ad conſecutionem indulgētiæ, quàm mea opinata iuſtitia pro defenſione patentis conſcientiæ. Et ſi nihil mihi conſcius ſum, tamen in hoc me iuſtificare non

poſſum

poſſum: quia remota miſericordia tua, non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuẽs.

Quod omnia grauia pro æterna vita toleranda ſunt.

CAPVT LII.

FIli non frangãt te labores, quos aſſumpſiſti propter me, nec tribulationes te deijciant vſquequaque: ſed mea promiſſio in omni euentu te roboret, & conſoletur. Ego ſufficiens ſum ad reddendum ſupra omnem modum & menſuram. Non hîc diu laborabis, nec ſemper grauaberis doloribus. Expecta pauliſper, & videbis celerẽ finẽ malorũ, veniet vna hora, quãdo ceſſabit omnis labor, & tumultus; Modicum eſt, & breue omne, quod tranſit cum tẽpore. Age ergo, vt agis: fideliter labora in vinea mea: ego ero merces tua: Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, ſuſtine viriliter contraria. Digna eſt his omnibus, & maioribus prælijs vita æterna. Veniet pax in die vna, quæ nota eſt Domino, & erit nõ dies, nec nox, huius ſcilicet tẽporis, ſed lux perpetua, claritas infinita, pax firma, & requies ſecura. Non dices tunc: Quis me liberabit de corpore mortis huius? nec clamabis: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, quoniam præcipitabitur mors, & ſalus erit indeficiens: anxietas nulla,

nulla, iucunditas beata, ſocietas dulcis & decora. O ſi vidiſſes ſanctorum in cœlo coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultant gloria, qui huic mundo olim cõtemptibiles, & quaſi vita ipſa indigni putabantur, profectò te ſtatim humiliares vſque ad terrã, & affectares potiùs omnibus ſubeſſe, quàm vni præeſſe: nec huius vitæ lætus dies concupiſceres, ſed magis pro Deo tribulari gauderes: & pro nihilo inter homines computari, maximum lucrum duceres. O ſi tibi hæc ſaperent, & profundè ad cor tranſirent, quomodo auderes vel ſemel conqueri? Nonne pro vita æterna cuncta laborioſa ſunt toleranda? non eſt paruum quid lucrari, aut perdere regnum Dei: leua igitur faciem tuam in cœlum. Ecce ego & omnes ſancti mei mecum, qui in hoc ſeculo magnum habuere certamen, modò gaudent, modò conſolantur, modò ſecuri ſunt, & modò requieſcũt, & ſine fine in regno patris mei permanebunt mecum.

De die æternitatis, & huius vitæ anguſtijs

CAPVT LIII.

O Supernæ ciuitatis mãſio beatiſſima! O dies æternitatis clariſſima: quam nox nõ obſcurat: ſed ſumma veritas ſemper irradiat: dies ſemper læta, sẽper ſecura,

&

& nunquam ſtatum mutans in contraria, O vtinam dies illa illuxiſſet, & cuncta hęc temporalia finem accepiſſent. Lucet quidem ſanctis perpetua charitate ſplendida, ſed nō niſi à longè, & per ſpeculum peregrinantibus in terra. Norūt cœli ciues, quā gaudioſa ſit illa: gemunt exules filij Euæ, quàm amara & tædioſa ſit iſta dies huius temporis pauci, & mali, pleni doloribus & anguſtijs, vbi homo multis peccatis inquinatur, multis paſſionibus irretitur, multis timoribus ſtringitur, multis curis diſtenditur, & multis curioſitatibus diſtrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circunfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus grauatur, delicijs eneruatur, egeſtate cruciatur. O quādo finis horū multorū laborū? Quando liberabor à miſera ſeruitute vitiorū? Quādo memorabor, Domine, tui ſolius? quādo ad plenū lętabor in te? Quādo ero ſine omni impedimento, & in vera libertate ſine omni grauamine mētis, & corporis? Quādo erit pax ſolida, pax imperturbabilis, & ſecura, pax intus, & foris, pax omni parte firma? Ieſu bone, quādo ſtabo ad vidēdū te? quādo contemplabor gloriā regni tui? quando eris omnia in omnibus? O quando ero tecū in regno tuo, quod præparaſti dilectis tuis

tuis ab æterno: Relictus ſum pauper, & e-
xul in terra hoſtili, vbi bella quotidiana,
& infortunia maxima. Conſolare exilium
meũ, mitiga dolorẽ meũ, quia ad te ſuſpi-
rat omne deſiderium meũ. Nã onus mihi
totum eſt, quicquid mundus hic offert ad
ſolatium. Deſidero te intimè frui, ſed ne-
queo apprehẽdere. Opto inhærere cæleſti-
bus, ſed deprimunt res temporales, & im-
mortificatę paſſiones. Mentẽ omnibus re-
bus ſupereſſe volo, carni autẽ inuitè ſubeſ-
ſe cogor. Sic ergo infelix homo, mecũ pu-
gno, & factus ſum mihi metipſi grauis, dũ
ſpiritus ſurſum, & caro quærit eſſe deor-
ſum. O quid intus patior, dũ mẽte cæleſtia
tracto, & mox carnaliũ cogitationũ turba
occurrit orãnti! Deus meus, ne elongeris à
me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Fulgura
coruſcationẽ tuã, & diſſipa eas: emitte ſa-
gittas tuas, & cõturbentur omnes phanta-
ſiæ inimici. Recollige ſenſus meos ad te,
fac me obliuiſci omniũ mũdanorũ. Da ci-
tò abiicere, & cõtẽnere phãtaſmata vitio-
rũ. Succurre mihi, æterna veritas, vt nulla
me moueat vanitas. Adueni cęleſtis ſuaui-
tas, & fugiat à facie tua omnis impuritas.
Ignoſce quoq; mihi, & miſericorditer in-
dulge, quoties præter te aliud in oratione
reuoluo: confiteor enim verè, quia valdè

valdè

diſtractè me habere conſueuj. Nã ibi multoties nõ ſum, vbi corporaliter ſto, aut ſedeo: ſed ibi magis ſum, quò cogitationibus feror: ibi ſum, vbi cogitatio mea eſt: vbi eſt frequenter cogitatio mea ibi eſt id quod amo. Hoc mihi citò occurrit, quod naturaliter delectat aut ex vſu placet. Vnde tu veritas apertè dixiſti: Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Si cœlum diligo, libẽter de cæleſtibus penſo. Si mundũ amo felicitatibus mũdi cõgaudeo, & de aduerſitatibus eius triſtor. Si carnẽ diligo, quæ carnis ſunt ſæpiſſimè imaginor. Si ſpiritum amo, de ſpiritualibus cogitare delector. Quæcunque enim diligo, de his libenter loquor, & audio: atque taliũ imagines ad domum mecũ porto. Sed beatus ille homo, qui propter te Domine, omnibus creaturis abeundi licentiã tribuit, qui naturæ vim facit, & concupiſcentia carnis feruore ſpiritus crucifigit: vt ſerenata cõſcientia, puram tibi orationem offerat, dignúſque ſit angelicis intereſſe choris, omnibus terrenis foris & intus excluſis.

De deſiderio æternæ vitæ, & quanta ſint certantibus bona promiſſa.

CAPVT LIV.

FIli mi cùm tibi deſideriũ æternæ beatitudinis deſuper infundi ſentis, & de

taber

tabernacalo coporis exire concupis, vt claritatem meã ſine viciſſitudinis vmbra contemplari poſſis, dilata cor tuũ, & omni deſiderio hanc ſanctã inſpirationem ſuſcipe. Redde ampliſſimas ſupernæ bonitati gratias: quæ tecum ſic dignãter agit, clementer viſitat, ardenter excitat, potenter ſubleuat, ne proprio põdere: ad terrena labaris. Neque enim hoc cogitatu tuo, aut conatu accipis, ſed ſola dignatione ſupernæ gratiæ, & diuini aſpectus quatenus virtutibus, & maiori humilitate proficies: & ad futura certamina te præpares, mihíque toto cordis affectu adhærere, ac feruenti voluptate ſtudeas deſeruire. Fili, ſępè ignis ardet, ſed ſine fumo flamma non aſcendit. Sic& aliquorum deſideria ad cæleſtia flagrãt: &tamẽ à tentatione carnalis affectus liberi non ſunt. Idcircò nec omnino purè pro honore Dei agũt, quod tã deſiderãter ab eo petũt. Talle & ſæpe tuũ deſideriũ, quod inſinuaſti eſſe tam importunum. Nõ enim eſt hoc purũ & perfectũ quod propria commoditate eſt infectum. Pete, non quod tibi eſt delectabile, & commodum, ſed quod mihi acceptabile eſt atque honorificum: quia ſi rectè iudicas, meam ordinationem tuo deſiderio, & omni deſiderato præferre debes, ac ſequi. Noui deſi-

derium tuum, & frequenter gemitus audiui. Iam velles eſſe in libertate gloriæ filiorum Dei, iam te delectat domus æterna, & cæleſtis patria gaudio plena: ſed nondum venit hora iſta, ſed eſt adhuc tempus belli, videlicet tempus laboris, & probationis. Optas ſummō repleri bono, ſed nō potes hoc aſſequi modo. Ego ſum, expecta me, dicit dominus, donec veniat regnum Dei. Probandus es adhuc in terris: & in multis exercitandus: conſolatio tibi interdum dabitur: ſed copioſa ſatietas non cōcedetur. Confortare igitur, & eſto robuſtus tam in agendo, quàm in patiendo naturæ contraria. Oportet nouum induere hominem, & in alterum virum mutari. Oportet te ſæpè agere, quod non vis, & quod oportet te relinquere. Quod aliis placebit, ſucceſſum habebit: quod tibi placet, vltra non proficiet. Quod alij dicunt, audietur: quod tu dicis, pro nihil cōputabitur. Petēt alij & accipiēt: tu petes, nec impetrabis. Erunt alij magni in ore hominū: de te autem tacebitur. Aliis hoc vel illud cōmittetur, tu autē ad nihil vtilis iudicaberis. Nam propter hoc natura aliquando contriſtabitur, & magnum certamen ſubſtinebit: ſed magnum bonū inde cōſequeris, ſi ſilēs portaueris. In his, & ſimilibus multis probari

ſolet

ſolet fidelis Domini ſeruus,qui ſe abnegare,in omnibus frangere quęrit. Vix eſt aliquid tale,in quo tantundem mori indiges, ſicut in nõ videri,& pari,quę voluntati tuę aduerſa ſunt, maximè autẽ cùm diſconueniẽtia,& quę minus vtilia tibi apparẽt,fieri iubentur. Et quia nõ audes reſiſtere altiori Poteſtati,ſub Domino cõſtitutus, id durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare, & omne proprium ſentire omittere. Sed penſa, fili, horum laborum celerem finẽ,atque præmium nimis magnum, & non habebis inde grauamẽ:ſed fortiſſimum patiẽtiæ tuæ ſolamen. Nã & pro modica hac voluntate,quam nunc ſponte deſeris,habebis ſemper voluntatem tuam in cælo. Ibi quippe inuenies omne, quod volueris, omne, quod deſiderare potes. Ibi aderit tibi totius facultas boni, ſine timore amittendi. Ibi voluntas tua vna ſemper mecum nil cupiet extraneum, vel priuatũ: ibi nullus reſiſtet tibi, nemo de te cõqueretur,nemo impediet, nil obuiabit:ſed cũcta deſiderata ſimul erunt pręsẽtia,totúmque affectum tuum reficient, & adimplebunt vſq; ad ſummum. Ibi reddam gloriã pro cõtumelia perpeſſa,pallium laudis pro mœrore,pro loco nouiſſimo,ſedẽ regni in ſecula. Ibi apparebit fructus obedientiæ,

gaudebit labor pœnitẽtiæ, & humilis ſubiectio coronabitur glorioſè Nunc ergo te inclina humiliter ſub omnium manibus: nec ſit curæ, quis hoc dixerit, vel iuſſerit: ſed hoc magnopere curato, vt, ſiue prælatus, ſiue minor, aut æqualis aliquis à te expoſcerit, vel innuerit, pro bono totum accipias, & ſyncera voluntate ſtudeas adimplere quærat alius hoc, aliud illud glorietur, ille in illo, & iſte in iſto; lauderurq; millies in mille: tu autem nec in iſto, nec in illo, ſed in tuiipſius gaude cõtẽptu, & in mei ſolius beneplacito, ac honore. Hoc optandum eſt tibi, vt ſiue per vitã, ſiue per mortem, Deus ſemper in te glorificetur.

Qualiter homo deſolatus debeat in manus Dei ſe offerre.

CAPVT LV.

DOmine Deus, ſancte pater, ſis nunc, & in ęternum benedictus: quia ſicut vis, factum eſt, & quod facis, bonum eſt. Lætetur in te ſeruus tuus, non in ſe, nec in aliquo alio, quia tu ſolus lætitia vera, tu ſpes mea, & corona mea, tu gaudium meum, & honor meus, Domine. Quid habet ſeruus tuus, niſi quod à te accepit, etiã ſine merito ſuo? Tua ſunt omnia, quæ dediſti, & quę feciſti: pauper ſum & in laboribus à iuuẽtute

tute mea:& cõtriſtatur anima mea nonnũquã vſque ad lacrymas,quãdoque etiã cõturbatur à ſe, propter imminentes paſſiones. Deſidero pacis gaudiũ, pacẽ filiorum flagito, qui in lumine cõſolationis à te paſcuntur.Si das pacẽ ſi gaudium ſanctũ infundis, erit anima ſerui tui plena modulatione,& deuota in laude tua.Sed ſi te ſubtraxeris, ſicut ſæpiſſimè ſoles, non poterit currere in via mandatorum tuorũ:ſed magis ad tũdẽdum pectus,genua incuruãtur: quia non eſt illi ſicut heri,& nudiuſtertius: quando ſplẽdebat lucerna tua ſuper caput eius, & ſub vmbra alarũ tuarũ protegebatur à tẽtationibus irruentibus. Pater iuſte, & ſemper laudãde, venit hora vt probetur ſeruus tuus.Pater amãde,dignũ eſt,vt hora hac patiatur pro te aliquid ſeruus tuus.Pater perpetuò venerãde,venit hora, quã ab æterno præſciebas affuturã, vt ad modicũ tẽpus ſuccũbat foris ſeruus tuus, viuat verò ſemper apud te intus: paululùm vilipẽdatur, humilietur & deficiat coram hominib', paſſionibus cõteratur, & lãguoribus: vt iterum tecum in aurora nouæ lucis reſurgat, & in cæleſtibus clarificetur. Pater ſancte,tu ſic ordinaſti,& ſic voluiſti:& hoc factum eſt, quod ipſe præcepiſti. Hæc eſt enim gratia ad amicũ tuum, pati & tribu-

Digitized by Google

lari in mundo pro amore tuo, quotieſcunque à quocunq; & quomodocũque id permiſeris fieri. Sine cõſilio, & prouidẽtia tua, & ſine cauſa nihil fit in terra. Bonum mihi Domine ꝙ humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas, & omnes elationes cordis, atque pręſumptiones abiiciam: vtile mihi, quòd confuſio cooperuit faciem meam, vt te potius, quàm homines ad conſolandum requiram. Didici etiã ex hoc, inſcrutabile iudiciũ tuũ expaueſcere: qui affligis iuſtũ cum impio, ſed non ſine æquitate & iuſtitia. Gratias ago tibi, quia nõ pepercisti malis meis, ſed attriuiſti me verberibus amalis, infligẽs dolores, & immittẽs anguſtias foris, & intus. Non eſt, qui me conſoletur ex omnibus, qui ſub cælo ſunt, niſi tu Domine Deus meus cęleſtis, medicus animarum, qui percutis & ſanas, deducis ad inferos & reducis. Diſciplina tua ſuper me, & virga tua ipſa me docebit. Ecce pater dilecte in manibus tuis ego ſum: ſub virga correctionis tuæ me inclino. Percute dorſum meum, & collum meum, vt incuruẽ ad voluntatem tuam tortuoſitatẽ meam. Fac me piũ, & humilẽ diſcipulum, ſicut benè facere cõſueuiſti: vt ambulẽ ad omnem nutum tuũ. Tibi me, & omnia mea ad corrigendũ cõmendo. melius eſt hîc corripi, quàm in

futuro. Tu ſcis omnia, & ſingula, & nil te latet in humana cõſcientia: Ante quã fiant, noſtri ventura: & non opus eſt tibi, vt quis te doceat, aut admoneat de his, quę gerũtur in terra. Tu ſcis, quid expedit ad profectum meum, & quãtum deſeruit tribulatio ad rubiginẽ vitiorum purgãdam. Fac mecum deſideratũ beneplacitum tuum, & ne deſpicias peccatricẽ vitam meã nulli melius nec clarius, quàm tibi ſoli notam. Da mihi, Domine, ſcire, quod ſciẽdum eſt, hoc amare, quod amandum eſt, hoc laudare, quod tibi sũmè placet, hoc reputare, quod tibi pretioſũ apparet, hoc vituperare, quod oculis tuis ſordeſcit. Non me ſinas ſecundùm viſionem oculorum exteriorum iudicare, neq; ſecundum auditum auriũ hominum imperitorum ſentẽtiare: ſed in iudicio vero de inuiſibilibus, & ſpiritualibus diſcernere, atque ſuper omnia voluntatem beneplaciti tui ſemper inquirere. Falluntur ſæpè hominum ſenſus in iudicãdo: falluntur & amatores ſeculi, viſibilia tãtummodo amando. Quid eſt homo inde melior, quia reputatur ab homine maior? fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat, & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nã quãtum vnuſquiſque eſt in

oculis tuis, tantum eſt, & non amplius, ait humilis ſanctus Franciſcus.

Quòd humilibus inſiſtendum eſt operibus, cùm deficitur à ſummis.

CAPVT LVI.

FIli, non vales ſemper in feruẽtiori deſiderio virtutũ ſtare, nec in altiori gradu contemplationis: ſed neceſſe habes interdum ob originalem corruptelam ad inferiora deſcendere, & onus corruptibilis vitæ etiam inuitus, & cum tædio portare. Quandiu mortale corpus geris, tãdiu ſenties & grauamen cordis. Oportet ergo ſępè in carne de carnis onere gemere: eò ꝙ non vales ſpiritualibus ſtudiis, & diuinæ cõtẽplationi indeſinenter inhærere. Tunc expedit tibi ad humilia & exteriora opera cõfugere, & in bonis te actibus recreare, aduentum meum, & supernã viſitationem firma confidentia expectare: exilium tuum, & ariditatem mentis patienter ſufferre, donec iterum à me viſiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. Nõ faciã te laborũ obliuiſci, & interna quiete perfrui. Expandã corã te prata ſcripturarum, vt dilatato corde currere incipias in viam mandatorum meorum, & dices: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Quòd

Quòd homo non reputet ſe conſolatione dignum, ſed magis verberibus reum.

CAPVT LVII.

DOmine, non ſum dignus conſolatione tua, nec aliqua ſpirituali viſitatione, & ideò iuſtè mecũ agis quãdo me inopẽ, & deſolatũ relinquis Si enim ad inſtar maris lacrymas fundere poſſem, adhuc conſolatione tua dignus non eſſem. Vnde nihil magis dignus ſum flagellari & puniri: quia grauiter, & ſępe te offẽdi & in multis valdè deliqui. Ergo vera penſata ratione, nec minima ſum dignus conſolatione: ſed tu clemens, & miſericors Deus, qui nõ vis perire opera tua ad oſtendendum diuitias bonitatis tuę in vaſa miſericordię tuę, etiam præter omne proprium meritum dignaris conſolari ſeruum tuũ ſupra humanũ modũ. Tuę enim cõſolationes, nõ ſunt ſicut humanæ confabulationes. Quid egi, Domine, vt mihi conferres aliquam cæleſtem conſolationẽ? ego nihil boni me egiſſe recolo, ſed ſemper ad vitia pronum, & ad emendationem pigrum fuiſſe. verum eſt, & negare nõ poſſum. Si aliter dicerem, tu ſtares contra me, & non eſſet, qui defenderet. Quid merui pro peccatis meis, niſi infernum, & ignem æternum? In veritate cõfiteor, quoniam dignus ſum omni ludibrio,

brio

brio & contemptu:nec decet me inter deuotos tuos commorari. Et licèt hoc ægrè audiam: tamen aduerſum me pro veritate peccata mea arguam: vt faciliùs miſericordiam tuã merear impetrare. Quid dicam reus, & omni confuſione plenus? Non habeo os loquendi, niſi hoc tantum verbum, peccaui Domine, peccaui, miſerere mei, ignoſce mihi. Sine me paululùm, vt plangam dolorem meum antè quã vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Et quid tam maximè à reo, & miſero peccatore requiris: niſi vt conteratur, & humiliet ſe pro delictis ſuis? In vera cõtritione, & cordis humiliatione naſcitur ſpes veniæ, reconciliatur perturbata conſcientia, reparatur gratia perdita, tutus fit homo à futura ira, & occurrunt ſibi mutuò in oſculo ſancto Deus, & pœnitẽs anima, humilis peccatorum contritio. Acceptabile tibi eſt, Domine, ſacrificium longè ſuauius odorãs in conſpectu tuo, quã thuris incenſum. Hoc eſt gratum etiam vnguentum, quod ſacris pedibus tuis infundi voluiſti: quia cor contritum & humiliatum nunquam deſpexiſti. Ibi eſt locus refugij à facie iræ inimici: ibi emendatur, & abluitur, quicquid aliunde contractum eſt, & inquinatum.

De gratia Dei, quæ non miſcetur cum terrena ſapientibus.

CAPVT LVIII.

FIlli, pretioſa eſt gratia mea: non patitur ſe miſceri extraneis rebus, nec conſolationibus terrenis. Abiicere ergo oportet omnia impedimenta gratiæ, ſi optas eius infuſionem ſuſcipere. Pete ſecretũ tibi, ama ſolus habitare tecum: nullius require confabulationem: ſed magis ad Deum deuotã effunde precem, vt compunctam teneas mentẽ, & puram conſcientiam. Totũ mundum nihil ęſtima, Dei vocationẽ omnibus exterioribus antepone. Non enim poteris mihi vacare, & in tranſitoriis pariter delectari A notis, & à charis amicis oportet elongari, & ab omni temporali ſolatio mentem tenere priuatã. Sic obſecrat beatus Apoſtolus Petrus, vt tanquã aduenas & peregrinos in hoc mundo ſe contineant Chriſti fideles. O quãta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo: Sed ſic ſegregatum cor habere ab omnibus, ęger nec dum capit animus: nec animalis homo nouit interni hominis libertatem. Attamẽ ſi verè velit eſſe ſpiritualis, oportet eum rennnciare tã remotis, quã propinquis, & à nemine magis cauere, quã à ſeipſo. Si temetipſum perfe-

ctè viceris, cætera facilius ſubiugabis. Perfecta nãque victoria eſt, de ſemeptiſo triũphare. Qui enim ſemetipſum ſubiectũ tenet, vt ſenſualitas rationi, & ratio in cũctis obediat mihi, hic verè victor & ſui, & dominus mundi. Si ad hũc apicẽ ſcãdere gliſcis, oportet viriliter incipere, & ſecurim ad radicẽ ponere: vt euellas, & deſtruas occultã & inordinatam inclinationem ad teipſum, & ad omne priuatũ & materiale bonũ. Ex hoc vitio, ꝙ homo ſemetipsũ nimis inordinatè diligit, penè totũ pendet, quicquid radicaliter vincendũ eſt. Quo deuicto, & ſubacto malo, pax magna, & trãquillitas erit continuo. Sed, quia pauci ſibiipſi perfectè mori laborant, nec plenè extra ſe tendũt, propterea in ſe implicati remanẽt, nec ſupra ſe in ſpiritu eleuati poſſunt. Qui autẽ liberè mecũ ambulare deſiderat, neceſſe eſt, vt omnes prauas & inordinatas affectiones ſuas mortificet, atque nulli creaturę priuato amore cõcupiſcẽter inhæreat.

De diuerſis motibus naturæ & gratiæ.

CAPVT LIX.

FIli, diligenter aduerte motus naturæ, & gratiæ: quia valdè cõtrariè, & ſubtiliter mouẽtur: & vix niſi à ſpiritali & intimè illuminato homine diſcernuntur. Omnes quidẽ bonum appetunt, & aliquid boni in ſuis

ſuis dictis, vel factis prætendunt. Ideò ſub ſpecie boni, multi fallũtur. Natura callida eſt, multos trahit, illaqueat, & decipit, & ſe ſemper pro fine habet. Sed gratia ſimpliciter ambulat, ab omni ſpecie mali declinat, fallacias non prætendit: & purè omnia propter Deũ agit, in quo & finaliter requieſcit. Natura nõ ſpõte vult mori nec premi, nec ſuperari, nec ſubeſſe, nec ſubiugari. Gratia verò ſtudet mortificationi propriæ, reſiſtit ſenſualitati: quærit ſubiici, appetit vinci, nec propria vult libertate fungi, ſub diſciplina amat teneri: nec alicui cupit dominari, ſed ſub Deo ſemper viuere, ſtare, & eſſe, atque propter Deum omni humanæ creaturæ humiliter parata eſt inclinari. Natura pro ſuo commodo laborat, quid lucri ex alio ſibi proueniat, attendit: gratia autẽ non quid ſibi vtile & cõmodum ſit, ſed quod multis proficiat, magis cõſiderat. Natura libẽter honorem, & reuerentiam accipit, gratia verò omnem honorem & gloriam Deo fideliter attribuit. Natura cõfuſionẽ timet, & cõtemptum: gratia autem gaudet pro nomine Ieſu, contumeliam pati. Natura otiũ amat, & quietem corporalem: gratia autem vacua eſſe nõ poteſt: ſed libenter amplectitur laborem. Natura quærit curio-

ſa habere & pulchra,& abhorret vilia , & groſſa.Gratia verò ſimplicibus delectatur, & humilibus:aſpera nō aſpernatur,nec vetuſtis refugit indui pannis.Natura reſpicit tēporalia:gaudet ad lucra terrena:triſtatur de damno,irritatur leui iniuriæ verbo.Sed gratia attēdit æterna:nō inhæret tēporalibus,nec perditionē rerum turbatur neque verbis durioribus exacerbatur:quia theſaurū ſuū,&gaudiū in cęlo,vbi nihil perit,cōſtituit.Natura cupida eſt,& liberius accipit quā donat propria,& priuata. Gratia autem pia eſt,& cōmunis:vitat ſingularia,cōtētatur paucis : beatius iudicat dare,quàm accipere.Natura inclinat ad creaturas, ad carnē propriā,ad vanitatē,& diſcurſus:ſed gratia trahit ad Deū,&ad virtutes,renuntiat creaturis,fugit mūdū,odit carnis deſideria,reſtringit euagationes, erubeſcit in publico apparere. Natura libēter aliquod ſolatiū habet externum, in quo delectetur ad ſenſum : ſed gratia in ſolo Deo quærit conſolari,& in ſummo bono ſuper omnia viſibilia delectari.Natura totum agit propter lucrū,& commodum proprium:nihil gratis facere poteſt : ſed aut æquale , aut melius, aut laudē , vel fauorē pro benefactis cōſequi ſperat, & multū ponderat ſua geſta, & dona concupiſcit.Gratia verò nil
tem

tẽporale quærit, nec aliud præmium, quàm Deum ſolum pro mercede poſtulat, nec ampliùs de temporalibus neceſſarijs deſiderat, niſi quantum hæc ſibi ad aſſecutionem æternorum valeant deſeruire. Natura gaudet de amicis multis & propinquis, gloriatur de nobili loco, & ortu generis, arridet potentibus, blanditur diuitibus, applaudit ſibi ſimilibus. Gratia autem, & inimicos diligit, nec de amicorũ turba extollitur, nec locũ, nec ortũ natalium reputat, niſi virtus maior ibi fuerit. Fauet magis pauperi, quàm diuiti: cõpatitur plus innocenti, quàm potenti: congaudet veraci, nõ fallaci, exhortatur ſemper bonos meliora chariſmata æmulari, & filio Dei per virtutes aſſimilari. Natura de defectu, & de moleſtia citò conqueritur. Gratia conſtanter fert inopiã. Natura omnia ad ſe reflectit, pro ſe certat, & arguit. Gratia autẽ ad Deũ cuncta reducit, vnde originaliter emanãt: nihil boni ſibi adſcribit, nec arrogãter pręſumit: non contendit, nec ſuam ſententiam alijs præfert, ſed in omni ſenſu, & intellectu æternæ ſapientię, ac diuino examini ſe ſubmittat Natura appetit ſcire, & noua, & ſecreta audire, vult exterius apparere, & multa per ſenſũ experiri, deſiderat agnoſci, & ſapere, vnde laus, & admiratio proce

Digitized by Google

dit. Sed gratia non curat noua, nec curioſa percipere: quia totum hoc de vetuſtate corruptionis eſt ortum, cùm nihil nouum & durabile ſit ſuper terram. Docet itaque ſenſus reſtringere, vanam complacentiam & oſtentationem deuitare, laudanda & dignè miranda humiliter abſcondere, & de omni re, & de omni ſcientia vtilitatis fructum, atque Dei laudem & honorem quęrere. Nõ vult ſe, nec ſua prædicari: ſed Deũ in donis ſuis optat benedici, qui cuncta ex mera charitate largitur. Hæc gratia ſupernaturale lumen, & quoddam Dei ſpeciale donum eſt, & propriè electorum ſignaculum, & pignus ſalutis æternæ, quæ hominem de terrenis ad cœleſtia amanda ſuſtollit, & de carnali ſpiritalem efficit. Quãtò igitur natura ampliùs premitur & vincitur, tãtò maior gratia infunditur, & quotidie nouis viſitationibus interior homo ſecundùm imaginem Dei reformatur.

De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diuinæ. CAPVT LX.

DOmine Deus meus, qui me creaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuã, cõcede mihi hanc gratiam, quam oſtendiſti mihi, tam magnam & neceſſariã ad ſalutẽ, vt vincã peſſimam naturam meam trahẽtem ad peccata, & in perditionem. Sentio enim

enim in carne mea legem peccati,contradicentem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem ad obediendum ſenſualitati in multis. Nec poſſum reſiſtere paſſionib⁹ eius, niſi adſiſtat tua ſanctiſſima gratia, cordi meo ardenter infuſa. Opus eſt gratia tua & magna gratia, vt vincatur natura ad malum ſemper prona ab adoleſcentia ſua. Nam per primum hominem Adam lapſa & vitiata per peccatum, in omnes homines pœna huius maculæ deſcendit, vt ipſa natura, quæ bona & recta à te condita fuit,pro vitio iam,& infirmitate corruptæ naturæ ponatur, eò quòd motus eius ſibi relictus,ad malum & inferiora trahat. Nam modica vis,quæ remãſit, eſt tanquã ſcintilla quædam latens in cinere. Hæc eſt ipſa ratio naturalis, circunfuſa in magna caligine, adhuc iudicium habens boni & mali,veri falſique diſtantiã:licet impotens ſit adimplere omne quod approbat, nec pleno iam lumine veritatis, nec ſanitate affectionum ſuarũ potiatur.Hinc eſt,Deus meus, quòd condelector legi tuæ ſecundùm interiorem hominem,ſciens mandatum tuum eſſe bonum,iuſtum & ſanctum, arguens etiam omne malum,& peccatum fugiendum: Carne autẽ ſeruio legi peccati,dum magis ſenſualitati obedio quã ra-

Digitized by Google

tioni. Hinc eſt, quòd velle bonum mihi ad-
iacet, perficere autẽ non inuenio. Hinc ſę-
pè multa bona propono: ſed quia gratia
deeſt ad adiuuãdum infirmitatẽ meam, ex
leui reſiſtentia reſilio & deficio. Hinc acci-
dit, quòd viã perfectionis agnoſco, & qua-
liter agere debeam, clarè ſatis video: ſed
propriæ corruptionis pondere preſſus, ad
perfectiora non aſſurgo. O quàm valdè eſt
mihi neceſſaria, Domine, gratia tua ad in-
choandum bonum, ad proficiendum, & ad
perficiendum! Nam ſine ea nihil poſſum
facere: omnia autem poſſum in te, confor-
tante me gratia. O verè cœleſtis gratia: ſi-
ne qua nulla ſunt propria merita, nulla
quoque dona naturę ponderãda. Nihil ar-
tes, nihil diuitię, nihil pulchritudo, vel for-
titudo, nihil ingenium, vel eloquentia va-
lent apud te, Domine, ſine gratia. Nã dona
naturæ bonis & malis ſunt cõmunia: ele-
ctorũ autẽ propriũ donum eſt gratia, ſiue
dilectio: qua inſigniti, digni habentur vita
æterna. Tantum eminet hæc gratia, vt nec
donũ prophetiæ, nec ſignorũ operatio, nec
quãtalibet alta ſpeculatio, aliquid æſtime-
tur ſine ea. Sed neque fides, neque ſpes, ne-
que aliæ virtutes tibi acceptæ ſunt ſine
charitate, & gratia. O beatiſſima gratia,
quæ pauperẽ ſpiritũ, virtutibus diuitẽ fa-

cis,

cis,& diuitem multis bonis, humilẽ corde reddis: veni, deſcende ad me, reple me mane cõſolatione tua, ne deficiat præ laſſitudine& ariditate mentis anima mea. Obſecro Domine, vt inueniam gratiam in oculis tuis. Sufficit enim mihi gratia tua, cæteris non obtẽtis, quæ deſiderat natura. Si fuero tentatus,& vexatus tribulationibus multis, nõ timebo mala, dum mecum fuerit gratia tua. Ipſa fortitudo mea, ipſa conſilium confert, & auxilium. Cunctis hoſtibus potẽtior eſt,& ſapientior vniuerſis ſapientibus. Magiſtra eſt veritatis, doctrix diſciplinæ, lumẽ cordis, ſolamẽ preſſuræ, fugatrix triſtitiæ, ablatrix timoris, nutrix deuotionis productrix lacrymarum. Quid ſũ ſine ea, niſi aridum lignũ, & ſtirps inutilis apta ad eiiciẽdum? Tua ergo me, Domine, gratia ſemper præueniat, & ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentũ, per Ieſum Chriſtum filiũ tuum, Amen.

Quòd noſipſos abnegare, & Chriſtum imitari debemus per crucem.

CAPVT LXI.

FIli, quantum à te vales exire, tãtum in me poteris tranſire. Sicut nihil foris incõcupiſcere, ad æternã pacẽ facit: ſic ſe interius relinquere, Deo coniungit. Volo te adiſcere perfectam abnegationem tui in

voluntate mea ſine contradictione & querela. Sequere me. Ego ſum via, veritas, & vita. Sine via non itur: ſine veritate nõ cognoſcitur ſine vita non viuitur. Ego ſum via, quã ſequi debes: Veritas, cui credere debes: vita, quam ſperare debes. Ego ſum via inuiolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Ego ſum via rectiſſima, veritas ſuprema, vita vera, vita beata, vita increata. Si manſeris in vita mea, cognoſces veritatẽ, & veritas liberabit te, & apprehendes vitam æternam. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Si vis veritatem cognoſcere, crede mihi. Si vis perfectus eſſe, vende omnia. Si vis eſſe diſcipulus meus, abnega temetipſum. Si vis beatam vitam poſſidere, præſentem vitam contemne. Si vis exaltari in cælo, humilia te in mundo: ſi vis regnare mecum, porta crucem tecum. Soli enim ſerui crucis inueniunt viã beatitudinis, & veræ lucis. Domine Ieſu Chriſte, quia arcta eſt via tua & mundo deſpecta, dona mihi tecum mundi deſpectum imitari. Non enim maior eſt ſeruus domino ſuo, nec diſcipulus ſuper magiſtrum. Exerceatur ſeruus tuus in via tua: quia ibi eſt ſalus mea & ſanctitas vera. Quicquid extra eam lego, vel audio, non me recreat, nec delectat plenè. Fili, quia hæc

hæc ſcis, & legiſti omnia, beatus eris, ſi feceris ea. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ipſe eſt, qui diligit me. & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum, & faciam eum conſidere mecum in regno patris mei. Igitur Domine, ſicut dixiſti, & promiſiſti, ſic vtique mihi promereri contingat. Suſcepi de manu tua crucem, portabo eam vſque ad mortem, ſicut impoſuiſti mihi. Verè vita boni monachi crux eſt, & dux paradiſi. Incœptum eſt: retrò abire non licet, nec relinquere oportet. Eia, fratres, pergamus ſimul: Ieſus erit nobiſcũ. Propter Ieſum ſuſcepimus hanc crucem, propter Ieſum perſeueremus in cruce. Erit adiutor noſter, qui eſt dux noſter & præceſſor. En rex noſter nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores: ſimus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ noſtræ, vt fugiamus crucem.

Quòd homo non ſit nimis deiectus, quando in aliquos labitur defectus.

CAPVT LXII.

Fili, magis placent mihi patiẽtia, & humilitas in aduerſis, quã multa conſolatio & deuotio in proſperis. Vt quid te cõtriſtat paruũ quid cõtra te factũ aut dictũ?

Digitized by Google

Si ampliùs fuiſſet, cõmoueri nõ debuiſſes: ſed nunc dimitte tranſire. Non eſt primùm nec nouum, nec vltimum erit ſi diu vixeris. Satis virilis es, quãdiu nihil obuiat aduerſi. Benè etiam cõſulis, & alios noſti roborare verbis: ſed, cùm ad ianuam tuã venit repentina tribulatio, deficis conſilio, & robore. Attende magnã fragilitatẽ tuam, quã ſæpiùs experiris in modicis obiectis, tamen pro ſalute tua iſta fiunt. Cùm hæc & ſimilia cõtingunt, propone, vt benè noſti ex corde ea compeſcere, & ſi te tetigerit aduerſitas, non tamen deijciat, nec diu implicet. Ad minùs ſuſtine patienter, ſi nõ potes gaudenter. Etiam ſi minùs libenter audis, & indignationem ſentis, reprime te: nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire, vnde paruuli ſcãdalizentur. Citò conquieſcet commotio excitata, & dolor internus, reuertẽte gratia, dulcorabitur. Adhuc viuo ego, dicit Dominus, iuuare te paratus, & ſolito ampliùs conſolari, confiſus ſi fueris mihi, & me deuotè inuocaueris. Animæquior eſto, & ad maiorem ſuſtinentiã accingere. Non eſt totum fruſtratum, ſi te ſæpiùs percipis tribulatum vel grauiter tentatum. Homo es, & non Deus: caro es, & non angelus. Quomodo poſſes ſemper in eodem ſtatu virtutis permanere,

Digitized by Google

manere, quando hoc defuit angelo in cœlo & primo homini in paradiſo, qui non diu ſteterunt? Ego ſum, qui mœrentes erigo ſoſpitare, & ſuam cognoſcentes infirmitatem ad meam proueho diuinitatem. Domine, benedictum ſit verbum tuũ, dulce ſuper mel, & fauum ori meo. Quod facerem in tantis tribulationibus, & anguſtijs meis, niſi me confortaueris tuis ſanctis ſermonibus? Dummodo tandem ad portum ſalutis perueniam: quid curæ eſt, quæ & quanta paſſus fuero? Da finem bonum, da felicem ex mundo tranſitum. Memento mei, Deus, & dirige me recto itinere in regnum tuum; Amen.

De altioribus rebus, & occultis iudicijs Dei non ſcrutandis.

CAPVT LXIII.

FIli, caueas diſputare de altis materijs, & de occultis Dei iudicijs. Cur ſic iſte relinquitur, & ille ad tantã gratiam aſſumitur? Cur etiam iſte tantum affligitur, & ille tam eximiè exultatur? Iſta omnem humanam facultatẽ excedunt, nec ad inueſtigãdum iudicium diuinũ, vlla ratio præualet, vel diſputatio. Quando ergo hoc tibi ſuggerit inimicus, vel etiam aliqui curioſi inquirunt homines, reſpõde illud prophetæ: Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium

tuum. Et illud: Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Iudicia mea metuenda ſunt, non diſcutienda: quia humano intellectui ſunt incomprehenſibilia. Noli etiam inquirere, vel diſputare de meritis ſanctorum: quis alio ſanctior, aut quis maîor in regno cœlorum. Tâlia generant ſæpè lites & contentiones inutiles, nutriunt quoque ſuperbiam & vanam gloriam, vnde oriuntur inuidiæ & diſſenſiones, dum iſte illum ſanctum, & alius alium conatur ſuperbè præferre. Talis autẽ velle ſcire, & inueſtigare, nullum fructum affert: ſed magis ſanctis diſplicet: quia non ſum Deus diſſenſionis, ſed pacis: quæ pax magis in humilitate vera quàm in propria exaltatione cõſiſtit. Quidam zelo dilectionis trahuntur ad hos vel ad illos, ampliori affectu: ſed humano potiùs quàm diuino. Ego ſum, qui cũctos cõdidi ſanctos, ego donaui gratiã, ego præſtiti gloriã, ego noui ſingulorũ merita, ego præueni eos in benedictionibus dulcedinis meæ, ego præſciui dilectos ante ſecula, ego eos elegi de mundo, nõ ipſi me prælegerunt: ego vocaui per gratiã, attraxi per miſericordiã, ego perduxi eos per tentationes varias, ego infudi cõſolationes magnificas: ego dedi perſeuerantiã, ego coronaui eorũ patientiã, ego primum

&

& nouiſſimũ agnoſco, ego omnes inæſtimabili dilectione amplector. Ego laudandus ſum in omnibus ſanctis meis. Ego ſuper omnes benedicẽdus ſum, & honorandus in ſingulis, quos ſic gloriosè magnificaui, & prædeſtinaui ſine vllis præcedentibus propriis meritis. Qui ergo vnũ de minimis meis contẽpſerit, nec magnũ honorat; quia puſillum, & magnum ego feci. Et qui derogat alicui Sãctorum, derogat mihi, & cæteris omnibus in regno cælorum. Omnes vnũ ſunt per charitatis vinculum, idem ſentiunt, idem volunt, & omnes in vnum ſe diligũt. Adhuc autẽ, quod multo altius eſt, plus me, quàm ſe, & ſua merita diligunt. Nam ſupra ſe rapti, & extra propriam dilectionẽ tracti, toti in amorẽ mei pergunt, in quo & fructiuè quieſcũt. Nihil eſt, quod eos auertere poſſit, aut deprimere, quippe qui æterna veritate pleni, igne ardeſcunt inextinguibilis charitatis. Deſinant igitur carnales & animales homines de ſanctorũ ſtatu diſſerere: qui non norũt niſi priuata gaudia diligere. Demũt & addunt pro ſua inclinatione, nõ prout placet æternę veritati. In multis eſt ignorantia, in iis maximè, qui parũ illuminati, raro aliquẽ perfecta dilectione ſpiritali diligere volũt. Multi adhuc naturali affectu, & hu-

mana amiciatia, ad hos, vel ad alios trahũ. tur: & ſicut in inferioribus ſe habẽt, ita & de cæleſtibus imaginãtur. Sed eſt diſtantia imcoparabilis inter ea, quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati viri per reuelationẽ ſupernã ſpeculãtur. Caue ergo, fili, de iſtis curioſè tractare, quæ tuã ſcientiã excedunt: ſed hoc magis ſatage, & intende, vt vel minimus in regno Dei queas inueniri. Et ſi quiſpiã ſciret, quis alio ſanctior eſſet, vel maior haberetur in regno cælorũ, quid ei hæc notitia prodeſſet, niſi ſe ex hac cognitione coram me humiliaret, & in maiorem nominis mei laudem exurgeret? Multò acceptius Deo facit, qui de peccatorũ ſuorum magnitudine, & virtutum ſuarum paruitate, cogitat, & quàm longè à ſanctorum perfectione diſtat, quã is, qui de eorum maioritate, vel paruitate diſputat. Melius eſt ſanctos deuotis precibus & lacrymis exorare, & eorũ glorioſa ſuffragia humili mente implorare, quàm eorũ ſecreta, vana inquiſitione perſcrutari. Illi bene, & optimè contentatur, ſi homines ſcirent cõtentari, & vaniloquia ſua cõpeſcere. Non gloriatur de propriis meritis, quippe qui ſibi nihil bonitatis adſcribunt, ſed totũ mihi: quoniã ipſis cũcta ex infinita charitate mea donaui. Tãto amore di

re diuinitatis, & gaudio ſuperfluẽti replentur, vt nihil eis deſit gloriæ, nihilque poſſit deeſſe felicitatis. Omnes ſancti, quantò altiores in gloria, tantò humiliores in ſeipſis, & mihi viciniores, & dilectiores exiſtunt. Ideoque habes ſcriptũ, quia mittebãt coronas ſuas ante Deũ, & ceciderũt in facies ſuas corã agno, & adorauerunt viuẽtem in ſecula ſeculorum. Multi quidẽ quęrunt, quis maior ſit in regno Dei, q ignorãt, an cum minimis erunt digni cõputari. Magnum eſt, vel minimũ eſſe in cælo, vbi omnes magni ſunt: quia omnes filij Dei vocabũtur & erunt. Minimus erit in mille, & peccator cẽtum annorũ morietur. Cùm enim quærerẽt diſcipuli, quis maior eſſet in regno cœlorum, tale audierunt reſponſum: Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli: nõ intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum. Væ eis qui cum paruulis humiliare ſe ſpõte dedignãtur, quoniam humilis ianua regni cœleſtis eos non admittet intrare. Vę etiam diuitibus, qui habent hìc cõſolationes ſuas: quia pauperibus intrantibus in regnum Dei ipſi ſtabunt foras eiulãtes. Gaudete humiles, & exultate pauperes; quia veſtrum eſt regnum Dei, ſi tamen

Digitized by Google

in veritate ambulatis.

Quòd omnis ſpes & fiducia in ſolo Deo eſt figenda.

CAPVT LXIV.

DOmine quæ eſt fiducia mea, quam in hac vita habeo? aut quod maius ſolatium meum ex omnibus apparentibus ſub cœlo? Nónne tu, Domine Deus meus, cuius miſericordiæ nō eſt numerus? Vbi mihi benè fuit ſine te? aut quando malè eſſe potuit, præſente te? Malo pauper eſſe propter te, quā diues ſine te. Eligo potiùs tecum in vita peregrinari, quàm ſine te cœlum poſſidere. Vbi tu, ibi cœlum: atque ibi mors, & infernus, vbi tu nō es. Tu mihi in deſiderio es, & ideò poſt te gemere, & clamare, & exorare neceſſe eſt. In nullo denique poſſum plenè confidere, qui in neceſſitatibus auxilietur opportunius, niſi in te ſolo Deo meo. Tu es ſpes mea, & fiducia mea, tu conſolator meus, fideliſſimus in omnibus. Omnes quæ ſua ſunt, quærunt: tu ſalutem meam, & profectum meum ſolummodo prætendis, & omnia in bonum mihi conuertis, etiam ſi me varijs tentationibus, & aduerſitatibus exponis, hoc totum ad vtilitatē meam ordinas, qui mille modis dilectos tuos probare conſueuiſti. In qua probatione nō minùs diligi debes,

bes, & laudari, quàm ſi cœleſtibus conſolationibus me repleres. In te ergo, Domine Deus, pono totam ſpem meam, & refugium: in te omnem tribulationem & anguſtiam meam conſtituo: quia totum infirmum & inſtabile inuenio, quicquid extra te concipio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarij adiuuare poterunt: neque prudentes conſiliarij reſponſum vtile dare, neque libri doctorum conſolari, nec aliqua pretioſa ſubſtãtia liberare, nec locus aliquis ſecretus contutari, ſi tu ipſe non adſiſtas, iuues, confortes, conſoleris, inſtruas, & cuſtodias. Omnia namque, quæ ad pacem videntur eſſe, & felicitatem habendam, te abſente, nihil ſunt, nihílque felicitatis in veritate conferunt. Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tu es, & in te ſuper omnia ſparare, fortiſſimum ſolatium ſeruorum tuorum. Ad te ſunt oculi mei, in te confido, Deus meus, miſericordiarum pater. Benedic, & ſanctifica animam meam benedictione cæleſti, vt fiat habitatio ſancta tua, & ſedes æternæ gloriæ tuæ, nihílque in templo tuo indignitatis inueniatur, quod oculos tuæ maieſtatis offendat. Secundùm magnitudinem boni-

tatis

tatis tuæ, & multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me, & exaudi orationem pauperis ſerui tui, longè exultantis in regione vmbræ mortis. Protege & conſerua animam ſeruuli tui inter tot diſcrimina vitæ corruptibilis, ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis, ad patriam perpetuæ claritatis.

LIBER IIII.

Deuota exhortatio ad ſacram corporis Chriſti communionem.

Vox Chriſti.

VENITE ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos, dicit Dominus. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.

Cum quanta reuerentia Chriſtus ſit ſuſcipiendum.

CAPVT I.

HÆc ſunt verba tua, Chriſte: Veritas æterna, quamuis non vno tempore prolata, nec vno in loco ſcripta. Quia ergo tua ſunt verba, gratanter mihi, & fideliter cuncta ſunt accipienda. Tua ſunt, & tu ea protuliſti: & mea quoque ſunt, quia pro ſalute mea edidiſti. Libenter ſuſcipio ea ex ore tuo, vt arctius inſerantur cordi meo. Excitant me verba tantæ pietatis, plena dulcedinis, & dilectionis: ſed terrent me delicta propria, & ad capienda tanta myſteria me reuerberat impura conſcientia, prouocat me dulcedo verborum tuorum, ſed onerat me multitudo vitiorum meorum. Iubes, vt fiducialiter ad te accedam, ſi tecum velim habere partem, vt immortalitatis accipiam alimoniam, ſi æternam cupiam obtinere vitam, & gloriam. Venite, inquis, ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. O dulce & amicabile verbum in ore peccatoris, quo tu, Domine Deus meus, egenum, & pauperem inuitas ad communionem tui ſanctiſſimi corporis! Sed quis ego ſum, Domine, vt ad te præſumam accedere? Ecce cæli cælorum te non ca-

piunt, & tu dicis: Venite ad me omnes: quid ſibi vult iſta piiſſima dignatio, & tam amicabilis inuitatio? Quomodo auſus ero venire, qui nullius boni mihi conſcius ſum? Vnde poſſum præſumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui ſæpius offendi benigniſſimam faciem tuam? Reuerentur angeli & archangeli, metuunt ſancti, & iuſti, & tu dicis: Venite ad me omnes. Niſi tu, domine, hoc diceres, quis verum eſſe crederet? & niſi tu iuberes, quis accedere attentaret? Ecce Noë vir iuſtus in arcæ fabrica centum annos laborauit, vt cum paucis ſaluaretur: & ego quomodo potero me vna hora præparare, vt mũdi Fabricatorem cum reuerentia ſumam? Moſes famulus tuus, magnus & ſpecialis amicus tuus arcã ex lignis imputribilibus fecit, quam & mundiſſimo veſtiuit auro, vt tabulas legis in eis reponeret: & ego putrida creatura audebo te cõditorẽ legis, ac vitæ datorẽ, tã facilè ſuſcipere in corpore meo peccatis ſubdito? Salomon ſapientiſſimus regum Iſraël, magnificũ tẽplum ſeptẽ annis in laudẽ nominis tui ædificauit, & octo diebus feſtũ dedicationis eius celebrauit, mille hoſtias pacificas obtulit, & arcã fœderis clangore buccinæ, & iubilo in locum ſibi præparatũ ſolenniter collocauit:

cauit: & ego infelix, & pauperrimus hominũ, quomodo te in domum meã introducam, qui vix mediam expendere deuotè noui horam: & vtinam vel ſemel dignè ferè mediam? O mi Deus, quantum illi ad placendum tibi agere ſtuduerunt? Heu quàm puſillum eſt quod ago, quàm breue expleo tempus, cùm me ad communicandum diſpono, rarò totus collectus, rariſſimè ab omni diſtractione purgatus? Et certè in tua ſalutari deitatis præſentia, nulla deberet occurrere indecẽs cogitatio, nulla etiam occupare creatura: quia non angelũ, ſed angelorũ dominum ſuſcepturus ſum hoſpitio. Eſt tamen valdè magna diſtantia inter arcam fœderis cum ſuis reliquiis, & mundiſſimũ corpus tuũ, cum ſuis ineffabilibus virtutibus, inter legalia illa ſacrificia futurorũ præfiguratiua, & verã tui corporis hoſtiã, omnium antiquorũ ſacrificiorũ completiuam. Quare igitur non magis ad tuam venerabilem inardeſco præſentiam? Cur non maiori me præparo ſolicitudine ad tua ſancta ſumenda, quando illi antiqui ſancti patriarchæ, & prophetæ, reges quoque, & principes cum vniuerſo populo, tantum deuotionis demonſtrauerunt affectum erga cultum diuinũ? Saltauit deuotiſſimus rex Dauid coram arca Dei to-

Digitized by Google

tis viribus recolens beneficia olim indulta patribus: fecit diuerſi generis organa, pſalmos edidit, & cantari inſtituit cum lætitia, cecinit & ipſe frequenter in cithara, ſpiritus ſancti afflatus gratia docuit populum Iſraël toto corde Deum laudare, & ore conſono diebus ſingulis benedicere, & prædicare. Si tanto agebatur tunc deuotio, ac diuinæ laudis extitit recordatio, coram arca teſtamenti, quanta nunc mihi, & omni populo Chriſtiano habenda eſt reuerentia, & deuotio in pręſentia ſacramenti, in ſumptione excellentiſſimi corporis Chriſti? Currunt multi ad diuerſa loca pro viſitandis reliquiis ſanctorum, & mirantur, auditis geſtis eorum: ampla ædificia templorum inſpiciunt, & oſculantur ſericis & auro inuoluta ſacra oſſa ipſorum. Et ecce tu præſens es hîc apud me in altari, Deus meus ſanctus ſanctorũ, Creator omnium, & dominus angelorum. Sæpè in talibus videndis eſt curioſitas hominum, & nouitas inuiſorũ, & modicus reportatur emendationis fructus: maximè, vbi eſt tam leuis ſine vera contritione diſcurſus. Hîc autem in ſacramento altaris totus preſens eſt Deus meus, homo Chriſtus Ieſus, vbi & copioſus percipitur æternę ſalutis fructus, quotienſcunque fueris

ris dignè, ac deuotè ſuſceptus. Ad iſtud verò non trahit leuitas aliqua, nec curioſitas, aut ſenſualitas: ſed firma fides, deuota ſpes, & ſyncera charitas. O indiuiſibilis Conditor mundi Deus, quàm mirabiliter agis nobiſcum, quàm ſuauiter & gratiosè cum electis tuis diſponis, quibus temetipſum in ſacramento ſumendum proponis! Hoc nanque omnem intellectum ſuperat, hoc ſpecialiter deuotorum corda trahit, & accendit affectum. Ipſi enim veri fideles tui, qui totam vitam ſuam ad emēdationem diſponunt, ex hoc digniſſimo ſacramento magnam deuotionis gratiam, & virtutis amorem frequenter recipiunt. O admirabilis & abſcondita gratia ſacramenti, quam norunt tantùm Chriſti fideles: infideles autem, & peccatis ſeruientes experiri non poſſunt. In hoc ſacramento confertur ſpiritalis gratia, & reparatur in anima virtus amiſſa, & per peccatum deformata redit pulchritudo. Tanta eſt aliquādo hęc gratia, vt ex plenitudine collatę deuotionis nō tantùm mēs, ſed & debile corpus vires ſibi præſtitas ſentiat ampliores. Dolendum tamen valdè, & miſerandum ſuper tepiditate, & negligentia noſtra, quòd non maiori affectu trahimur ad Chriſtum ſumendum, in quo tota ſpes

ſaluandorum conſiſtit, & meritum: ipſe enim eſt ſanctificatio noſtra, & redemptio: ipſe conſolatio viatorum, & ſanctorum æterna fruitio. Dolendum itaque valdè, quòd multi tam parum hoc ſalutare myſterium aduertunt, quod cælum lætificat, & mundum conſeruat vniuerſum. Heu cæcitas, & duritas cordis humani tam ineffabile donum non magis attendens, & ex quotidiano vſu etiam ad inaduertentiam defluens. Si enim hoc ſanctiſſimum ſacramentum in vno tantùm celebraretur loco, & ab vno tantùm conſecraretur ſacerdote in mundo, quanto putas deſiderio ad illum locum, & talem Dei ſacerdotem homines efferrentur, vt diuina myſteria celebrare audirent? Nunc autem multi facti ſunt ſacerdotes, & in multis locis offertur Chriſtus, vt tantò maior appareat gratia, & dilectio Dei ad hominem, quantò latius eſt ſacra communio diffuſa per orbem. Gratias tibi ago, bone Ieſu, paſtor æterne, qui nos pauperes & exules dignatus es pretioſo corpore & ſanguine tuo reficere, & ad hæc myſteria percipienda, etiam proprij oris tui alloquio inuitare, dicendo: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos.

Quòd

Quòd magna bonitas & charitas Dei in ſacramento exhibetur homini.

CAPVT II.

SVper bonitate tua, & magna miſericordia tua Domine, confiſus accedo æger ad medicum, & Saluatorem: eſuriens & ſitiens, ad fontem vitæ: egenus, ad regem cæli: ſeruus ad Dominum: creatura, ad Creatorem: deſolatus, ad meum pium conſolatorem. Sed vnde mihi hoc, vt venias ad me? Quis ego ſum, vt præſtes mihi teipſum? Quomodo audet peccator coram te apparere? Et quomodo tu dignaris ad peccatorem venire? Tu noſti ſeruum tuum, & ſcis, quia nil boni in ſe habet, vnde hoc illi præſtes. Confiteor igitur vilitatem meam; agnoſco bonitatem tuã, laudo pietatem, & gratias ago propter nimiam charitatem. Propter temetipſum enim hoc facis, non propter mea merita: vt bonitas tua mihi magis innoteſcat, charitas amplior ingeratur, & humilitas perfectiùs commendetur. Quia ergo tibi hoc placet, & ſic fieri iuſſiſti, placet & mihi dignatio tua, & vtinam iniquitas mea non obſiſtat. O dulciſſime, & benigniſſime Ieſu, quanta tibi reuerentia, & gratiarum actio cum perpetua laude, pro ſuſceptione ſacri corporis tui debetur, cuius di-

gnitatem nullus hominum explicare potens inuenitur. Sed quid cogitabo in hac communione, in acceſſu ad Dominum meum, quē debitè venerari nequeo, & tamen deuotè ſuſcipere deſidero? Quid cogitabo melius & ſalubrius, niſi meipſum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatē exaltando ſupra me? Laudo te, Deus meus, & exalto in æternū. Deſpicio me, & ſubiicio tibi in profundum vilitatis meæ. Ecce tu ſanctus ſanctorum, & ego ſordes peccatorum, & tu inclinas te ad me qui non ſum dignus ad te reſpicere. Ecce tu venis ad me, tu vis eſſe mecum: tu inuitas ad cōuiuium tuum, tu mihi dare vis cæleſtem cibum, & panem Angelorum ad manducandum, & non alium ſanè, quàm teipſum panem viuum, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo. Ecce vnde dilectio procedit, qualis dignatio illuceſcit: quàm magnæ gratiarum actiones, & laudes tibi pro his debentur! O quàm ſalutare, & vtile conſilium tuum, cùm iſtud inſtituiſti! quàm ſuaue, & iucundum conuiuium, cùm teipſum in cibum donaſti! O quàm admirabilis operatio tua, Domine, quàm potēs virtus tua, quàm infallibilis veritas tua! Dixiſti enim, & facta ſunt omnia, & hoc factum eſt, quod ipſe iuſſiſti,

Digitized by Google

iuſſiſti. Mira res & fide digna, ac humanum vincens intellectum, quòd tu Domine Deus meus, verus Deus & homo, ſub modica ſpecie panis & vini integer contineris, & ſine conſumptione à ſumente manducaris. Tu Domine vniuerſorũ, qui nullius habes indigentiam, & qui voluiſti per ſacramentum tuum habitare in nobis, cõſerua cor meum, & corpus meum immaculatum, vt læta & pura conſcientia ſæpius valeam tua celebrare myſteria, & ad meam perpetuam accipere ſalutem, quæ ad tuum pręcipuè honorem, & memoriale perenne ſanxiſti, & inſtituiſti. Lætare anima mea, & gratias age Deo pro tam nobili munere, & ſolatio ſingulari, in hac lacrymarum valle tibi relicto. Nam quoties hoc myſterium recolis, & Chriſti corpus accipis, toties tuæ redemptionis opus agis, & particeps omnium meritorũ Chriſti efficeris. Charitas etenim Chriſti nunquam minuitur, magnitudo propitiationis eius nunquam exhauritur. Ideò noua ſemper mentis renouatione ad hoc diſponere te debes, & magnum ſalutis myſterium attenta conſideratione penſare, ita magnum nouum & iucundum tibi videri debet, cùm celebras, aut miſſam audis, ac in eodem die Chriſtus primùm in vterum

virginis deſcendens, homo factus eſſet, aut in cruce pendens, pro ſalute hominum pateretur, & moreretur.

Quòd vtile ſit ſæpè communicare.

CAPVT III.

ECce ego venio ad te, Domine, vt benè mihi ſit ex munere tuo, quod paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Ecce in te eſt totum, quod deſiderare poſſum, & debeo: tu ſalus mea, & redẽptio, ſpes, & fortitudo, decus, & gloria. Lætifica ergo hodie animam ſerui tui, quoniam ad te, Domine Ieſu, animam meam leuaui. Deſidero nunc te deuotè, ac reuerenter ſuſcipere, cupio te in domum meam introducere, quatenus cum Zacchæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiſcit, cor meum tecùm vniri deſiderat. Trade te mihi, & ſufficit. Nam præter te nulla conſolatio valet: ſine te eſſe nequeo, & ſine viſitatione tua, viuere non valeo. Ideóque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium ſalutis meæ recipere, ne fortè deficiam in via, ſi fuero cæleſti fraudatus alimonia. Sic enim tu, miſericordiſſime Ieſu, prædicans populis, & varios curans

rans languores, aliquando dixiſti: Nolo eos ieiunos dimittere in domum ſuam, ne deficiant in via Age igitur hoc modo mecum, qui te pro fidelium conſolatione in ſacramento reliquiſti. Tu es enim ſuauis refectio animæ:& qui te dignè mãducauerit,particeps,& hęres erit æternę gloriæ.Neceſſarium quidem mihi eſt,qui tam ſæpè laboro,& pecco,tam citò torpeſco & deficio,vt per frequentes orationes, & cõfeſſiones,& ſacram tui corporis perceptionem me renouem,mundem,& accendam, ne fortè diutius abſtinendo, à ſancto propoſito defluam.Proni enim ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua:& niſi ſuccurrat diuina medicina, labitur homo mox ad peiora. Retrahit ergo ſancta communio à malo, & confortat in bono. Si enim modò ſæpè negligens ſum, & tepidus, quando communico, aut celebro, quid fieret, ſi medelam non ſumerem, & tam grande iuuamen non quærerem? Et licet omni die non ſim aptus, nec ad celebrandum benè diſpoſitus: dabo tamen operam congruis tẽporibus diuina percipere myſteria, ac tantæ gratiæ participem me exhibere. Nam hæc eſt vna principalis fidelis animæ conſolatio, quandiu peregrinatur à te in mortali corpore, vt

ſæpius

ſæpius memor Dei ſui dilectum ſuum deuota ſuſcipiat mente. O mira circa nos tuę pietatis dignatio, quòd tu, Domine Deus, Creator, & viuificator omnium ſpirituum, ad pauperculam dignaris venire animam, & cum tota Deitate tua, ac humanitate eius impinguare eſuriem! O fœlix mens, & beata anima, quæ te Dominũ Deum ſuum meretur deuotè ſuſcipere, & in tua ſuſceptione ſpirituali gaudio repleri! O quã magnum ſuſcipit Dominum! quàm dilectum inducit hoſpitem! quàm iucundum recipit ſocium! quàm fidelem acceptat amicum! quàm ſpecioſum, & nobilem amplectitur ſponſum præ omnibus dilectum, & ſuper omnia deſiderabilia amandum! Sileant à facie tua, dulciſſime dilecte meus, cælum, & terra, & omnis ornatus eorum: quoniam quicquid laudis habent, aut decoris, ex dignatione tuæ eſt largitatis: nec ad decorem tui peruenient nominis, cuius ſapientiæ non eſt numerus.

*

Quòd

Quòd multa bona præſtantur deuotè communicantibus.

CAPVT IIII.

DOmine Deus meus, præueni ſeruum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, vt ad tuum magnificum ſacramentum dignè, ac deuotè merear accedere. Excita cor meum in te, & à graui torpore erue me. Viſita me in ſalutari tuo, ad guſtandum in ſpiritu tuam ſuauitatem: quæ in hoc ſacramento, tanquam in fonte plenariè latet: illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum myſterium, & ad credendum illud indubitata fide me robora. Eſt enim operatio tua, non humana potentia, tua ſacra inſtitutio, non hominis adinuentio. Non enim ad hæc capienda, & intelligenda, aliquis idoneus per ſe reperitur, quæ Angelicam etiam ſubtilitatem tranſcendunt. Quid ergo ego peccator indignus, terra, & cinis, de tam alto ſacro ſecreto potero inueſtigare, & capere? Domine, in ſimplicitate cordis, in bona & firma fide, & in tua iuſſione, ad te cum ſpe & reuerentia accedo: & verè credo, quia tu præſens es hîc in ſacramento, Deus & homo. Vis ergo, vt te ſuſcipiam, & meipſum tibi in charitate vniam? Vnde tuam precor clementiam, & ſpiritalem

lem ad hoc imploro mihi donari gratiam vt totus in te liquefiã, & amore perfluam, atque de nulla aliena cõſolatione amplius me intromittam. Eſt enim hoc altiſſimũ & digniſſimũ ſacramentum, ſalus animæ, & corporis, medicina omnis ſpiritalis lãguoris, in quo vitia mea curãtur, paſſiones frænantur, tentationes vincuntur, ac minuũtur, gratia maior infunditur, virtus incepta augetur, fides firmatur, ſpes roboratur, & charitas igneſcit, ac dilatatur. Multa nãque bona largitus es, & adhuc ſæpius largiris in ſacramẽto dilectis tuis, deuotè communicantibus, Deus meus, ſuſceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, & totius dator conſolationis internæ, Nam multam ipſis conſolationem aduerſus varias tribulationes infundis, & de imo dilectionis propriæ ad ſpem tuæ protectionis erigis, atque noua quadam gratia eos intus recreas, & illuſtras, vt qui anxij primùm, & ſine affectione ſe ante communionem ſenſerãt, poſteà refecti cibo, potúque cęleſti, in melius ſe mutatos inueniãt. Quod idcirco cum electis tuis ita diſpenſanter agis, vt veraciter agnoſcant, & patenter experiantur, quòd nihil ex ſemetipſis habeant, & quid bonitatis, ac gratię ex te cõſequantur: quia ex ſemetipſis frigidi, duri,

duri, ac indeuoti: ex te autē feruentes, alacres, & deuoti eſſe merētur. Quis enim ad fontē ſuauitatis humiliter accedens, non modicū ſuauitatis inde reportat? Aut quis iuxta ignē copioſum ſtans, non parum caloris inde percipit? Et tu fons es ſemper plenus, & ſuperabūdans, ignis iugiter ardēs, & nunquam deficiens. Vnde, ſi mihi nō licet haurire de plenitudine fōtis, nec vſque ad ſatietatem potare: apponam tamen os meū ad foramen cæleſtis fiſtulæ, vt ſaltem inde guttulam modicam capiam ad refocillandam ſitim meam, vt nō penitus exareſcam. Etſi necdum totus cæleſtis, & tam ignitus, vt Seraphini, & Cherubim eſſe poſſim: conabor tamen deuotioni inſiſtere, & cor meū præparare: vt vel modicā diuini incendij flammā ex humili ſumptione viuifici ſacramēti conquiram. Quicquid autē mihi deeſt, bone Ieſu, Saluator ſanctiſſime, tu pro me ſupple benignè, ac gratiosè, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicēs, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos. Ego quidem laboro in ſudore vultus mei: dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis paſſionibus implicor, & premor, & non eſt qui adiuuet, non eſt qui liberet, & ſaluum faciat,

ized by Google

niſi tu Domine Deus, ſaluator meus: cui committo me,& omnia mea, vt me cuſtodias,& perducas in vitam æternam. Suſcipe me in laudem, & gloriam nominis tui: qui corpus tuum & ſanguinem in cibum, & potum mihi paraſti: Præſta Domine Deus ſalutaris meus, vt cum frequentatione myſterij tui creſcat meæ deuotionis affectus.

De dignitate ſacramenti, & ſtatu Sacerdotali.

CAPVT V.

SI haberes angelicam puritatem, & ſancti Ioannis Baptiſtæ ſanctitatem, non eſſes dignus hoc ſacramentum accipere nec tractare. Non enim hoc meritis debetur hominum, quòd homo conſecret & tractet Chriſti ſacramentum, & ſumat in cibum panem angelorum. Grande myſterium,& magna dignitas ſacerdotum, quibus datum eſt, quod angelis non eſt conceſſum. Soli namque ſacerdotes in eccleſia ritè ordinati, poteſtatem habent celebrandi,& corpus Chriſti conſecrandi. Sacerdos quidem miniſter eſt Dei, vtẽs verbo Dei per iuſſionem, & inſtitutionẽ Dei. Deus autẽ ibi principalis eſt auctor, & inuiſibilis operator cui ſubeſt omne, quod voluerit,& paret omne,quod iuſſerit. Plus

ergo

ergo credere debes Deo omnipotenti in hoc excellentiſſimo ſacramento, quã proprio ſenſui, aut alicui ſigno viſibili. Ideoque cũ timore & reuerentia ad hoc opus eſt accedendũ Attẽde igitur, & vide cuius miniſterium tibi traditum eſt per impoſitionem manus Epiſcopi. Ecce ſacerdos factus es, & ad celebrandum conſecratus. vide nunc vt fideliter & deuoté in ſuo tẽpore Deo ſacrificium offeras, & teipſum irreprehenſibilem exhibeas: non alleuiaſti onus tuum, ſed arctiori iam alligatus es vinculo diſciplinæ, & ad maiorem teneris perfectionem ſanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet eſſe ornatus, & alijs bonæ vitæ exemplum præbere. Eius conuerſatio non cum popularibus, & communibus hominum vijs, ſed cum Angelis in cœlo aut cum perfectis viris in terra. Sacerdos ſacris veſtibus indutus, Chriſti vices gerit, vt Deum pro ſe, & pro omni populo ſuppliciter & humiliter roget. Habet namque ante ſe, & retrò, Dominicæ crucis ſignum, ad memorandum iugiter Chriſti paſſionem. Ante ſe crucem in caſula portat, vt Chriſti veſtigia diligenter inſpiciat, & ſequi frequenter ſtudeat. Poſt ſe cruce ſignatus eſt, vt aduerſa quælibet illata ab alijs, æquanimiter pro Deo toleret. Ante

ſe, crucem gerit, vt propria peccata lugeat. Poſt ſe, vt aliorum etiam commiſſa, per compaſſionem defleat, & ſe medium inter Deum & peccatorem conſtitutũ eſſe ſciat: nec ab oratione, nec ab oblatione ſancta torpeſcat, donec gratiam & miſericordiam impetrare mereatur. Quando ſacerdos deuotè celebrat, Deum honorat, Angelos lętificat, Eccleſiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præſtat, & ſeſe omnium bonorum participem efficit.

Interrogatio de exercitio ante communionem.

CAPVT VI.

CVm tuam dignitatem, Domine, & meam vilitatem penſo, valdè cõtremiſco & in meipſo cõfundor. Si enim non accedo, vitam fugio, ſi indignè me ingeſſero, offenſam incurro. Quid ergo faciam, Deus meus, auxiliator meus, & conſiliator in neceſſitatibus? Tu doce me viam rectam, propone breue aliquod exercitium ſacrę communioni congruum. Vtilè eſt enim ſcire, qualiter, ſcilicet deuotè, ac reuerenter tibi præparare debeam cor meum ad recipiendum ſalubriter tuum ſacramentum, ſeu etiam celebrandum tam magnum & diuinum ſacrificium.

De

De diſcuſsione propriæ conſcientiæ, & emendationis propoſito.

CAPVT VII.

SVper omnia cum ſumma humilitate cordis, & ſupplici reuerentia, cum plena fide, & pia intentione honoris Dei ad hoc ſacramentum celebrandum, tractandum & ſumendum, oportet Dei accedere ſacerdotem. Diligenter examina conſcientiam tuam, & pro poſſe tuo vera contritione, & humili confeſſione eam munda, & clarifica: ita vt nihil graue habeas aut ſcias, quod te remordeat, & liberum acceſſum impediat. Habeas diſplicentiam omnium peccatorum in generali, & pro quotidianis exceſſibus magis in ſpeciali doleas & gemas. Et ſi tempus patitur, Deo in ſecreto cordis cuncta confitere, paſſionum tuarum miſerijs ingemiſce, & dole. Quòd adhuc ita carnalis ſis, & mundanus, tam immortificatus à paſſionibus, tam plenùs concupiſcentiarum motibus, tam incuſtoditus in ſenſibus exterioribus, tam ſæpè multis vanis phantaſijs implicatus, tam multum inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora, tam leuis ad riſum & diſſolutionẽ, tam durus ad fletum & compunctionem, tam promptus ad la-

xiora,& carnis cõmoda,tã ſegnis ad rigorem & feruorem, tã curioſus ad noua audienda & pulchra intuenda, tam remiſſus ad humilia & abiecta amplectenda, tam cupidus ad multa habenda,& tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum, tam inconſideratus in loquendo, tam incontinens ad tacendum, tam incompoſitus in moribus, tam importunus in actibus, tam effuſus ſuper cibum, tam ſurdus ad Dei verbum, tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem, tam vigilans ad fabulas, tam ſomnolentus ad vigilias ſacras, tam feſtinus ad finem, tam vagus ad attendendum,tam negligens in horis perſoluendis,tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando, tam citò diſtractus,tam raro tibi benè collectus, tam ſubitò commotus ad iram,tam facilis ad alterius diſplicentiam, tam pronus ad iudicandum,tam rigidus ad arguendum, tam lætus ad proſpera, tam debilis in aduerſis, tam ſæpè multa bona proponens, & modicum ad effectum perducens. His, & alijs defectibus tuis cum dolore,& magna diſplicẽtia propriæ infirmitatis, confeſſis ac deploratis, firmum ſtatue propoſitum ſemper emendandi vitam tuam, & in melius proficiendi. Deinde cum plena reſi-

gna

gnatione & integra voluntate offer teipſum in honorẽ nominis mei, in ara cordis tui, holocauſtum perpetuum, corpus tuum, ſcilicet, & animam mihi fideliter committendo, quatenus ſic dignè mercaris ad offerendum Deo ſacrificium accedere, & ſacramentum, corporis mei ſalubriter ſuſcipere. Non enim oblatio dignior, & ſatisfactio maior pro peccatis diluẽdis, quàm ſeipſum purè & integrè cum oblatione corporis Chriſti in miſſa, & in communione Deo offerre. Si homo fecerit, quòd in ſe eſt, & verè pœnituerit, quotieſcunque pro venia & gratia ad me acceſſerit, viuo ego, dicit Dominus, quia nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat, quoniam peccatorum ſuorum non recordabor amplius: ſed cuncta ſibi indulta erunt.

De oblatione Chriſti in cruce, & propria reſignatione.
CAPVT VIII.

SIcut ego meipſum, expanſis in cruce manibus, & nudo corpore, pro peccatis tuis Deo patri ſponte obtuli, ita vt nihil in me remaneret, quin totum in ſacrificium diuinę placationis tranſierit ita de-

Digitized by Google

bes & tu temetipſum mihi voluntariè in oblationem puram& ſanctam quotidie in miſſa cum omnibus viribus & affectibus tuis, quantò intimius vales, offerre. Quid magis à te requiro, quã vt te ſtudeas mihi ex integro reſignare? Quicquid præter teipſum das, nihil curo, quia non quæro datum tuum, ſed te Sicut non ſufficeret tibi, omnibus habitis, præter me, ita nec mihi placere poterit quicquid dederis, te non oblato Offer te mihi, & da totum pro Deo, & erit accepta oblatio. Ecce ego me totum obtuli patri pro te, dedi etiam totum corpus meum, & ſanguinem in cibum: vt totus tuus eſſem, & tu meus permaneres. Si autem in teipſo ſteteris, nec ſponte te ad voluntatem meam obtuleris, non eſt plena oblatio: nec integra erit inter nos vnio. Ideò omnia opera tua, præcedere debet ſpõtanea tuiipſius in manus Dei oblatio, ſi libertatem conſequi vis, & gratiam. Ideò tam pauci illuminati, & liberi intus efficiuntur: quia ſeipſos ex toto abnegare neſciũt. Eſt firma ſententia mea. Niſi quis renunciauerit omnibus, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Tu ergo, ſi optas meus eſſe diſcipulus, offer teipſum mihi cum omnibus affectibus tuis.

Quòd

Digitized by Google

Quòd nos, & omnia noſtra Deo debemus offerre & pro omnibus orare.

CAPVT IX.

DOmine, omnia tua ſunt, quę in cœlo ſunt & in terra. Deſidero meipſum tibi ſpontaneã oblationem offerre: & tuus perpetuò permanere. Domine, in ſimplicitate cordis mei offero meipſum tibi hodie in ſeruum ſempiternum, in obſequium & ſacrificium laudis perpetuę: Suſcipe me cum hac ſancta oblatione tui pretioſi corporis, quam tibi hodie in præſentia angelorũ inuiſibiliter adſiſtentium offero: vt ſit pro me, & pro cuncto populo tuo in ſalutem. Domine, offero tibi omnia peccata & delicta mea, quæ cõmiſi coram te, & ſanctis angelis tuis à die, quo primùm peccare potui, vſque ad diem hunc, ſuper placabili altari tuo, vt omnia pariter incendas, & comburas igne charitatis tuæ, & deleas vniuerſas maculas peccatorum meorum, & conſcientiã meã ab omni delicto emundes, & reſtituas mihi gratiam tuam, quam peccando amiſi, omnia mihi plenè indulgendo, & in oſculum pacis me miſericorditer aſſumendo. Quid poſſum agere pro peccatis meis, niſi humiliter ea confitendo & lamentando, &

tuam propitiationem inceſſanter deprecando? Deprecor te, exaudi me propitius, vbi aſto coram te Deus meus. Omnia peccata mea mihi maximè diſplicent. Nolo ea vnquàm ampliùs perpetrare: ſed pro eis doleo & dolebo, quandiu vixero, paratus pœnitentiam agere, & pro poſſe ſatis facere. Dimitte mihi Deus, dimitte mihi peccata mea, propter nomen ſanctum tuum: ſalua animam meam, quam pretioſo ſanguine tuo redemiſti. Ecce committo me miſericordiæ tuæ, reſigno me in manibus tuis: age mecum ſecundùm bonitatem tuam, non ſecundùm meam malitiam, & iniquitatem. Offero tibi omnia bona mea, quamuis valdè pauca & imperfecta, vt tu ea emundes & ſanctifices: vt ea grata habeas, & accepta tibi facias, & ſemper ad meliora trahas, necnon ad beatum & laudabilem finem me pigrum & inutilẽ homuncionem perducas. Offero quoq; tibi omnia deſideria deuotorum, neceſſitates parentum, amicorum, fratrum, ſororum, omniumque charorum meorum, & eorum, qui mihi vel alijs propter amorem tuum benefecerunt, & qui orationes & miſſas pro ſe, ſuiſque omnibus dici à me deſiderauerunt & petierunt, ſiue in carne adhuc viuãt, ſiue iam ſeculo defuncti ſint,

vt omnes ſibi auxilium gratiæ tuæ, opem conſolationis, protectionem à periculis, liberationem à pœnis, aduenire ſentiant: & vt ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas læti perſoluant. Offero etiam tibi preces, & hoſtias placationis pro illis ſpecialiter, qui me in aliquo læſerunt, cõtriſtauerunt, aut vituperauerunt, vel aliquod damnum, vel grauamen intulerunt. Pro his quoque omnibus, quos aliquando contriſtaui, conturbaui, grauaui & ſcandalizaui verbis & factis, ſcienter & ignoranter, vt nobis omnibus pariter indulgeas peccata noſtra, & mutuas offenſiones. Aufer, Domine à cordibus noſtris omnem ſuſpicionem, indignationem, iram & diſceptationem, & quicquid poteſt charitatem lædere, & fraternam dilectionem minuere. Miſerere Domine, miſericordiã tuam poſcentibus: da gratiam indigentibus: & fac nos tales exiſtere, vt ſimus digni gratia tua perfrui, & ad vitam proficiſcamur æternam, Amen.

Quòd ſacra communio de facili non eſt relinquenda.

CAPVT X.

FRequenter recurrendum eſt ad fontẽ gratiæ, & diuinę miſericordię, ad fon-

tem bonitatis, & totiùs pietatis, quatenus à paſſionibus tuis, & à vitijs curari valeas, & contra vniuerſas tentationes, & fallacias diaboli, fortior, atque vigilantior effici merearis. inimicus ſciens fructum, & remedium maximum in ſacra communione poſitum, omni modo & occaſione nititur fideles & deuotos, quantum præualet, retrahere & impedire. Cùm enim quidam ſacræ communioni ſe aptare diſponunt, peiores Satanæ immiſſiones patiuntur. Ipſe enim nequam ſpiritus, vt in Iob ſcribitur, venit inter filios Dei, vt ſolita eos nequitia perturbet, aut timidos nimium reddat, & perplexos, quatenus affectum eorum minuat, vel fidem impugnãdo auferat: ſi fortè, aut omnino communionem relinquant, aut cum tepore accedant: ſed non eſt quicquam curandum de verſutijs & phantaſijs illius, quantumlibet turpibus & horrendis, ſed cuncta phantaſmata in caput eius ſunt retorquenda. Contemnendus eſt miſer & deridendus, nec propter inſultus eius, & commotiones, quas ſuſcitat, ſacra eſt omittenda communio. Sæpè etiam impedit nimia ſolicitudo pro deuotione habẽda, & anxietates quędã de confeſſione facienda. Age ſecundùm cõſilium ſapientium: & depone anxietatem, & ſcrupulum

pulum: quia gratiam Dei impedit, & deuotionem mentis deſtruit. Propter aliquã paruam tribulationem, vel grauitatem, ſacram ne dimittas communionẽ: ſed vade citiùs confiteri, & omnes offenſiones aliis libẽter indulge. Si verò aliquem offendiſti, veniam humiliter precare, & Deus libenter indulgebit tibi. Quid prodeſt diu tardare confeſſionem, aut ſacram differre communionem? expurga te cum primis, expue velociter venenum: feſtina accipere remedium, & ſenties melius, quàm ſi diu diſtuleris. Si hodie propter iſtud dimittis, cras forſitã illud magis eueniet: & ſic diu poſſes à communione impediri, & magis ineptus fieri. Quantò ergo citius vales, à præſenti grauitate & inertia te excutias, quia nihil importat diu anxiari, diu cum turbatione trãſire: & ob quotidiana obſtacula ſe à diuinis ſequeſtrare: imo plurimum nocet, diu communionem protelare, nam & grauem torporem conſueuit inducere. Proh dolor, quidã tepidi, & diſſoluti, moras confitendi libenter accipiunt, & communionem ſacram idcirco differre cupiunt, ne ad maiorem ſui cuſtodiã ſe dare teneantur. Heu quàm modicam charitatem, & debilem deuotionem habent, qui ſacram communionem tam faciliter

poſt

poſtponunt. Quàm felix ille, & Deo acceptus habetur, qui ſic viuit, & tali puritate conſcientiam ſuam cuſtodit, vt etiam omni die communicare paratus, & bene affectus eſſet, ſi ei liceret, & ſine nota agere poſſet. Si quis interdum abſtinet, humilitatis gratia, aut legitima impediẽte cauſa, laudandus eſt de reuerentia. Si autem torpor obrepſerit, ſeipſum excitare debet, & facere quod in ſe eſt, & Dominus aderit deſiderio ſuo, pro bona voluntate, quam ſpecialiter reſpicit. Cùm verò legitimè præpeditus eſt, habebit ſemper voluntatẽ & piam intentionem communicandi, & ſic non carebit fructu ſacramenti. Poteſt enim quilibet deuotus omni die, & omni hora, ad ſpiritalẽ Chriſti communionem ſalubriter, & ſine prohibitione accedere, & tamen certis diebus, & ſtatuto tempore, corpus ſui redemptoris cum affectuoſa reuerentia ſacramentaliter debet ſuſcipere, & magis laudem Dei, & honorem prætẽdere, quàm ſuam conſolationem quærere. Nam toties myſticè communicat, & inuiſibiliter reficitur: quoties incarnationis Chriſti myſterium, paſſionémque deuotè recolit, & in amore eius accenditur. Qui aliter ſe nõ præparat, niſi inſtante feſto, vel cõſuetudine compellente, ſæpius imparatus

tus erit. Beatus qui ſe Domino in holocauſtum offert, quoties celebrat, aut communicat. Non ſis in celebrando nimis prolixus, aut feſtinus: ſed ſerua bonum communem modum, cum quibus viuis. Non debes alijs generare moleſtiam & tædium, ſed communem ſeruare viam, ſecundùm maiorum inſtitutionem, & potiùs aliorum ſeruire vtilitati, quàm proprię deuotioni vel affectioni.

Quòd corpus Chriſti, & ſacra ſcriptura maximè ſint animæ fideli neceſſaria.

CAPVT XI.

O Dulciſſime Domine Ieſu, quanta eſt dulcedo deuotæ animæ tecũ epulãtis in conuiuio tuo: vbi ei non alius cibus manducandus proponitur, niſi tu vnicus dilectus eius ſuper omnia deſideria cordis eius deſiderabilis! Et mihi quidem dulce foret in præſentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere, & cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare. Sed vbi eſt hæc deuotio, vbi lacrymarum ſanctarum copioſa effuſio? Certè in conſpectu tuo, & ſanctorum Angelorum tuorum totum cor

meum

meum ardere deberet, & ex gaudio flere: Habeo enim te in ſacramentis verè præſentem, quamuis per alienam ſpeciem occultatū. Nam in propria & diuina claritate te cōſpicere oculi mei ferre nō poſſent, ſed neque totus mundus in fulgore gloriæ maieſtatis tuæ ſubſiſteret. in hoc ergo imbecillitati meæ cōſulis, quòd te ſub ſacramēto abſcōdis. Habeo verè, & adoro, quē Angeli adorant in cœlo: ſed ego adhuc interim in fide, illi autē in ſpecie, & ſine velamine. Me oportet conuentum eſſe in lumine veræ fidei, & in ea ambulare, donec aſpiret dies æternæ claritatis, & vmbræ figurarum inclinentur. cùm autem venerit, quod perfectum eſt, ceſſabit vſus ſacramētorum: quia beati in gloria cœleſti non egent medicamine ſacramentali: gaudent enim ſine fine in præſentia Dei, facie ad faciem gloriam eius ſpeculantes, & de claritate in claritatē abyſſalis Deitatis transformati, guſtant verbum Dei, carnem factum, ſicut fuit ab initio, & manet in æternum. Memor horum mirabilium, graue mihi fit tædium, etiam quodlibet ſpiritale ſolatium, quia quandiu Dominum meum apertè in ſua gloria non video, pro nihilo duco omne, quod in mundo conſpicio, & audio. Teſtis es tu mihi Deus, quod nulla

poteſt

poteſt me res cõſolari, nulla creatura quietare, niſi tu Deus meus, quẽ deſidero æternaliter contemplari. Sed non eſt hoc poſſibile durante me in hac mortalitate. Ideò oportet vt me ponam ad magnam patientiam, & meipſum in omni deſiderio tibi ſubmittam. Nam & ſancti tui, Domine, q tecum iam in regno cœlorum exultant, in fide & patientia magna dum viuerent, aduentum gloriæ tuę expectabant. Quod illi crediderunt, ego credo: quod illi ſperauerunt, ego ſpero: quò illi peruenerunt, per gratiam tuam me venturum cõfido. Ambulabo interim in fide: exemplis confortatus ſanctorum. Habeo etiam libros ſanctos pro ſolatio & vitæ ſpeculo: atque ſuper hęc omnia ſanctiſſimũ corpus tuũ pro ſingulari remedio, & refugio. Duo nanque mihi neceſſaria permaximè ſentio in hac vita, ſine quibus mihi importabilis foret iſta miſerabilis vita: in carcere corporis huius detẽtus duobus me egere fateor, cibo ſcilicet, & lumine. Dediſti itaque mihi infirmo ſacrum corpus tuum ad refectionem mẽtis, & corporis, & poſuiſti lucernam pedibus meis, verbum tuum. Sine his duobus benè viuere non poſſem. nam verbum Dei, lux animæ meæ, & ſacramentum tuum panis vitæ. Hæc poſſunt etiam

etiã dici menſę duæ, hinc & inde in gazophylacio ſanctæ eccleſiæ poſitæ. Vna mẽſa eſt ſacri altaris, habens panem ſanctum, id eſt corpus Chriſti pretioſum. Altera eſt diuinæ legis continens doctrinã ſanctam, erudiens in fide recta, & firmiter vſque ad interiora velaminis, vbi ſunt ſancta ſanctorũ, perducẽs. Gratias tibi ago, Domine Ieſu, lux lucis æternæ, pro doctrinę ſacræ mẽſa, quam nobis per ſeruos tuos Prophetas & Apoſtolos, alióſque doctores miniſtraſti. Gratias tibi Creator, & Redemptor hominum: qui ad declarandam toti mundo charitatem tuã, cœnã paraſti magnam, in qua non agnum typicum ſed tuum ſanctiſſimum corpus, & ſanguinẽ propoſuiſti manducandum & bibendum, lætificans omnes fideles conuiuio ſacro, & calice inebrians ſalutari, in quo ſunt omnes deliciæ paradiſi, & epulãtur nobiſcum angeli ſancti, ſed ſuauitate feliciori. O quàm magnum & honorabile eſt officium Sacerdotum, quibus datum eſt Dominũ maieſtatis verbis ſacris conſecrare, labiis benedicere, manibus tenere; ore proprio ſumere, & cæteris miniſtrare! O quàm mundæ debent eſſe manus illæ! quàm purũ os, quàm ſanctum corpus: quàm immaculatum erit cor ſacerdotis, ad quem toties ingreditur

auctor.

Digitized by Google

auctor puritatis! Ex ore ſacerdotis nihil niſi ſanctum, niſi honeſtum, & vtile procedere debet verbum, qui tam ſæpè Chriſti accipit ſacramentum. Oculi eius ſimplices & pudici, qui Chriſti corpus ſolent intueri. Manus puræ, & in cælum eleuatæ, quæ creatorem cæli, & terræ, ſolent contrectare. Sacerdotibus ſpecialiter in lege dicitur. ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter. Adiuuet nos gratia tua, omnipotens Deus, vt qui officium ſacerdotale ſuſcepimus, dignè, ac deuotè tibi in omni puritate, & in conſcientia bona famulari valeamus. Et ſi non poſſimus in tanta innocentia vitæ cōuerſari, vt debemus, concede nobis tamen dignè flere mala, quæ geſſimus, vt in ſpiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis propoſito, tibi feruentiùs de cætero deſeruire valeamus.

Quòd magna diligentia ſe debeat communicaturus Chriſto præparare.

CAPVT XII.

EGo ſum puritatis amator, & dator omnis ſanctitatis. Ego cor purū quęro, & ibi eſt locus requietionis meę. Para mihi cœnaculum grande ſtratum, & faciam

apud te paſcha cum diſcipulis meis. Si vis, vt veniam ad te, & apud te maneam, expurga vetus fermentum, & munda cordis tui habitaculum, exclude totum ſeculum, & omnem vitiorum tumultum, ſede tanquam paſſer ſolitarius in tecto, & cogita exceſſus tuos in amaritudine animæ tuæ. Omnis namque amãs ſuo dilecto optimũ & pulcherrimum pręparat locum: quia in hoc cognoſcitur affectus ſuſcipientis dilectum. Scito tamen te non poſſe ſatisfacere huic pręparationi ex merito tuæ actionis, etiam ſi per integrum annum te præparares, & nihil aliud in mente haberes, ſed ex ſola pietate, & gratia mea permitteris ad menſam accedere, ac ſi mendicus ad prandium vocaretur diuitis, & ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficiis eius, niſi ſe humiliando, & regratiando. Fac quod in te eſt, & diligenter facito: non ex conſuetudine, non ex neceſsitate: ſed cum timore, & reuerẽtia & affectu, accipe corpus dilecti Domini Dei tui, dignãtis ad te venire. Ego ſum, qui vocaui, ego iuſsi fieri, ego ſupplebo quod tibi deeſt: veni, & ſuſcipe me. Cùm gratiam deuotionis tribuo, gratias age Deo tuo: non quia dignus es, ſed quia miſertus tui ſum: ſi nõ habes, ſed magis aridum te ſentis, inſiſte orationi, ingemi

gemiſce, & pulſa, nec deſiſtas donec mereris micam, aut guttam gratiæ ſalutaris accipere. Tu mei indiges, nõ ego tui indigeo, nec tu me ſanctificare venis: ſed ego te, & meliorare te venio. Tu venis, vt ex me ſanctificeris, & mihi vniaris, vt nouam gratiã recipias, & de nouo ad emandationem accendaris. Noli negligere hanc gratiam, ſed præpara cum omni diligẽtia cor tuum, & introduc ad te dilectum tuum: oportet autem vt non ſolùm te præpares ad deuotionem ante communionem, ſed vt etiam te ſolicitè conſerues in ea poſt ſacramenti perceptionem. Nec minor cuſtodia pòſt exigitur, quàm deuota præparatio priùs. Nam bona poſtmodum cuſtodia, optima iterum eſt præparatio ad maiorem gratiam conſequẽdam. Ex eo quippe valdè indiſpoſitus quis redditur, ſi ſtatim fuerit nimis effuſus ad exteriora ſolatia. Caue à multiloquio, mane ſecretò, & fruere Deo tantùm: ipſum enim habes quem totus mundus tibi auferre non poteſt. Ego ſum, cui te totum dare debes, ita vt iam vltra non in te, ſed in me abſque omni ſolicitudine viuas.

Quòd toto corde anima deuota Chriſti vnionem in ſacramento affectare debet.

CAPVT XIII.

QVis mihi det, Domine, vt inueniam te ſolum, & aperiam tibi totum cor meum, & fruar te, ſicut deſiderat anima mea, & iam me nemo deſpiciat, nec vlla creatura me moueat, vel reſpiciat: ſed tu ſolus mihi loquaris, & ego tibi, ſicut ſolet dilectus ad dilectum loqui, & amicus cum amico conuiuari? Hoc oro, hoc deſidero, vt tibi totus vniar, & cor meum ab omnibus creatis rebus abſtraham, magíſque per ſacram communionē, ac frequentē celebrationem cæleſtia, & æterna ſapere diſcam. Ah Domine Deus, quādo ero tecum totus vnitus, & abſorptus, meíque totaliter oblitus! Te in me, & me in te, & ſic nos pariter in vnū manere cōcede. Verè tu es dilectus meus, electus ex millibus, in quo cōplacuit animæ meæ, habitare omnibus diebus vitæ ſuæ. Verè tu pacificus meus, in quo pax ſumma, & requies vera: extra quē labor, & dolor, infinita miſeria. Verè tu es Deus abſconditus: & conſilium tuum non eſt cum impiis, ſed cum humilibus, & ſimplicibus ſermo tuus. O quàm ſuauis eſt, Domi

Digitized by Google

Domine, ſpiritus tuus: qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo deſcendente illos reficere dignaris! Verè non eſt alia nat o tã grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut tu, Deus noſter, ades vniuerſis fidelib⁹ tuis: qui ob quotidianum ſolatium, & cor erigendum in cælum, te tribuis ad edendum & fruendum. Quæ eſt enim alia gens tam inclyta, ſicut plebs Chriſtiana? aut quæ creatura ſub cælo tam dilecta, vt anima deuota ad quam ingreditur Deus, vt paſcat eam carne ſua glorioſa. O ineffabilis g atia, ô admirabilis dignatio! O amor immenſus, homini ſingulariter impenſus! Sed quid retribuam Domino pro gratia iſta, pro charitate tam eximia? Non eſt aliquid, quod gratius donare queã, quàm vt cor meum Deo totaliter tribuã, & intime coniungam. Tunc exultabunt omnia interiora mea, cùm perfectè fuerit vnita Deo anima mea. Tunc dicet mihi. Si tu vis eſſe mecum, ego volo eſſe tecum. Ego reſpondebo illi, Dignare, Domine, manere mecum, & ego volo libenter eſſe tecum: hoc eſt totum deſiderium meum, vt cor meum tibi ſit vnitum.

*

De quorundam deuotorum ardente deſiderio ad corpus Chriſti.

CAPVT XIIII.

QVàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Quando recordor deuotorũ aliquorum ad ſacramentum tuum, Domine, cum maxima deuotione & affectu accedentium, tunc ſæpius in meipſo confundor, & erubeſco, quòd ad altare tuum, & ſacræ communionis menſam tuam tepidè, & frigidè accedo: quòd ita aridus & ſine affectione cordis maneo, & quòd nõ ſum totaliter accenſus coram te Deo meo, nec ita vehementer attractus, & affectus, ſicut multi deuoti fuerunt: qui præ nimio deſiderio cõmunionis & ſenſibili cordis amore, à fletu ſe non potuerunt continere: ſed ore, corde, & corpore pariter ad te Deum fontem viuum medullitus inhiabãt, ſuam eſuriem non valẽtes aliter temperare, nec ſatiare, niſi corpus tuum cum omni iucunditate, & ſpirituali auiditate accepiſſent. O verè ardens fides eorum, probabile exiſtens argumentum ſacræ præſentiæ tuæ! Iſti enim veraciter cognoſcunt Dominum ſuum in fractione panis, quorum cor tam validè ardet in eis de Ieſu ambulante cum eis. Longè eſt à me ſæpè talis affectus, & de

deuotio,tam vehemẽs amor & ardor.Eſto mihi propitius, Ieſu bone, dulcis & benigne, & concede pauperi mendico tuo vel interdũ modicũ de cordiali affectu amoris tui,in ſacra communione ſentire, vt fides mea magis conualeſcat, ſpes in bonitate tua proficiat, & charitas ſemel perfectè accenſa,& cæleſte manna experta, nũquam deficiat. Potẽs eſt autem miſericordia tua,& etiam gratiam deſideratam mihi præſtare, & in ſpiritu ardoris cùm dies beneplaciti tui aduenerit, me clementiſſimè viſitare:Etenim licet tanto deſiderio tam ſpecialium deuotorum tuorum non ardeo, tamẽ de gratia tua illius magni inflãmati deſiderij deſiderium habeo,orans, & deſiderans omnium talium & feruidorum amatorũ tuorum participem me fieri, ac eorum ſanctorum conſortio annumerari.

Quòd gratia deuotionis,humilitate,& ſui ipſius abnegatione requiritur.

CAPVT XV.

OPortet te deuotionis gratiam inſtanter quærere, deſideranter petere,patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere,humiliter cõſeruare, ſtudioſè cum ea operari,ac Deo tempus,& modum supernæ viſitationis,donec venit,committ

Digitized by Google

tere, humiliare præcipuè te debes, cùm parum, aut nihil deuotionis interius ſentis: ſed nõ nimium deiici, nec inordinatè contriſtari. Dat ſæpè Deus in vno breui momento, quod longo negauit tempore. Dat etiam quandoque in fine, quod in principio orationis largiri diſtulit. Si ſemper citò gratia daretur, & pro voto adeſſet, non eſſet infirmo homini benè portabile: propter eà in bona ſpe, & humili patientia expectanda eſt deuotionis gratia: tibi tamen, & peccatis tuis imputa, cùm non datur, vel etiã cùm occultè tollitur. Modicum quandoque eſt, quod gratiã impedit, & abſcondit, ſi tamen modicũ, & non potius grande dici debeat, quod tantũ bonum prohibet. Et ſi hoc ipſum modicũ, vel grande amoueris, & perfectè vixeris, erit tibi quod petiſti. Statim nãque, vt te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc, vel illud pro tuo libito, ſeu velle quæſieris, ſed integrè in ipſo poſueris, vnitũ te inuenies, & pacatũ. quia nihil ita benè ſapiet, & placebit, ſicut benè placitum diuinæ voluntatis. Quiſquis ergo intentionem ſuã ſimplici corde ſurſum ad Deum leuauerit, ſéque ab omni inordinato amore, ſeu diſplicentia cuiuſlibet rei creatæ euacuauerit, aptiſſimus gratiã percipiẽdi, ac dignus deuotionis munere erit.

Dat

Digitized by Google

Dat enim dominus ibi benedictionē ſuā, vbi vaſa vacua inuenerit:& quanto perfectius quis infimis renunciauerit, & magis ſibi ipſi per cōtemptum ſui moritur, tantò gratia celeriùs venit, copioſiùs intrat: & altiùs liberum cor eleuat. Tunc videbit,& affluet,& mirabitur, & dilatabitur cor eius in ipſo, quia manus Domini cum eo, & ipſe ſe poſuit totaliter in manu eius vſque in ſeculū. Ecce ſic benedicetur homo qui quærit Deum in toto corde ſuo: nec in vanum accipit animam ſuam. Hic in accipiendo ſacram Euchariſtiam magnam promeretur diuinæ vnionis gratiam: quā non reſpicit ad propriam deuotionem & conſolationem, ſed ad Dei gloriam & honorem.

Quòd neceßitates noſtras Chriſto aperire, & eius gratiam poſtulare debemus.

CAPVT XVI.

O Dulciſſime, atque amantiſſime Domine, quē deſidero ſuſcipere, tu ſcis infirmitatem meam, & neceſſitatem, quā patior, in quantis malis,& vitijs iaceo quā ſæpè ſum grauatus, tentatus, turbatus, & inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro conſolatione & ſubleuamine, te deprecor. Ad omnia ſcientem loquor, cui manifeſta ſunt omnia interiora mea:& qui ſolus me

perfectè potes conſolari, & adiuuare. Tu ſcis, quibus bonis indigeo prę omnibus, & quam pauper ſum virtutibus. Ecce ſto ante te pauper, & nudus, gratiam poſtulans, & miſericordiam implorans. Refice eſurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinē, omnia grauia & contraria in patientiam, omnia infima & creata, in cōtemptū & obliuionem. Erige cor meum ad te in cælum, & ne dimittas me vagari ſuper terram. Tu ſolus mihi ex hoc iam dulceſcas vſque in ſeculū: quia tu ſolus cibus & potus meus, amor meus, & gaudium meum, dulcedo mea, & totum bonum meum. Vtinam me totaliter ex tua præſentia accendas, comburas, & in te tranſmutes, vt vnus tecum efficiar ſpiritus, & per gratiā internę vnionis, & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum & aridum à te recedere, ſed operare mecum miſericorditer, ſicut ſæpius operatus es cum ſanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, ſi totus ex te igneſcerem, & in meipſo deficerem, cùm tu ſis ignis ſemper ardens, & nunquàm deficiens, amor corda purificans, & intellectum illuminans?

De

De ardenti amore, & vehementi affectu ſuſcipiendi Chriſtum. Vox diſcipuli.

CAPVT XVII.

CVm ſũma deuotione, & ardenti amore, cum toto cordis affectu, & feruore, deſidero te, Domine, ſuſcipere, quemadmodum multi ſancti, & deuotæ perſonæ, in communicando te deſiderauerunt: qui tibi maximè in ſanctitate vitæ placuerunt, & in ardentiſſima deuotione fuerunt. O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te ſuſcipere cum vehementiſſimo deſiderio, & digniſſima reuerentia, quam aliquis ſanctorum vnquàm habuit, & ſentire potuit. Et licet indignus ſum omnia illa ſentimenta deuotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac ſi omnia illa gratiſſimè inflammata deſideria ſolus haberẽ. Sed & quæcunq; poteſt ipſa pia mens concipere, & deſiderar, hæc omnia tibi cum ſumma reuerentia, veneratione, ac intimo fauore præbeo, & offero. Nihil opto mihi reſeruare: ſed me, & omnia mea tibi ſponte, & libentiſſimè immolare. Domine Deus meus, Creator meus, & redemptor meus cum tali affectu, reuerentia, laude, & honore, cum tali gratitudine, dignita

dignitate, & amore, cum tali fide, ſpe, & puritate, te affecto hodie ſuſcipere, ſicut te ſuſcepit, & deſiderauit ſanctiſſima mater tua glorioſa virgo Maria, quando angelo euangelizanti ſibi incarnationis myſterium humiliter & deuotè reſpõdit, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundũ verbum tuum. Et ſicut beatus præcurſor tuus excellentiſſimus ſanctorum Ioannes Baptiſta in præſentia tua lætabundus exultauit in gaudio Spiritus ſancti, dum adhuc maternis clauderetur viſceribus, & poſtmodum cernẽs inter homines Ieſum ambulantem valdè ſe humilians, deuoto cum affectu dicebat. Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit cum gaudio, gaudet propter vocem ſponſi, ſic & ego magnis & ſacris deſideriis opto inflammari, & ibi ex toto corde meipſum præſentare. Vnde & omnium deuotorum cordium iubilationes, ardentes affectus, mentales exceſſus, ac ſupernales illuminationes, & cælicas viſiones tibi offero, & exhibeo, cum omnibus virtutibus, & laudibus ab omni creatura in cælo, & in terra celebratis, & celebrandis, pro me, & omnibus mihi in oratione commendatis, quatenus ab omnibus dignè lauderis, & in perpetuum glorificeris. Accipe vota mea, Domine Deus

meus,

meus, & deſideria infinitæ laudationis, & immenſæ benedictionis: quæ tibi ſecundùm multitudinẽ ineffabilis magnitudinis tuæ iure debentur. Hæc tibi reddo, & reddere deſidero per ſingulos dies & momenta temporum, atque ad reddendum mecum tibi gratias, & laudes, omnes cæleſtes ſpiritus, & cunctos fideles tuos precibus, & affectibus inuito & exoro. Laudent te vniuerſi populi tribus, & linguę, & ſanctum ac mellifluum nomen tuum cum ſumma iubilatione, & ardenti deuotione magnificent. Et quicunque reuerenter, ac deuotè altiſſimum ſacramentum tuum celebrant, & plena fide recipiunt, gratiam & miſericordiam apud te inuenire mereantur, & pro me peccatore ſuppliciter exorent. Cúmque optata deuotione, ac fruibili vnione potiti fuerint, & bene conſolati, ac mirificè refecti & de ſacra menſa cæleſti abceſſerint: mei pauperis recordari dignentur.

Quòd homo non ſit curioſus ſcrutator ſacramenti, ſed humilis imitator Chriſti, ſubdendo ſenſum ſuum ſacræ fidei.

CAPVT XVIII.

CAuendum eſt tibi à curioſa & inutili perſcrutatione huius profundiſſimi ſacramenti, ſi non vis in dubitationis profundum

fūdum demergi. Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Plus valet Deo operari, quàm homo intelligere poteſt. Tolerabilis, pia & humilis inquiſitio veritatis, parata ſemper doceri, & per ſanas patrum ſententias ſtudens ambulare. Beata ſimplicitas, quæ difficiles quæſtionum reliquit vias, & in plana ac firma pergit ſemita mandatorum Dei. Multi deuotionem perdiderunt, cùm altiora ſcrutari voluerunt. Fides à te exigitur & ſyncera vita, nõ altitudo intellectus, neque profūditas myſteriorum Dei Si non intelligis, nec capis, quæ infra te ſunt, quomodo comprehendes ea, quæ ſupra te ſunt? Subde te Deo: & humilia ſenſum tuum fidei, & dabitur tibi ſcientiæ lumen, prout tibi fuerit vtile ac neceſſarium Quidam grauiter tentantur de fide, ac ſacramento, ſed non eſt hoc ipſis imputādum, ſed potius inimico. Noli curare, noli diſputare cum cõgitationibus tuis, nec ad immiſſas à diabolo dubitationes reſponde ſed crede verbis Dei: crede ſanctis eius, & prophetis, & fugiet à te nequam inimicus. Sæpè multū prodeſt, quòd talia ſuſtinet Dei ſeruus. Nam infideles & peccatores non tentat: quos ſecurè poſſidet: fideles autem, & deuotos variis modis tentat, & vexat. Perge ergo cum ſimplici, &

indu

indubitata fide,& cum ſimplici reuerentia ad ſacramentum accede. Quicquid intelligere non vales, Deo omnipotenti ſecurè committe.Non fallit te Deus: fallitur,qui ſibi nimium credit. Graditur Deus cum ſimplicibus: reuelat ſe humilibus, dat intellectum paruulis: aperit ſenſum puris mētibus:& abſcondit gratiam curioſis, & ſuperbis.Ratio humana debilis eſt, & falli poteſt, fides autem vera falli non poteſt. Omnis ratio, & naturalis inueſtigatio,fidem ſequi debet,non præcedere, nec infringere. Nam fides, & amor ibi maximè præcellunt, & ocultis modis in hoc ſanctiſſimo,& ſuper excellentiſſimo ſacramento operãtur. Deus æternus,& immenſus, infinitæque potētiæ, facit magna, & inſcrutabilia in cælo, & in terra, nec eſt inueſtigatio mirabilium operum eius. Si talia eſſent opera Dei, vt facilè ab humana ratione caperentur, non eſſent mirabilia,nec ineffabilia dicenda.

Quamuis iſte libellus dicatur Ioannis Gerſonis:auctor tamen ipſius fuit Thomas de Kempis,Canonicus Regulis.

REVE

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ac Domino, Domino Cutberto Tonſtallo, Epiſcopo Dunelmenſi in Anglia Ioan. Cochleus, S. P. D.

Euerēdiſſime in Chriſto pater, ac Domine, poſteà quàm è Lōdino in patriā tuā feliciter conceſſiſti, honore auctus & poteſtate, rerúmque prouētu, non licuit mihi tam frequēter quàm anteà, qualiacunque mea & gratitudinis, & obſeruantiæ officia erga reuerendiſſimam dominationē tuam per literas præſtare, maximè propter locorum ampliorē vtrinque factam diſtantiā. Scripſi tamē aliquoties, vti ad D. Ridellium, ita & ad R. D. T. verum cùm ignorē quidnam literarum mearum ad R D. T. peruenerit intra quinquēnium (vnde ſuſpicor aliquot epiſtolas interceptas periiſſe,) decreui tandem publicum quærere internuntiū, cúmque neque leuem, nec contemptibilem blacteronem, ſed pium eruditúmque pontificem Innocentium III. à cunctis tum hiſtoricis, tum chronographis eximiè laudatū atque etiam públicà in decretalibus epiſtolis iuris canonici auctoritate probatum.

Digitized by Google

tũ. Vt is meæ erga R. D. T. & dilectionis, & reuerētiæ teſtis in publicum editus exiſtat. Spero ita hunc longè & gratiorẽ tibi & ab interceptorum inſidijs tutiorem fore, quàm fuerint, aut eſſe queant, literæ priuatæ. Ad multa quoque vtilem multis, quos modò in reprobũ ſenſum non dederit Deus, aut quos non excęcauerit, nec indurauerit propria iniquitas. Cunctis enim quos vel natalium ſplendor extollit, vel ſcientia inflat, aut rerum ſucceſſus in elationem ſuberigit, humilitatis præcepta ex ſacris literis ſalubriter ob oculos ponit, & humanæ conditionis miſeriã declarans, omnes à ſuperbia deterret. Quæ ſanè admonitio perquam neceſſaria videtur hoc maximè tẽpore: in quo ſic inflat vel vmbra ſciẽtiæ pleroſque ſciolos, vt de fide, & religione noſtra nõ ſolũ inter pocula infideliter ac religiosè diſputare, verumetiam noua præcepta decernere, & in lucẽ edere non vereantur, vel indocti cerdones, & analphabeti ſutores, & pelliparij. Innocẽtius verò ait, Vix eſſe quicquã tam vile aut facile, quod ad plenũ intelligat homo, niſi forſitan illud perfectè ſciatur, quòd nihil ſcitur perfectè: Quãquam ex hoc protinus inſolubilis redargutio conſequitur. Quale fuit & antiquum Socratis dictum:

Hoc vnum ſcio, quod neſcio: & longè antiquus ac religioſius dictum eſt à magno
Iob. 20. & ſancto viro Iob. Verè ſcio, quòd ita ſit, & quòd non iuſtificetur homo comparatus Deo: ſi voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere ei vnum pro mille.
Eccleſ. 7. Sic & ſapientiſſimus Salomon ait: Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis immiſcuerit quæſtionibus. Irreligioſa eſt igitur hæc ſciolorum temeritas, qua ſic trãſgrediuntur terminos antiquos, quos poſuerunt patres noſtri. Quorum ſanè præcipuus, & omniũ nouitatum impiarum ſiue auctor, ſiue inſtaurator, ita intumeſcit ſuperbia, vt putet plus reuelatum eſſe ſibi ſoli, quàm cunctis retrò ſanctis patribus & concilijs. Verè miſer homo, cui Dominus in Apocalypſi ait, Qui dicis quòd diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Quẽ & Plinius homo Ethnicus, arguit tam vanè & arroganter de ſcientia ſuperbientem: Heu dementia, inquit, ab ijs initijs exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos. Cætera animalia ſentire naturam ſuam, alia pernicitatem vſurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare, hominem ſcire nihil

nihil ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci, breuiter non aliud natura ſponte, quàm flere. Hanc hominis miſeriam luculenter declarat Innocentius noſter, ſuperaddens plurima, quæ Plinio & omnibus Ethnicis ignota fuerunt. Rogo igitur & obſecro te, ornatiſſime Præſul, vt æquo feras animo tam pij Pontificis monita, ſub nominis tui auſpicijs, hoc tempore, in quo vſque adeò & frigeſcit timor Dei, & inualeſcit mundana ſuperbia, atque irreligioſa conuerſatio in omni luxu, faſtu & pompa ſeculari, in lucem reproduci. Scio quidem quanti te faciant verè docti & ſummi ſcientiarum ac eloquentiæ antiſtites, clariſſima noſtri ſeculi lumina, Ioannes Fiſcherius epiſcopus Roffenſis in Anglia. Gulielmus Budæus in Francia, E. R in Germania, vt iure ac merito cõtremiſcat mihi manus ad te ſcribẽti. Tua tamẽ fretus & clementia & humanitate, hoc erudito ad te vtor internuncio, in ædificationẽ multorum, qui nunc animo elati & extra ſe poſiti, vanè ſuperbiunt, vt his lectis in ſeſe reuerſi, redeant ad cor, & cognoſcant ſemetipſos. Benè vale, eximium & ſingulare Præſulum decus, & Eccleſiæ præſidium, & patriæ ornamentum ſempiternum. Ex Dreſſa Myſniæ ad

Albim, tertio Nonas Februarias, anno Dominicæ incarnationis, 1534.

INCIPIT INDEX CAPITVLORUM in libro de contemptu Mundi, ſiue de miſeria conditionis humanæ.

TITVLI CAPITVLORVM primi Libri.

De Miſeria hominis. cap.i.
De vilitate materiæ. ii.
De vitio conceptionis. iii.
Quali cibo conceptus nutriatur in vtero. iiii.
De imbecillitate infantis. v.
De dolore partus, & eiulatu naſcentis. vi.
De nuditate hominis. vii.
Quem fructum homo producit. viii.
De incommodis ſenectutis, & breuitate vitæ. ix.
De laborum mortalium. x.
De ſtudio ſapientum. xi.
De varijs ſtudijs hominum. xii.
De diuerſis anxietatibus. xiii.
De miſeria pauperis & diuitis. xiiii.
De miſeria dominorum & ſeruorum. xv.
De miſeria continentis, & coniugati. xvi.
De miſeria bonorum & malorum. xvii.
De hoſtibus hominis. xviii.
De carcere animæ. xix.

De

De breui lætitia. xx.
De inopinato dolore. xxj.
De vicinitate mortis. xxij.
De terrore ſomniorum. xxiij.
De compaſſione. xxiiij.
De innumerabilibus ſpeciebus ægritudinis. xxv.
De ſubitis infortuniis. xxvi.
De diuerſis generibus tormentorum. xxvij.
De quodam horrendo facinore. xxviij.
De pœna innocentis. xxix.

TITVLI CAP. LIB. II.

DE culpabili humanæ conuerſationis progreſſu. cap.i.
De cupiditate. ij.
De iniquis muneribus. iij.
De acceptione perſonarum. iiij.
De venditione iuſtitiæ. v.
De inſatiabili deſiderio cupidorum. vi.
Quare cupidus ſatiari non poteſt. vij.
De falſo nomine diuitiarum. viij.
Exempla contra cupiditatem. ix.
De ſuperflua ſolicitudine cupidorum. x.
De auaritia. xi.
Cur auaritia ſit ſeruitus idolorum. xij.
De proprietatibus auari. xiij.
De iniqua paſſione diuitiarum. xiiij.
De licitis opibus. xv.

De incertudine diuitiarum. xvi.
De gula. xvij.
Exempla contra gulam, xviij.
De ebrietate. xix.
Exempla contra ebrietatem. xx.
De luxuria. xxi.
De generalitate luxuriæ. xxij.
De diuerſis ſpeciebus luxuriæ, & pœnis earum. xxiij.
De coitu contra naturam. xxiiij.
De pœna huius ſceleris. xxv.
De ambitioſo. xxvi.
De nimia concupiſcentia ambitioſorum. xxvij.
De ambitioſo exemplum. xxviij.
De breui & miſera vita magnatum. xxix.
De diuerſis proprietatibus ſuperborum. xxx.
De ſuperbia & caſu luciferi. xxxi.
De arrogantia hominum. xxxij.
De abominatione ſuperbiæ. xxxiij.
De arrogantia ſuperborum. xxxiiij.
Contra fraudem ambitioſorum. xxxv.
De proprietatibus arrogantium. xxxvi.
De ſuperfluo cultu. xxxvij.
Contra ſuperfluum ornatum. xxxviij.
Quòd plus defertur veſtibus, quàm virtutibus. xxxix.
De fucatione colorum. xl.
De immunditia cordis. xli.
De doloribus, quos mali patiūtur in morte. xlij.
De

De aduentu Chriſti ad mortem cuiuſlibet hominis. xliii.

TITVLI CAP. LIB. III.

De *putredine cadauerum.* cap. i.
De *triſti memoria damnatorum.* ii.
De *inutili pœnitentia damnatorum.* iii.
De *pœnis inferni.* iiii.
De *ineffabili anguſtia damnatorum.* v.
De *igne gehennali.* vi.
De *tenebris inferni.* vii.
De *confuſione pœnarum.* viii.
De *indeficientia tormentorum:* ix.
Quòd reprobi nunquam liberabũtur à pœnis. x.
Teſtimonia de ſuppliciis infernalibus. xi.
De *die iudicij.* xii.
De *præcedenti tribulatione,* xiii.
De *ſignis præcedentibus.* xiiii.
De *potentia, ſapientia & iuſtitia iudicis.* xv.
De *diuino iudicio.* xvi.
Quòd nihil proderit damnandis. xvii.

FINIS.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER DE CONtemptu Mundi, ſiue de miſeria humanæ conditionis, à Lothario Diacono Cardinali ſanctorum Sergij & Bacchi, editus, qui poſtea Innocentius Papa tertius appellatus eſt. Et diuiditur in tres partiales libros.

PROLOGVS.

DOmino patri Chriſtiano P. Portuenſi Epiſcopo, Lotharius indignus diaconus, gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Modicum otij, quod inter multas anguſtias nuper ea, quam noſti, occaſione captaui, non ex toto mihi præterijt otioſum. Sed ad deprimendam ſuperbiam (quæ caput eſt omnium vitiorum) vtilitatem humanæ conditionis vtcunque deſcripſi. Titulum autem præſentis opuſculi veſtro nomini dedicaui, rogans & poſtulans, vt, ſiquid in eo, veſtra diſcretio dignum inuenerit, diuinæ gratiæ totum adſcribatis. Si verò paternitas veſtra ſuggeſſerit, dignitatem humanæ naturæ Chriſto fauente deſcribam. Quatenus ita per hoc humilietur elatus, vt per illud humilis exaltetur.

De miſeria hominis.

CAPVT I.

QVare de vulua matris egreſſus *Hier. 20.*
ſum, vt viderem laborem & dolorem, & conſumerentur in confuſione dies mei? Si talia de ſe loquutus eſt ille, quem Dominus ſanctificauit in vtero, qualia loquar ego de me, quem mater mea genuit in peccatis? Heu me, dixerim, mater mea, quid me genuiſti filium amaritudinis & doloris? Quare non in vulua matris mortuus ſum? Quare egreſſus ex vtero non ſtatim perij? Cur exceptus genibus, lactatus vberibus, natus in combuſtionem & cibum ignis? Vtinam interfectus fuiſſem in vtero, & mater mea ſepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Fuiſſem enim quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum. Quis ergo det oculis meis fontem lacrymarum, vt defleam miſerabilem conditionis humanæ ingreſſum, & culpabilem humanæ conuerſationis progreſſum, damnabilem humanæ diſſolutionis egreſſum? Conſiderauerim ergo cum lacrymis, de quo factus ſit homo: quid faciat homo, quid facturus ſit homo. Sanè

Digitized by Google

formatus de terra, conceptus in culpa, natus ad pœnam, agit praua, quæ non licent, turpia, quæ non decent, vana, quæ non expediunt, fiet cibus igni, & eſca vermibus, maſſa putredinis. Exponam id pleniùs, edifſeram planiùs: formatus eſt homo de puluere, de luto, de cinere, quodque vilius eſt, de ſpurciſſimo ſpermate, conceptus in pruritu carnis, in feruore libidinis, in fœtore luxuriæ: quodque deteriùs eſt, in labe peccati, natus ad laborem, dolorem, timorem: quodque miſerius eſt, ad mortem. Agit praua, quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit ſeipſum. Agit turpia, quibus polluit famam, polluit conſcientiam, polluit perſonam. Agit vana, quibus negligit ſeria, negligit vtilia, negligit neceſſaria. Fiet cibus ignis, qui ſemper ardet & vrit inextinguibilis, eſca vermis, qui ſemper rodit & comedit, immortalis maſſa putredinis, quæ ſemper fœtet, & ſordet horribilis.

De vilitate materiæ.

CAPVT II.

FOrmauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, quæ cæteris elemẽtis eſt vilior, vt patet Geneſis ſecundo: Planetas & ſtellas fecit ex igne: Flatus & ventos fecit ex aëre: Piſces & volucres fecit

cit ex aqua homines,&iumẽta fecit de terra. Conſiderãs igitur aquatica, ſe vilẽ inueniet. Conſiderans aërea, ſe viliorem agnoſcet. Cõſiderans ignea, ſe viliſſimum reputabit, nec ſe parificabit Cæleſtibus, nec audebit ſe præferre terrenis quia parẽ ſe iumentis inueniet, & ſimilem recognoſcet. Vnus eſt enim hominum, & iumentorum interitus, & æqua vtriuſque cõditio, & nihil poteſt homo iumẽto amplius. De terra orta ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Verba ſunt iſta nõ cuiuſlibet hominis, ſed ſapientiſſimi Salomonis. Quid eſt igitur homo, niſi lutum, & cinis? Hinc enim homo dicit ad Deũ. Memẽto, quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem me reduces. Hinc & Deus inquit ad hominẽ: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Comparatus ſum (ait Iob) luto, & aſſimilatus ſum fauillæ, & cineri. Lutum efficitur ex aqua, & puluere, vtroque manẽte: cinis autem fit ex ligno, & igne, vtroque deficiente. Expreſſum myſterium, ſed aliàs exprimendũ. Quid ergo lutum ſuperbis? de quo puluis extolleris? Vnde cinis gloriaris?

Eccleſ. 3.

Iob. 10.

Gene. 3.

Iob. 30.

De vitio conceptionis.

CAPVT III.

AN illud forſan reſpondebis, quòd Adã ipſe fuit de limo terræ formatus: tu

tu autem ex humano ſemine procreatus: at ille fuit formatus de terra virgine: tu verò procreatus de ſemine, ſed immundo. Quis enim poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? quid eſt homo, quòd immaculatus ſit, & iuſtus appareat natus de muliere? Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Non in vna tãtùm iniquitate, non in vno tantùm delicto, ſed in multis iniquitatibus, & in multis delictis. In delictis videlicet, & iniquitatibus alienis. Eſt enim duplex conceptio, vna ſeminũ & altera naturarũ. Prima fit in commiſſis. Secunda fit in contractis. Parentes enim committunt in prima, proles cõtrahit in ſecunda. Quis enim neſciat concubitum etiam coniugalẽ nũquam omnino committi ſine pruritu carnis, ſine feruore luxuriæ, ſine fœtore libidinis? Vnde ſemina concepta fœdantur, maculantur, & vitiantur: ex quibus anima tandem infuſa contrahit labem peccati, maculam culpæ, ſordem iniquitatis, ſicut ex vaſe corrupto liquor intruſus corrumpitur, & pollutum contingens, ex ipſo contractu polluitur. Habet enim anima tres naturales potentias, ſiue tres naturales vires. Rationalem, vt diſcernat inter bonum & malum: Iraſcibilem,

ſcibilem, vt reſpuat malum. Concupiſcibilem, vt appetat bonum. Iſtæ tres vires tribus oppoſitis vitijs originaliter corrũpuntur: Vis rationalis per ignorantiam, vt non diſcernat inter bonum & malũ. Vis iraſcibilis per iracundiam, vt reſpuat bonũ. Vis concupiſcibilis per concupiſcentiã, vt appetat malum. Prima gignit delictum, vltima parit peccatum, media delictum generat & peccatũ. Eſt enim delictum non facere faciendum, peccatum agere nõ agendum. Hæc tria vitia contrahuntur ex carne corrupta, per tres naturales illecebras: in carnali quippe cõmercio rationis ſopitur intuitus, vt ignorantia ſeminetur: libidinis irritatur pruritus vt iracundia propagetur: voluptatis ſatiatur affectus, vt cõcupiſcentia cõtrahatur. Hęc eſt tyrannis carnis, lex mẽbrorum, fomes peccati, languor naturæ, pabulũ mortis, ſine quo nemo naſcitur, ſine quo nullus moritur, qui ſi quãdo tranſit reatu, ſemper tamen remanet actu. Si enim dixerimus, quia peccatũ non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. O grauis neceſſitas, & infelix cõditio! Antè quàm peccemus, peccato conſtringimur: & antè quã delinquamus, delicto tenemur: per hominẽ vnum peccatum in hunc mundũ intrauit: & per peccatum

1. Ioan. 1.

Rom. 5.

tum

tum in omnes homines mors pertranſit.

Hier. 31. An non patres vuam comederunt acer-
Eze. 18. bam, & dentes filiorum obſtupeſcunt?

Quali cibo conceptus nutriatur in vtero.

CAPVT IV.

SEd attende, quo cibo cōceptus nutriatur in vtero. Profectò ſanguine menſtruo, qui ceſſat in fœmina poſt conceptū, vt ex eo conceptus nutriatur in fœmina, qui fertur eſſe tam deteſtabilis, & immundus, vt ab eius contactu fruges nō germinent, areſcāt arbuſta, moriantur herbæ, & amittāt arbores fœtus: & ſi canes inde comederint, in rabiem efferantur. Concepti fœtus vitiū ſeminis contrahunt, ita vt leproſi, & elephantici ex hac corruptione naſcantur. Vnde ſecundùm legem Moſaicam, mulier quæ menſtruum patitur reputatur immunda. Et ſi quis ad menſtruatam
Leui. 12. accesserit, iubetur interfici. Ac propter
Ibid. 20. immunditiam menſtruorum præcipitur, vt mulier, ſi maſculum pareret, quadraginta, ſi verò fœminam, octoginta diebus à templi ceſſaret ingreſſu.

De imbecillitate infantis.

CAPVT V.

QVare ergo data eſt miſero lux, & vita ijs, qui ſunt in amaritudine animæ?

mæ?Felices illi, qui moriuntur antè quàm oriantur. Priùs mortem ſentientes, quàm vitam ſcientes. Quidam enim tam deformes & prodigioſi naſcuntur, vt nõ homines, ſed abominationes potiùs videantur: quibus fortè meliùs fuiſſet prouiſum, ſi nunquàm prodiiſſent ad viſum: quoniam vt monſtra monſtrantur & oſtenduntur oſtentui: plerique verò diminuti membris, & ſenſibus corrupti naſcuntur, amicorum triſtitia, parentum infamia, verecundia propinquorum. Quid hoc particulariter dixerim de quibuſdam, cùm generaliter omnes ſine ſcientia, ſine verbo, ſine virtute naſcamur? Flebiles, debiles, imbecilles parũ à brutis diſtãtes, imò minus in multis habentes Nam vt illa orta ſunt, ſtatim gradiuntur nos autem non ſolùm erecti pedibus nõ incedimus, verumetiam curuati manibus non reptamus.

De dolore partus, & eiulatu infantis.
CAPVT VI.

OMnes naſcimur eiulãtes, vt noſtram miſeriã exprimamus. Maſculus enim recenter natus dicit, A fœmina E, dicentes E, vel A, quotquot naſcuntur ab Eua. Quid eſt igitur Eua niſi, Eheu? ha? vtrũque

dolen

dolentis eſt interiectio doloris exprimens magnitudinem. Hinc enim ante peccatum virago, poſt peccatum Eua meruit
Gen. 3. appellari, ex quo ſibi dictum audiuit: In dolore paries. Non eſt enim dolor ſicut
Gen. 35. parturientis. Vnde Rachel præ nimio dolore partus interijt & moriens vocauit nomen filij ſui Benoni, id eſt, filius doloris.
1. Reg. 4. Vxor Phinees ſubitis doloribus irruentibus, peperit ſimul, ac periit, & in ipſo mortis articulo vocauit filium Icabod.
Ioan. 16. Mulier autem cùm parit, triſtitiam habet, cùm verò peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Concipit ergo cum immunditia & fœtore, parit cum triſtitia & dolore, nutrit cum anguſtia & labore, cuſtodit cum inſtantia & timore.

De nuditate hominis.

CAPVT VII.

NVdus egreditur, & nudus regreditur.
Iob. 1. Pauper accedit, & pauper recedit. Nu-
2. Tim. 6. dus, inquit Iob, egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Nihil intulimus in hunc mundũ, haud dubitum, quin nec auferre quid poſſumus. Si quis autem indutus egreditur, attendat quale proferat indumentũ. Turpe dictu, turpius auditu,

auditu, turpiſſimum viſu: fœdam pelliculam ſanguine cruētatam. Hæc eſt illa maceria, de qua Thamar inquit in partu, quare diuiſa eſt propter te maceria? Et ob hanc cauſam vocauit nomen eius Phares. *Gen. 38.*

Quem fructum homo producit.

CAPVT VII.

O Vilis conditionis humanæ indignitas! ô indigna vilitatis humanæ cōditio! Herbas, & arbores inueſtiga, illæ de ſe producunt flores, & frondes, & fructus, & tu de te lendes, & pediculos, & lumbriculos. Illæ de ſe fundunt oleum, & vinum, & balſamum, & tu de te ſputum, vrinam, & ſtercus. Illæ de ſe ſpirāt ſuauitatem odoris. Qualis eſt arbor, talis eſt fructus. Non enim poteſt arbor mala fructus bonos facere. Quid enim homo ſecundùm formā niſi quædam arbor inuerſa? cuius radices ſunt crines, truncus eſt caput cum collo, cuius ſtipes eſt pectus cum aluo, rami ſunt vlnæ cum tibiis, frondes ſunt digiti cum articulis. Hoc eſt folium, quod à vento rapitur, & ſtipula, quæ à ſole ſiccatur. *Iob. 5.*

De incommodis ſenectutis & breuitate vitæ.

CAPVT IX.

Gen. 5. IN primordio cõditionis humanæ nongentis annis & amplius homines vixiſſe leguntur: ſed paulatim vita hominis declinante, dixit Dominus ad Noë, Non per-
Gen. 6. manebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Erúntque dies illius centum viginti annorum. Quod intelligi poteſt tam de termino vitæ, quàm de ſpatio pœnitendi. Ex nunc enim rariſſimè leguntur homines plus vixiſſe: ſed cùm magis ac magis vita reſcinderetur humana,
Pſal. 89. dictũ eſt à Pſalmiſta? Dies annorũ in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor. Nonne autẽ paucitas dierum
Iob. 10. meorum finietur breui tempore? Dies noſtri velocius tranſeũt, quàm à texente tela
Ibid. 7. ſucciditur. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Pauci nunc ad quadraginta, pauciſſimi ad ſexaginta annos perueniunt. Si quis autem ad ſenectutem proceſſerit, ſtatim cor eius affligitur: & caput concutitur, languet ſpiritus, & fœtet anhelitus, facies rugatur, & ſtatura curuatur, & caligant oculi, & vacillant articuli, nares

Digitized by Google

res effluunt, & crines defluunt, tremit tactus, & deperit actus, dentes putreſcunt, & aures ſurdeſcunt. Senex facilè prouocatur, difficilè reuocatur, citò credit, & tardè diſcredit, tenax, & cupidus, triſtis, & querulus, velox ad loquendum, & tardus ad audiendum, laudat antiquos, ſpernit modernos: vituperat præſens, commandat præteritum, ſuſpirat, & anxiatur, torpet, & infirmatur. Audio Horatium poëtam.

Multa ſenem circumueniunt incommoda.

Porrò nec ſenes contra iuuenem glorientur, nec inſoleſcant iuuenes contra ſenem: quia quod ſumus, iſte fuit, erimus quandoque, quod hic eſt,

De labore mortalium,

CAPVT X.

AVis ergo naſcitur ad volandũ, & homo naſcitur ab laborem. cuncti dies eius laboribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem requieſcit mens eius. Et quid hoc eſt, niſi vanitas? Non eſt quiſquam ſine labore ſub ſole, non eſt ſine defectus ſub luna, non eſt ſine vanitate ſub tempore. Tempus eſt mora rerum mutabilium. Vanitas vanitatum, inquit Eccleſ. & omnia vanitas. O quàm varia ſunt ſtudia hominum, quàm diuerſa ſunt exercitia? Vnus eſt tamen omnium finis,

Iob. 5. *Eccleſ. 1.* *Eccl. 40.*

Digitized by Google

& idem effectus, labor,&afflictio ſpiritus. Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus : & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.

De ſtudio ſapientum.

CAPVT XI.

PErſcrutētur ſapientes, inueſtigent alta cæli, lata terræ, profunda maris: de ſingulis diſputent, de cunctis pertractent, diſcant ſemper aut doceant. Et quid ex hac occupatione niſi laborem, & dolorem, & afflictionem ſpiritus inuenient? Nouerat hoc experimento qui dixerat : Dedit cor meum vt ſcirem prudētiam atque doctrinam, errores, ſtultitiam :& agnoui quòd eſſet labor, & afflictio ſpiritus, eò quòd in multa ſapiētia multa ſit indignatio, & qui addit ſciētiam, addit dolorem. Licet enim oporteat indagantem, & multis inſudare vigiliis, & inuigilare laboribus, & ſudoribus: vix eſt tamen quicquam tam vile, vix eſt tam facile, quod ad plenum intelligat homo, comprehēdátque ad liquidum, niſi forſan illud perfectè ſciatur, quòd nihil ſcitur perfectè : quanquàm ex hoc inſolubilis redargutio conſequatur. Quinimo corpus quod corrumpitur, aggrauat animam,

mam, & deprimit terrena inhabitatio ſen- *Sap. 9.*
ſum multa cogitantem. Audi quid ſuper
hoc ſentiat Salomõ: Cunctę res difficiles, *Eccl. 1.*
non poteſt eas homo explicare ſermone.
Eſt homo, qui diebus ac noctibus ſomnũ *Ibidẽ, 8.*
non capit oculis, & nullã operum Dei po-
teſt inuenire rationẽ. Et quàtò plus labo-
rauerit ad quærendum, tantò minus inue- *Pſal. 63.*
niet. Deficiunt ergo ſcrutantes ſcrutinio,
quoniam accedet homo ad cor altum, &
exaltabitur Deus. Perſcrutator enim ma-
ieſtatis opprimetur à gloria. qui enim ma- *Prou. 25.*
gis intelligit, magis dubitat, & ille videtur
ſibi plus ſapere, qui plus deſipit. Ergo pars
ſcientiæ eſt, ſcire quòd neſciat. Fecit au- *Eccl. 1.*
tem Deus hominem rectum, & ipſe ſe infi-
nitis immiſcuit quæſtionibus.

De varijs ſtudijs hominum.

CAPVT XII.

CVrrunt, & diſcurrunt mortales per ſe-
pes & ſemitas, aſcendunt montes, trã-
ſcendunt colles, tranſuolant rupes, peruo-
lant alpes, tranſgrediuntur foueas, ingre-
diuntur cauernas, rimantur viſcera terræ,
profunda maris, incerta fluminis, opaca
nemoris, inuia ſolitudinis, exponunt ſe
ventis, & ruinis, & præcipitiis, imbribus,
tonitruis, fulminibus, fluctibus, flumini-

Digitized by Google

bus, & procellis. Metalla cudunt, & conflant, lapides ſculpũt, & poliunt, ligna ſuccidunt & dolant, telas ordiuntur, & texũt, veſtes incidunt, & conſuunt: ædificant domos, plantãt hortos, excolunt agros, paſtinant vineas, ſuccendunt clibanos, extruũt molendina, piſcantur, venantur, & aucupantur. Meditantur, & cogitant, conſiliantur, & ordinant, querelantur, & litigant, diripiunt, & furantur, decipiunt, & mercantur, contendunt, & præliantur, & innumera talia, vt opes cõgerant, vt quæſtus multiplicent, vt lucra ſectẽtur, vt honores acquirãt, vt dignitates extollant, vt poteſtates extendant, & hęc quoque labor, & mẽ-
Eccleſ. 2. tis afflictio. Si mihi non creditur, Salomoni credatur. Magnificaui, inquit, opera mea, ædificaui domos, & plantaui mihi vineas, feci hortos, & pomaria, conſeui ea cuncti generis arboribus, extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium, poſſedi ſeruos, & ancillas, multámque familiam habui, armentáque, & magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerant ante me in Hieruſalem. Coaceruaui mihi aurum, & argẽtum, & ſubſtantias regum, & prouinciarum. Feci mihi cantatores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos & vrceo

& vrceolos in miniſterio ad vina fundenda, & ſupergreſſus ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hieruſalem. Cúmque me conuertiſſem ad vniuerſa, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtrà ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.

De diuerſis anxietatibus.

CAPVT XIII.

O Quanta mortales angit anxietas, affligit cura, ſolicitudo moleſtat, metus exterret, tremor concutit, horror abducit, dolor affligit, conturbat triſtitia, cōtriſtat turbatio! Pauper, & diues ſeruus & dominus, coniugatus & continens: denique bonus & malus, omnes mundanis cruciatibus affliguntur, & mundanis afflictionibus cruciantur. Experto crede magiſtro. Si impius (inquit) fuero, verè vę mihi eſt. Et ſi iuſtus, non leuabo caput, ſaturatus afflictione, & miſeria. *Iob. 10.*

De miſeria pauperis & diuitis.

CAPVT XIIII.

PAuperes enim premuntur inedia, cruciantur ærumna, fame, ſiti, frigore, nuditate: vileſcunt, tabeſcunt, ſpernuntur, &

confunduntur. O miſerabilis mendicantis conditio, & ſi petit, pudore confunditur, & ſi nō petit, egeſtate cōſumitur: ſed vt mendicet, neceſſitate cōpellitur. Deum cauſatur iniquū, quòd non rectè diuidat. Proximum criminatur malignum, quòd nō plenè ſubueniat. Indignatur, murmurat, imprecatur. Aduerte ſuper hoc ſententiam Sapientis. Melius (inquit) mori, quàm indigere. Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit. Omnes dies pauperis mali, fratres pauperis oderunt eum. Inſuper & amici procul receſſerunt ab eo: quia

Ouidius. *Cùm fueris felix, multos numerabis amicos:*
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Proh pudor! ſecundùm fortunam æſtimatur perſona, cùm potiùs ſecundùm perſonam æſtimanda ſit fortuna. Tam bonus reputatur, quàm diues: tam malus, quàm pauper: cùm potius tam diues ſit reputandus quàm bonus, tam pauper, quàm malus. Diues autem à ſuperfluitate reſoluitur, & iactantia effrænatur, currit ad libitum, & corruit ad illicitū. Etiam fiunt inſtrumenta pœnarum, quæ fuerant oblectamenta culparum. Labor in acquirēdo, timor in poſſidendo, dolor in amittendo, mentem eius ſemper fatigat & affligit.
Matt. 6. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.

Digitized by Google

tuum. Sed de hoc in ſequentibus plenius dicemus.

De miſeria ſeruorum, & dominorum.

CAPVT XV.

SEruus miniſtrat, angarijs fatigatur, plagis affligitur, opibus ſpoliatur: quòd ſi nõ habet, habere compellitur: & ſi habet, cogitur non habere. Culpa Domini, ſerui pœna, culpa ſerui, domini præda.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. *Hora.*
Venatio leonis, onager in eremo, ſic & *Eccle. 3.* paſcua diuitũ pauperes. O extrema conditio ſeruitutis! Natura liberos genuit: ſed fortuna ſeruos conſtituit. Seruus cogitur pati, & nemo ſinitur compati: dolore compellitur: & nemo condolere permittitur. Sic ipſe non ſuus eſt, vt nemo ſit ſibi. Miſeri, qui caſtra ſequuntur: quia miſerum eſt viuere aliena præda. Dominum autem, ſi crudelis eſt, oportet vereri propter nequitiam ſubiectorum. Si mitis eſt, contingit illum contemni propter inſolentiam ſubiectorum. Seuerum ergo metus affligit, manſuetum vilitas paruipendit. Nam crudelitas parit odium, & familiaritas parit contemptum. Familiaris enim cura fatigat, & domeſtica ſolicitudo moleſtat,

Oportet enim hominem ſemper eſſe paratum, vbique munitum, vt poſſit inſidias malignantium præcauere, oppugnantium iniurias propulſare, hoſtes conterere, ciues tueri. Nec ſufficit diei malitia ſua. ſed dies diei laborem eructat, & nox nocti ſolicitudinem indicat. Dies ergo laborioſi ducuntur, & noctes expenduntur inſomnes.

De miſeria continentis & coniugati.

CAPVT XVI.

SI poteſt ignis non vrere, poteſt caro nō concupiſcere, quia quantumcunque punietur, nunquam tamen Iebuſæus ille poteſt expelli,

Hora. *Naturam expellas furca: tamen vſq; recurret.*

Matt. 19. Non omnes (inquit) capiunt verbū iſtud: ſed qui poteſt capere, capiat. Vnde cùm Deus ipſe de cæteris pontificalibus indumentis, iuſſiſſet vt Moſes, & Aaron filios

Exod. 28. ſuos veſtirent, de ſolis fœminalibus non præcepit. ſed ait, vt ipſi fœminalibus vterentur, cùm ingrederentur tabernaculum teſtimonij. Sed & Apoſtolus dicit; Nolite

1. Cor. 7. fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.

Melius

Melius enim eſt nubere, quàm vri. Pugnat ergo contra continentiam angelus Satanæ, qui carnaliter ſtimulat, colaphizat, ignem naturæ flatu ſuggeſtionis ſuccendit, materiam apponit, facultatem tribuit, & opportunitatem miniſtrat. Pugnat etiã & ſpecie, quæ ſubitò viſa facilè concupiſcitur. Vnde cùm Dauid poſt meridiem ambularet in palatio domus regię, videns ex aduerſo Berſabee ſe lauantem, miſit, & tulit eam, & dormiuit cum ea: erat enim mulier pulchra nimis. Porrò, qui cũ vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, & diuiſus eſt. Diſtrahitur enim per multas anguſtias, & in ſolicitudines varias diſſecatur, vt filiis, & vxori, famulis, & ancillis neceſſaria quærat, & ſubminiſtret. Tribulationes ergo carnis habent huiuſmodi. Vxor contendit habere pretioſum ornamentum, & variam ſupellectilem, vt pluris ſæpè ſit cultus, quàm cenſus mariti. Alioquin per noctes & dies plangit, & ſuſpirat, garrit, & murmurat. Tria ſunt enim, quæ non ſinunt hominem in domo permanere, Fumus, & ſtillicidium, & mala vxor. Illa (inquit) ornatior procedit, & ab omnibus honoratur. ego autem miſerrima in conuentu mulierum ſola deſpicior, à cunctis contemnor. Sola vult diligi, &

2. Re. 12.

1. Cor. 7.

Pro. 28.

lauda

laudari, alterius amorem ſuum aſſerit odium, alterius laudem ſuum ſuſpicatur dedecus. Amandum eſt omne, quod diligit: odiendum eſt omne, quod odit. Vincere vult, ſed vinci non valet. Famulari non patitur, ſed dominari molitur. Cuncta vult poſſe, nulla nõ noſſe. Si pulchra fuerit, facilè adamatur: ſi fœda, non facilè concupiſcitur. Sed difficilè cuſtoditur quod à multis diligitur: & moleſtum eſt poſſidere, quod nemo dignatur habere. Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate ſolicitat, & ex aliqua parte capitur, quod vndique inceſſitur. Equus, aſinus, veſtis & lectulus, calix etiã, & vrceolus priùs probantur, poſteà comparantur. Sponſa verò vix tandem oſtenditur, ne priùs diſpliceat, quàm ducatur: qualicunque tamen caſu obuenerit, ſemper eſt habenda. Si fœda, ſi fœtida, ſi ægra, ſi fatua, ſi ſuperba, ſi iracunda, ſi quolibet modo vitioſa, niſi propter ſolam fornicationem, non poteſt vxor à viro dimitti. Sed nec dimittens poteſt aliam ducere, nec dimiſſa alij poteſt copulari. Nam, quicunque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationis cauſam, facit eam mœchari, &
Matt. 5. qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Quod
1. Cor. 7. ſi vxor à viro diſceſſerit, manere debet innupta,

innupta, aut viro ſuo reconciliari. Similiter & vir, ſi deceſſerit ab vxore. Graue nimis eſt pondus coniugij. Nam (vt inquit Salomõ,) ſtultus eſt, & impius, qui tenet adulteram, & patronus eſt turpitudinis, qui celat crimen vxoris. Si verò dimittit adulteram, abſque ſui culpa punitur: quoniam illa viuente, cogitur continere. Propter quod & diſcipuli Chriſti dixerunt, Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere. quis vnquãm æquanimiter potuit ſuſtinere riualẽ? Sola ſuſpicio zelotypum vehementer affligit. Nam licet ſcriptum ſit. Erũt duo in carne vna. Zelus tamen viri, duos in vna carne non patitur.

Prou. 8. *Matt. 19.* *Gen. 8.*

De miſeria bonorum & malorum.

CAPVT XVII.

NOn eſt impiis gaudere, dicit Dominus: quia per quæ peccat homo, per hæc torquetur: vermis enim conſcientiæ nunquàm morietur, & ignis rationis nunquam extinguetur. Vidi eos, qui operãtur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe, ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos. Superbia inflat, inuidia rodit, auaritia ſtimulat, ira ſuccendit, angit gula, diſſoluit luxuria, ligat mẽdacium,

Eſa. 37. & 38. *Ibidẽ. 6.* *Iob. 4.*

dacium, maculat homicidium. Sic & cætera portenta vitiorum, & quæ ſunt homini oblectamenta peccandi, Deo ſunt inſtrumenta puniendi.

Inuidus alterius rebus macreſcit opimis.

Horat. *Inuidia Siculi non inuenere tyranni*

Tormentum maius.

Vitium enim corrumpit naturam, Apoſtolo teſtante, qui ait, Euanuerunt in cogitationibus ſuis, obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Propter quod Deus tradidit illos in deſideria cordis eorũ, in im-

2. Tim. 3. munditiam: vt contumeliis afficiant corpora ſua: & ſicut reprobauerunt Deũ habere in notitia, ita tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant, quæ non conueniunt. Sed & qui piè viuere volunt in

Hebr. 11. Chriſto, perſequutionẽ patiuntur. Sancti namque ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt pro Domino. Circuierunt, in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mũdus, in ſolitudinibus errãtes, & in mõ-

2. Cor. 11. tibus in ſpeluncis, & cauernis terræ. Periculis fluminũ, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis ex falſis fratribus. In labore, & ærũna,

in

in vigiliis multis, in fame & ſiti, in angu- *Luc.9.*
ſtiis multis, in frigore, & nuditate. Iuſtus *Galat. 3.*
enim abnegat ſemetipſum, crucifigens *Heb. 13.*
membra ſua cũ vitiis, & concupiſcentiis,
vt ſibi mundus crucifixus ſit, & ipſe mun-
do. Non habet hîc manentẽ ciuitatem, ſed
futurã inquirit. Suſtinet ſeculum tanquam
exilium, clauſus in corpore, tanquàm in
carcere. Incola, inqnit, ego ſum in terra, *Pſal. 118.*
& peregrinus ſicut omnes patres mei. Re- *Pſal. 98.*
mitte mihi, vt refrigerer, prius quàm abeã, *Pſa. 119.*
& amplius non ero. Heu mihi, quia inco-
latus meus prolongatus eſt, habitaui cum
habitantibus Cedar, multùm incola fuit
anima mea. Quis infirmatur, & ego non *2. Cor. 11.*
infirmor? Quis ſcãdalizatur, & ego non v-
ror. Nam peccata proximorum, refrigeria
ſunt iuſtorum. Hoc eſt irriguum, quod Ca- *Ioſue. 13.*
leb Axæ filiæ ſuæ dedit in dotem.

De hoſtibus hominum.

CAPVT. XVIII.

Militia ergo eſt vita hominis ſuper *Iob.7.*
terra. An non vera militia eſt, cũ mul
tiplices hoſtes ſemper vndique inſiden-
tur, vt capiant, perſequantur vt perimant,
dæmon & homo, mũdus & caro? Dæmon
cum vitiis & concupiſcentiis, homo cum
beſtiis, mundus cum elementis, caro cum *Galat. 5.*
ſenſibus. Caro enim concupiſcit aduerſus *Epheſ. 5.*
ſpiritum,

ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.
1.Petr. 5. Verum non eſt nobis collucٌtatio aduerſus carnem&ſanguinem,ſed aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, aduerſus rectores tenebrarum harum. Aduerſarius enim
Hiere.9. veſter diabolus, tanquam leo rugiens cir-
Thren.3. cuit,quærens quem deuoret. Accenduntur
Sapien. 5. ignea tela nequiſſimi. Mors ingreditur
Lucæ 21. per feneſtras, oculus animam deprædatur, pugnat orbis terrarũ contra inſenſatos, id eſt,gens contra gentem,& regnum aduerſus regnũ, terræ motus magni per loca, & peſtilentiæ, & fames,terroréſque de cælo, tempeſtates. Terra producit ſpinas & tribulos, aqua procellas & fluctus, aër tempeſtates & tonitrua, ignis corruſcationes
Geneſ. 5. & fulgura.Maledicta,inquit, terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo
Pſal. 79. donec reuertaris in terrã:quia terra es, &
Hiere. 5. in terram ibis.Inſidiatur Aper de ſylua, & Singularis ferus depaſcitur, Lupus,&Vrſus. Pardus &Leo, Tygris, & Onager. Crocodilus, & Gryphus, Serpens,& Coluber, Baſiliſcus,&Aſpis,Ceraſtes,&Draco, Scorpiones,& Viperæ,ſed& Lẽdes,&Pediculi, Formicæ,& Pulices,Cyniphes,& Muſcæ, Crabrones,& Veſpæ,Piſces, & Volucres. Nam
Geneſ.1. qui creati ſumus,vt dominaremur piſcibus maris,

maris,& volatilibus cœli,& vniuerſis animantibus, quæ mouentur in terra, nunc illis damur in prædam, & in eſcam eis tribuimur. Scriptum eſt enim, Dentes beſtiarum mittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium. *Deut.* 32

De carcere animæ.

CAPVT XIX.

INfelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Certè vult educi de carcere, vult exire de corpore. Nam carcer animæ corpus eſt. De quo Pſalmiſta, Educ de carcere animam meam. Nuſquàm quies,& tranquillitas,nuſquàm pax, nec ſecuritas, vbique timor, & tremor, vbique labor & dolor. Caro, dum viuit,dolebit,anima ſuper ſemetipſam lugebit. *Rom.* 7. *Pſ.* 141.

De breui lætitia.

CAPVT XX.

QVis vnquam diem totum duxit in ſua delectatione iucundum, quem in aliqua parte diei reatus conſcientiæ, vel impetus iræ, vel motus concupiſcentiæ, non turbauerit? quem liuor inuidiæ, vel ardor auaritiæ, vel tumor ſuperbiæ non vexauerit? quem aliqua iactura, vel offenſa, vel paſſio non commouerit? quem

Digitized by Google

denique viſus vel auditus, vel tactus aliquis non offenderit?

Iuuenal. *Rara auis in terris, nigroque ſimillima cygno.*

Eccl. 18. Audi ſuper hoc ſententiam Sapientis: A mane vſque ad veſperam immutabitur tempus. Cogitationes vanę, ſibi ſuccedunt, & mens rapitur in diuerſa. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

De inopinato dolore.

CAPVT XXI.

SEmper enim mundanæ lætitię triſtitia repentina ſuccedit. Et quod incipit à gaudio, deſinit in mœrore. Mundana quippe felicitas, multis eſt amaritudinibus reſperſa: nouerat hoc, qui dixerat, *Prou. 14.* Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Experti ſunt hoc liberi *Iob. 1.* Iob, qui cùm comederent & biberent vinũ in domo fratris ſui primogeniti, repentè vehemens ventus irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, *Iob. 30.* quæ corruens vniuerſos oppreſſit. Meritò ergo pater aiebat: verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem *Eccleſ. 7.* flentium. Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Attende ſalu

ſalubre conſilium. In die bonorum non *Eccle.* 11.
immemor ſis malorum. Memorare no- *Ibidem.*
uiſſima tua, & in æternum non peccabis.

De vicinate mortis.

CAPVT XXII.

SEmper vltimus dies primus, & nunquam primus dies, vltimus reputatur. Cùm tamen ita ſemper viuere deceat, tanquàm mori ſemper oporteat. Scriptum eſt enim: memor eſto, quia mors non *Eccle.* 14. tardat. Tempus præterijt, & mors appropinquat. Mille anni ante oculos morientis, tanquàm dies heſterna, quę præterijt. Semper enim futura naſcuntur, ſemper præſentia moriuntur, & quicquid eſt præteritum, eſt mortuum totum. Morimur ergo, dum viuimus ſemper, & tunc tantùm deſinimus mori, cùm deſinimus viuere. Meliùs eſt ergo mori vitæ, quàm viuere morti. Quia nihil eſt vita mortalis, niſi mors viuens. Vnde Salomon: Laudaui ma- *Eccleſ.* 4. gis mortuos, quàm viuentes: & vtroque fœliciorem iudicaui, qui necdum natus eſt. Vita velociter fugit, & retineri non poteſt: mors autem inſtanter occurrit, & impediri non valet. Hoc eſt ergo illud mirabile: quia quantò plus creſcit, tantò magis decreſcit: quia quantò plus vita procedit, tantò magis ad finem accedit.

Digitized by Google

De terrore ſomniorum.

CAPVT XXIII.

TEmpus, quod quieti conceſſum eſt, non conceditur eſſe quietum: nam terrent ſomnia, viſiones conturbant. Et licet non ſint in veritate triſtia, vel terribilia ſeu laborioſa, quę ſomniant ſomniantes, tamen in veritate triſtãtur, terrentur, & fatigantur in tantũ, vt aliquando dormiẽtes lacrymentur, & euigilantes ſæpiſſimè conturbentur. Aduerte, quid ſuper hoc dicat Eliphas Themanites: In horrore viſionis nocturnę, cùm ſolet ſopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt: & cùm ſpiritus, me præſente, tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Conſidera Iob dicentem: Si dixero, conſolabitur me lectus meus, & releuabor loquens mecum in ſtratu meo: terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.

Dan. 2. Nabuchodonoſor ſomnium vidit, quod eum valdè perterruit, & viſiones capitis conturbauerunt eum. Multę curę ſequuntur ſomnia, & vbi multa ſomnia, vanitates plurimæ. Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Apparent enim frequenter turpes in ſomnijs

niis imagines, ex quibus per illuſiones nocturnas non ſolùm caro polluitur, ſed anima quoque maculatur. Vnde Dominus in Leuitico: Si ſit, inquit, inter vos homo qui pollutus ſit nocturno ſomno extra caſtra egrediatur, & non reuertatur priùs, quàm ad veſperum lauetur aqua, & poſt ſolis occaſum regrediatur in caſtra *Leuit. 5.*

De *compaſsione.*

CAPVT XXIV.

O Quanto dolore turbamur, quanto tremore cõcutimur, cùm amicorum damna ſentimus & parẽtum pericula formidamus? Plus interdum ſanus formidine, quàm infirmus ægritudine perturbatur. Plus hic volũtarius affectu doloris, quàm inuitus effectu langoris affligitur. Verè eſt illud poëticum: *Ouid.*

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Cuius pectus tam ferreum, cuius cor tam lapideum, vt gemitus non exprimat, lacrymas non effundat, cùm proximi, vel amici morbum vel interitum intuetur, vt patienti non compatiatur, & dolenti non condoleat? ipſe Ieſus, cùm vidiſſet Mariam & Iudæos, qui cum ea venerant ad monumentum, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum, & lacry-

d by Google

matus eſt, ſorſitan non quia mortuus eſt, ſed eò potius, quia mortuus ad vitæ miſerias remeauit. Sciat autem ſe culpabiliter durum & durè culpabilem, qui corporalem amici ſui mortem deplorat, & ſpiritualem animæ ſuæ mortem non deflet.

De ſubitis infortunijs.

CAPVT XXV.

SVbitò cùm non ſuſpicatur, infortunium accidit, calamitas irruit, morbus inuadit, mors intercidit, quam nullus euadit.
Pro. 27. Ergo ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.
Eccle. 9. Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues comprehenduntur laqueo: ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſuperuenerint.

De innumerabilibus ſpeciebus ægritudinum.

CAPVT XXVI.

NOndum à ſeculis tot ægritudinum genera, tot paſſionum ſpecies, phyſicalis induſtria potuit indagare, quot humana fragilitas potuit tolerare. Tolerabilem dixerim intolerãtiam morborum, aut intolerabilem dixerim tolerantiam? Melius ergo vtrũque coniunxerim. Nam intolerabile eſt propter paſſionis acerbitatem,

tatem, & tolerabile propter patiendi neceſſitatem: de die in diem magis ac magis humana natura corrumpitur. Ita quòd plurima fuerunt olim experimenta ſalubria, quæ propter defectum ipſius hodie ſunt mortifera. Senuit iam mundus vterq; ſcilicet macrocoſmus, & microcoſmus, id eſt, maior mundus, & minor mundus. Et quantò prolixius vtriuſque ſenectus producitur, tantò deterius vtriuſque natura perturbatur.

De diuerſis generibus tormentorum.

CAPVT XXVII.

QVid dicam de miſeris, qui per innumerabilia tormentorum genera puniuntur? Cæduntur fuſtibus, & gladijs iugulantur, cremantur flammis, & lapidibus obruuntur, diſcerpuntur vngulis, & patibulis ſuſpenduntur, torquentur tigribus, & ſcorpionibus flagellantur, arctantur vinculis, & laqueis ſugillantur, detruduntur carceribus, & ieiunijs macerantur, præcipitantur & ſubmerguntur, excoriantur & diſtrahuntur, ſecantur & ſuffodiuntur. Qui ad mortem, ad mortem, qui ad gladium, ad gladium, qui ad famem, ad famem, Hier. 13.

& qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Crudele iudicium, immane ſupplicium, triſte ſpectaculum, dantur in eſcam volatilibus cœli, beſtijs terræ, & piſcibus maris. Heu, heu, heu, miſeræ matres, quę tam infelices genuiſtis filios.

De quodam horrendo facinore, ſcilicet, quòd quædam mulier comedit infantem ſuum.

CAPVT XXVIII.

Lib. 7. cap. 13.

ILlud igitur horribile facinus libet reminiſci, quod Ioſephus de Iudaica obſidione deſcribit: Mulier quædam facultatibus & genere nobilis, cum cætera multitudine, quæ confluxerant Hieroſolymam, communem cum omnibus obſidionis caſum ferebat. Huius reliquas facultates, quas de domo in vrbem conuexerat, tyranni penitus inuaſerunt. Si quid verò relictum ex magnis opibus fuerat, quo victum quotidianum pertenuem duceret, irruentes per momenta ſatellites prædonum rapiebant, pro quo ingens labor mulierem ex indignatione quadam velut inſania fatigabat, ita vt interdum prædones in necem ſui maledictis & conuitijs inſtigaret. Verùm, quum nec irritatus quiſquam, nec miſeratus illam

iam perimeret, & ſi quid fortè fuiſſet ſibi quæſitum ab illa, id ab alijs quæreretur, nec iam fieret vſque copia requirendi, fames autem dum viſceribus inſiſteret ac medullis, & ad furorem iam famis inedia pungeretur, peſſimis vſa eſt conſilijs, & contra ipſa naturæ iura iam armatur. Erat enim ei ſub vberibus paruulus filius, quem ante oculos ferens, Infelicis, inquit, matris es, ô infelicior fili, nam in bello, fame, ac direptione prædonum, cur te reſeruabo? Nam & ſi poſſet vita ſperari, iugo tamen Romanę ſeruitutis vrgeberis. Veni ergo, ô mi nate, eſto matri cibus, prædonibus furor, ſeculis fabula, quę ſola deerat cladibus Iudæorum. Et cùm hoc dixiſſet, protinus filium iugulauit, tunc denique igne appoſito torret, medium quidem conſumit, medium ſeruat obtectum. Et ecce ſtatim prędones irruerunt ambuſtę carnis odore ſuſcepto, mortem minantur, niſi cibos ſine mora, quos paratos ſenſerant, demonſtraret, Tunc illa inquit, Partem vobis optimam reſeruaui: & continuo, quę ſuperfuerant membra retexit infantis. At illos repentè ingens horror inuaſit, membra eorum diriguere, & quaſi animi duritie vox eorum eſt faucibus interclusa. Illa verò truci

vultu, & ipſis prædonibus truculentior. Meus, inquit, eſt partus, meus eſt filius, meum eſt facinus: edite, nam ego prior edi quem genui. Nolite vos effici aut matre religioſiores, aut fœmina molliores. Quòd ſi vos pietas vincit, & meos execramini cibos, quæ iam talibus paſta ſum, ego iterum his paſcar. Poſt hæc illi territi, contremiſcentésque diſceſſerunt, qui hunc ſolum ex omnibus facultatibus cibum miſeræ matri reliquerunt.

Quòd quandoque punitur innocens, & nocens abſoluitur.

CAPVT XXIX.

Rom. 11. NEmo ſe confidat expertem à pœna, qui ſe nouit immunem à culpa: qui ſtat, videat ne cadat. Nam ſæpè innocens damnatur, & nocens abſoluitur, pius pu-
Ioan. 19. nitur, honoratur impius. Ieſus crucifigitur, & Barrabas liberatur. Hodie vir quietus, inutilis, vir religioſus, hypocrita, vir ſim-
Iob. 12. plex, fatuus reputatur. Deridetur enim iuſti ſimplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum.

LIBER SECVNDVS.

De culpabili humanæ conuerſationis progreſſu.

CAPVT. I.

TRIA maximè ſolent homines affectare, opes, voluptates, honores. De opibus praua, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt. Hinc enim Ioannes Apoſtolus ait, *1. Ioan. 2.* Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt, quia quicquid eſt in mundo, eſt concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Concupiſcentia carnis ad voluptates, concupiſcentia oculorum ad opes, ſuperbia vitæ, pertinet ad honores. Opes generant cupiditatem concupiſcentiam, & auaritiam. Voluptates pariunt gulam & luxuriam. Honores nutriunt ſuperbiam.

De cupiditate.

CAPVT II.

NIhil eſt igitur auaro ſceleſtius: & nihil iniquius, quàm amare pecuniam. *Eccl. 10.*

Ver

1. Tim. 6. Verbum eſt ſapientis quod cõfirmat Apo-
9 ſtolus, dicens, Qui volunt diuites fieri, in-
„ cidunt in tẽtationem, & in laqueũ diaboli,
„ & in deſideria multa, & inutilia, & noci-
„ ua: quæ immergunt homines in inferuũ vel
„ in interitum & perditionem. Radix enim
„ omnium malorum eſt cupiditas. Hæc ſacri-
legia committit, & furta, & rapinas exercet
& prædas, bella gerit, & homicidia. Simo-
niacè vendit, & emit. Inique petit, & reci-
dit. Iniuſtè negotiatur, & fœcundatur. In-
ſtat dolis & imminet fraudibus. Diſſoluit
pactum & violat iuramentum. Corrumpit
teſtimonium, & peruertit iudicium.

De iniquis muneribus.

CAPVT III.

Eſaiæ. 1. CONſule prophetam Euãgelicum Eſa-
iam: Omnes (inquit) diligunt mune-
ra, ſequuntur retributiones, pupillo nõ iu-
dicant, cauſa viduæ non ingreditur ad eos.
Non ipſi præcedunt retributiones: quia
non iudicant amore iuſtitiæ, ſed retribu-
tiones præcedunt ipſos, quia iudicãt amo-
re pecuniæ. Semper enim ſequuntur largi-
tionem vel promiſſionem, vel ſpem, & ideò
pupillo non iudicant, à quo nihil largi-
tur, aut promittitur, aut ſperatur. O prin-
cipes

cipes infideles, ſocij furum, quicunque diligitis munera, ſequimini retributiones, nunquam excutietis manum à munere niſi prius excludatis cupiditatem à pectore. De vobis inquit Propheta: Principes *Eze. 21.* eius, quaſi lupi rapientes prędam, & auarè ſectando lucra. Principes eius in muneribus iudicabant, & ſacerdotes eius in mercede docebant, & prophetę eius in pecunia diuinabant. Ecce dominus per Moſem *Deut. 16.* præcepit in lege, Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Sed iuſtè quod iuſtum eſt, proſequeris, & viues. Duo dicit, iuſtum & iuſtè: quidam enim iuſtè, quod iuſtum eſt, alij quod iniuſtum eſt iniuſtè: rurſum quidam iniuſtè, quod iuſtum eſt: alij iuſtè, quod iniuſtum eſt proſequuntur.

De acceptatione perſonarum.

CAPVT IV.

VÆ vobis qui corrupti prece vel pretio, qui fracti amore, vel odio dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, mortificantes animas, quę non mo- *Eſa. 5.*

riuntur, & viuificantes animas, quæ non viuunt. Vos enim non attenditis merita cauſarum, ſed merita perſonarum: non vitam, ſed munera: non iuſtitiam, ſed pecuniam: non quod ratio dictet, ſed quod voluntas affectet, non quod lex ſentiat, ſed quod mens cupiat. Non inclinatis animũ ad iuſtitiam, ſed iuſtitiã inclinatis ad animum: non vt quod liceat, hoc libeat, ſed
Matt. 6. vt liceat hoc, quod libeat. Nũquam in vobis ita ſimplex eſt oculus, vt totum corpus ſit lucidum, ſed aliquid ſemper admiſcetis fermenti quo totam maſſam corrumpitis. Pauperum cauſam negligitis, diuitum cauſam cum inſtantia promouetis. In illis rigorem oſtenditis, cum iſtis ex manſuetudine diſpenſatis. Illos cum difficultate reſpicitis, iſtos fauore tractatis. Illos negligenter auditis, iſtos ſubtiliter auſcultatis. Clamat pauper, & nullus exaudit: loqui-
Eccle. 13 tur diues, & omnes applaudunt. Diues locutus eſt, & omnes tacuerũt, & verbum illius vſque ad nubes perducent: pauper locutus eſt, & dicunt, quis eſt hic? & ſi offenderit, ſubuertent illum. Clamat vim patiens & nullus exaudit: vociferatur, & non eſt qui iudicet. Sed ſi fortè pauperum cauſam ſuſcipitis, illos remiſsè fouetis: cùm autem diuitum cauſam aſſumitis, illos pertina

pertinaciter adiuuatis: pauperes deſpicitis, diuites honoratis: iſtis reuerenter aſſurgitis, illos deſpicabiliter conculcatis. Si introierit in conuentum veſtrum vir annulum habens aureum in veſte candida, & pauper ſordido habitu, & intendatis, in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei, tu ſede hîc benè: pauperi verò dicatis, tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum, nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum? De vobis enim & cōtra vos dicit propheta: Magnificati ſunt, & ditati ſunt, & incraſſati, & impinguati: cauſam pupilli non dixerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt Sed in lege præcipitur, Nulla erit diſtātia perſonarum, ita paruum audietis, vt magnum. Non accipietis cuiuſcunque perſonam, quia Dei iudicium eſt. Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.

Iacob.2. *Hie.5.* *Deu. 1.* *Act. 10*

De venditione iuſtitiæ:

CAPVT V.

VOs autem non gratiam gratis datis, nec iuſtitiam iuſtè redditis: quia niſi vænit, non prouenit: nec datur niſi vendatur. Sæpe iuſtitiam tantùm differtis quoad

quoad litigantibus plus, quàm totũ auferτis: quia maior eſt ſumptus expẽſæ, quàm
Mat. 10. fructus ſententiæ. Quid autem poteritis illi in diſtricto iudicio reſpondere, qui præcipit, Gratis accepiſtis, gratis date: lucrum in arca, damnum in conſcientia, pecuniam captatis, ſed animam captiuatis.
Mat. 16. Verùm quid proficit homini, ſi mundum lucretur vniuerſum, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Fra-
Pſal. 48. ter fratrem non redimet: homo non dabit Deo placationem ſuam, nec pretium redemptionis animæ ſuæ: laborauit in ęternũ, & viuet in finem. Audite diuites quid
Iacob. 5. contra vos Iacobus Apoſtolus ait: Agite nunc diuites, plorate, & vlulate in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis: diuitię veſtrę putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra tineis comeſta ſunt: aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum erit vobis in teſtimonium, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis irã in nouiſſimis diebus. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor ipſorũ in aures Domini Sabaoth introiuit. Propterea Veritas præcepit, Noli-
Matt. 9. te theſaurizare vobis theſauros in terra,

vbi ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt,& furantur.

De inſatiabili deſiderio cupidorum.

CAPVT VI.

O Ignis inextinguibilis,cupiditas inſatiabilis! Quis vnquã cupidus, primo fuit voto contẽtus? Cùm adipiſcitur quod optauerat, deſiderat ampliora, ſemper in habendis,non habitis finem conſtituit. Inſatiabilis eſt oculus cupidi, & in partẽ iniquitatis non ſatiabitur. Auarus nõ implebitur pecunia,& qui amat diuitias, fructũ non capiet ex eis. Infernus,& perditio nũquam replentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. Sanguiſugæ duæ filiæ ſunt, quæ dicunt,Affer,Affer:Nam, *Eccle. 5.* *Prou. 27.*

Creſcit amor nũmi,quantũ ipſa pecunia creſcit. *Iuuenal.*

Quare cupidus ſatiari non poteſt.

CAPVT VII.

VIs,ô cupide,ſcire quare ſemper es vacuus,cur nunquam impleris? Aduerte. Non eſt plena menſura tua, quæ quantuncunque contineat,adhuc capax eſt amplioris. Sed humanus animus capax eſt Dei: quoniam qui adhæret Deo,vnus ſpiritus eſt cum Deo. Quantumlibet ergo contineat,nunquàm eſt plenus, niſi Deum *1.Cor.6.*

habeat, cuius ſemper eſt capax. ſi vis ergo ſatiari, deſinas eſſe cupidus, quia dum cupidus fueris, ſatiari non poteris. Non eſt
2. Cor. 6. enim conuentio lucis ad tenebras, neque Chriſti ad Belial: quia nemo poteſt Deo
Mat. 6. ſeruire & mammonæ.

De falſo nomine diuitiarum.

CAPVT VIII.

O Falſa diuitiarum felicitas, quæ diuitem veraciter efficit filium infelicem. Quid infelicius, quàm opes mundi, quæ diuitiæ nuncupantur? Oppoſita ſunt eſſe diuitem, & egenum: at opes mundi non auferunt, ſed afferunt egeſtatem. Ma-
Eccl. 5. gis enim, inquit Salomon, ſufficit modicum pauperi, quàm plurimum diuiti, quia vbi multæ diuitiæ, ibi multi qui comedunt illas. Quot & quanti magnates indigeant, ipſemet frequenter experior: opes itaque non faciunt hominem diuitem, ſed egenum.

Exempla contra cupiditatem.

CAPVT IX.

Num. 22. QVã multos ſeduxit cupiditas: quàm plures perdidit auaritia? Balaam aſella redarguit, quia captus cupiditate promiſſorũ, diſpoſuerit maledicere Iſraëli. Acham populus lapidauit, quia tulit
Ioſue 7. aurum

aurum & argentum de anathemate. Naboth interemptus eſt, vt Achab eius vineã poſſideret. Giezi lepra percuſſus eſt; quia tetiit, & recepit aurum, & argentum & veſtes ſub nomine Heliſæi. Iudas laqueo ſe ſuſpendit, quia vendidit, & tradidit Chriſtũ. Ananiã, & Sapphiram ſubitanea mors extinxit, quia de pretio agri defraudauerunt Apoſtolos. Ædificauit Tyrus munitionem ſuam, & coaceruauit argentũ quaſi humũ, & aurum quaſi lutũ platearum ſed ecce dominus poſſidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni deuorabitur.

3. Reg. 21 *4. Reg. 5.* *Mat. 27.* *Act. 5.* *Zac. 9.*

De ſuperflua ſolicitudine cupidorum.

CAPVT. X.

CVr ad congregandum quis inſtet, cum ſtare non poſſit ille, qui congregat? Nam quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Cur multa deſideret, cùm pauca ſufficiant? Habẽtes, inquam, victum & veſtitum, his contẽti ſimus. Cur neceſſaria cùm multa ſolicitudine quærat, cùm ipſa ſine magna difficultate ſe offerant? Audi quid ſuper hoc veritas dicit, Nolite ſolliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus;

Iob. 14. *1. Tim. 6.* *Matt. 6.*

aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit
Mat. 6. enim Pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.
Pſal. 36. Nunquàm enim vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.

De auaritia.

CAPVT XI.

Horat. TAntalus ſitit in vndis, & auarus eget in opibus, cui tanti eſt, quod habet, quãti eſt, quod nõ habet: quia nunquàm vtitur acquiſitis, ſed ſemper inhiat acquirẽdis.
Prou. 13. Salomõ dicit eſt quaſi diues, cum nihil habeat, & eſt quaſi pauper, cùm in multis diuitiis ſit. Auarus, & infernus vterque comedit, & non digerit, recipit, & non reddit. Auarus nec patientibus cõpatitur, nec miſeris ſubuenit, vel miſeretur, ſed offendit Deum, offendit ſeipſum, offendit proximum. Nam Deo retinet debita, proximo denegat neceſſaria, ſibi ſubtrahit opportuna. Deo ingratus, proximo impius, ſibi crudelis. Viro cupido, & tenaciſſimo ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini liuido
Eccl. 14. ad quid aurum? Qui ſibi nequam eſt, quo-
1. Ioan. 3. modo bonus aliis erit? Et non iucundabitur in bonis ſuis. Qui habet ſubſtãtiam huius mũdi, & videt fratrem ſuum neceſſitatem

tem habere, & claudit viſcera ſũa ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Non enim proximum ſuum diligit, ſicut ſeipsũ, quem inedia perimit, & egeſtate conſumit. Neque Deum diligit ſuper omnia, qui præfert aurum, & præponit argentum.

Cur auaritia ſit ſeruitus idolorum.

CAPVT XII.

REctè definit Apoſtolus, Auaritia eſt ſeruitus idolorum. Sicut enim idololatra ſeruit ſimulachro, ſic & auarus theſauro. Nam ille cultũ idololatriæ diligenter amplificat, & iſte cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum omni diligentia colit ſimulachrum, & iſte cum omni cura cuſtodit theſaurum. Ille ſpem ponit in idololatria, & iſte ſpem cuſtodit in pecunia. Ille timet mutilare ſimulachrum, & iſte timet minuere theſaurum. *Epheſ. 5.*

De proprietatibus auari.

CAPVT XIII.

AVarus ad petendũ promptus, ad dandum tardus, ad negandum frõtoſus. Si quid expendit, totũ amittit, triſtis, querulus, & moroſus, ſolicitus, ſuſpirat, & anxiatur, dubius habet, inuitus expẽdit. Magnificat datum, ſed vilificat dandum: dat

vt lucretur, ſed non lucratur, vt det, largus in alieno, ſed parcus in proprio. Gulá euacuat, vt arcam impleat: corpus extenuat, vt lucrum extendat. Manum habet ad dandum collectam, ſed ad recipiendum
*Eccle.*40 porrectam. Porrò ſubſtantiæ iniuſtorum, ſicut fluuius ſiccabuntur, quia qui malè congregat, citò diſpergit. Iuſtum iudicium, vt quæ de malo proueniunt ad malum perueniant, nec accedat ad bonum, quod non procedit ex bono. Auarus ergo damnationem habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

De iniqua poſſeſſione diuitiarum.

CAPVT XIIII.

*Eccle.*8. VErum eſt ergo, quod Sapiens proteſtatur; multos perdidit aurum & ar-
Ibidē 31. gentum. Qui aurum diligit, non iuſtifica-
*Pſal.*71. bitur. Væ illis, qui ſectantur illud. Ecce, ipſi peccatores & abundantes in hoc ſeculo, obtinuerunt diuitias. Hinc Veritas
*Mat.*10. ipſa præcipiebat Apoſtolis: Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniá in zonis veſtris, quia ſicut camelus nõ po-
Ibidem 7. teſt introite per foramen acus, ita difficile
Acto. 3. eſt diuitem intrare in regnum cælorum. Arcta eſt enim via, & anguſta porta, quæ ducit ad vitá. Apoſtolus ergo ſecutus regulam Veritatis, aiebat: Argentum & aurum

zed by Google

rum non eſt mihi. Væ ergo vobis, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorum eius. Propter iniquitatem auaritiæ eius, iratus ſum, & percuſſi eum. *Eſaiæ 5.* *Ibidem 2.* *Ibidẽ 57.*

De licitis opibus.

CAPVT XV.

CÆterùm Abraham diues fuit, & Iob locuples, Dauid opulentus, & tamen de Abraham inquit ſcriptura: Quia credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Et de Iob, quia non erat ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, recedens à malo. De Dauid autem, quia Dominus inuenit virum ſecundùm cor ſuum. At illi fuerunt quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes, iuxta illud prophetæ, Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Nos autẽ ſumus omnia poſſidentes, quaſi nihil habentes ſecundùm illud Pſalmiſtæ, Diuites eguerunt, & eſurierunt. Facilius enim inuenies qui diligit diuitias, & non habeat, quàm qui habeat, & non diligat. Quia difficile eſt eſſe in igne, & non ardere. difficilius eſt poſſidere diuitias, & non diligere. Audi prophetam Hieremiam; A minore vſque ad maiorem, omnes aua- *Gene.15.* *Iob. 5.* *2. Reg. 2.* *2. Cor. 6.* *Pſal. 33.*

ritiæ ſtudent, & à propheta vſque ad ſacerdotem, cuncti faciunt dolum.

De incertitudine diuitiarum.

CAPVT XVI.

OMnis cupidus contra naturam nititur, & molitur. Natura enim adducit pauperem in mundum, natura pauperem reducit à mundo. Nudum eum nãque terra ſuſcepit: nudum etiam eum ſuſcipiet. Cupidus autẽ cupit, & curat fieri diues in mundo. Deſtruam, inquit, horrea mea, & maiora faciam, & illic congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & omnia bona mea. Sed dictum eſt ei: O ſtulte, hac nocte repetetur anima tua à te: quæ autem paraſti, cuius erunt? Theſaurizas, & ignoras, cui congreges. Dormierũt enim ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis: Diues cùm dormierit, nihil ſecum afferet, aperiet loculos ſuos, & nihil inueniet. Ne timueris, cũ diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm morietur nõ accipiet hæc omnia, neque ſimul cum eo deſcendet gloria domus eius, ſed relinquet alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus eorum in æternum. Hinc etiam ſapiens atteſtatur:

Luc 12. *Pſal. 38.* *Iob. 27.* *Pſal. 48.*

tur: Qui aceruat ex non ſuo iniuſtè, & alijs *Eccle. 14.*
congregabit, & in bonis ſuis alius luxuriabitur. Proh dolor! quem habebat hoſtem dimittit hæredem.

De *Gula*.

CAPVT XVII.

INitium vitæ hominis aqua, & panis, & *Eccle. 29*
veſtimentum, & domus, protegẽs turpitudinem. Nunc autem guloſis non ſufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non piſces maris, non beſtiæ terræ, non aues cæli, ſed quæruntur pigmenta, cõparantur aromata, & nutriuntur altilia. Capiuntur ob eſcã, quæ ſtudioſè coquuntur arte coquorum, quæ lautè parantur officio miniſtrorum. Alius contundit, & colat, alius confundit, & conficit, & ſubſtantiam conuertit in accidens, naturam mutat in artem, vt ſaturitas tranſeat in eſuriem, vt faſtidium reuocet appetitum ad irritandam gulam, non ad ſuſtentandam naturam, non ad neceſſitatem ſupplendam, ſed ad auiditatem explendam. Cæterùm tam breuis eſt gulæ voluptas, vt ſpacio loci vix ſit quatuor digitorum, ſpatio temporis, vix ſit totidem momentorum. Contemnitur mediocritas, & ſuperfluitas affectatur, in diuerſitate

ſaporum, in varietate ciborũ. Auiditas neſcit modum, & varietas excedit menſurã, ſed mens grauatur, & ſtomachus turbatur, ſenſus opprimitur in illis. Inde non ſalus,
Eccle.37. & ſanitas, ſed morbus, & mors. Audi ſuper hoc ſententiam Sapientis. Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infirmitas, & propter crapulam vini, multi perierunt. Eſca vẽtri, & venter eſcis,
1. *Cor.6.* Deus autem & hunc, & has deſtruet.

Exempla contra gulam.

CAPVT XVIII.

GVla carum tributũ exigit, ſed viliſſimum reddit, quia quãtò ſunt delicatiora cibaria, tanto fœtidiora ſunt ſtercora. Turpius egerit, qui turpiter ingerit, ſuperius & inferius horribilem flatum exprimens, & abominabilem ſonum emit-
Gene.3. tens. Gula paradiſum clauſit, primogeni-
23. *& 40* ta Eſau vendidit, ſuſpendit piſtorem, de-
Marc.6. collauit Baptiſtam. Nabuzardan prin-
4. *Reg.* ceps coquorum templum incendit, &
25. Hieruſalem euertit. Balthaſar in conuiuio manum contra parietem ſcribentem
Dani.5. aſpexit, Mane, Thechel, Phares, & eadem
Exod.23. nocte interfectus eſt à Chaldæis. Sedit
populus

populus manducare & bibere, & ſurrexe- *Pſal.77.*
runt ludere, ſed adhuc erant eſcę eorum in
ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.
Qui veſcebantur voluptuoſè, interierunt *Thren. 4.*
in viis. Diues ille, qui epulabatur quotidie *Luc. 16.*
ſplendidè, ſepultus eſt in inferno.

De ebrietate.

CAPVT XIX.

QVid turpius ebrioſo, cui fœtor in ore, tremor in corpore, qui promittit multa, prodit occulta, cuius mẽs alienatur, *Prou. 31.* facies transformatur? Nullum enim ſecretum, vbi regnat ebrietas. Horatius,

Fœcundi calices quem non fecere diſertum? *Horat.*

Porrò non ſufficit vinum, non ſicera, non ceruiſia, ſed ſtudioſè conficitur mulſum, ſirupus, claretum labore multo, ſolicitudine magna, ſumptu non modico, ſed inde contentiones, & rixæ, lites, & iurgia: Vinũ enim multum potum, vt ait Sapiẽs, irritationem, & irã, & ruinã multã facit: forni- *Eccle. 31.* cationes ex eo ſunt, fornicatio, & vinum, *Oſeæ 4.* & ebrietas auferunt cor. Propterea dicit Apoſtolus; Nolite inebriari vino, in quo *Ephe. 5.* eſt luxuria. Et Salomon, Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas. Filij Rechab, *Prou. 30.* & filius Zachariæ vinum, & ſiceram, & omne, quod inebriare poterat, nõ biberunt. *Hier. 35.*

Exem

Exempla contra ebrietatem.

CAPVT XX.

EBrietas enim verenda nudauit, ince-
Ge.9. 19. ſtum commiſit, filium regis occidit,
2.reg.13. principem exercitus iugulauit. Verùm er-
Iudit.13. go eſt, quod Salomon ait Prouerb. xxiij.
Pro.23. Vacantes potibus, & dantes ſymbola con-
Eſaiæ 5. ſumentur. Eſa.in 5.cap. Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatem faciendam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, &
Eſaiæ 22. vinum in conuiuiis veſtris. Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum in cõuiuiis, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur. Et reuelata eſt
Eſaiæ 28. in auribus meis vox Domini exercituum, Si dimittetur hæc iniquitas vobis, moriamini. Vę coronę ſuperbię ebriis Ephraim. Sacerdos, & propheta neſcierunt, præ ebrietate abſorpti ſunt à vino, neſcierunt videntem, & ignorauerunt iudicium. Proh pudor, cùm ad annunciandam Euangelicam lectionem à quodam presbytero, benedictio peteretur, heſternam crapulam, & nocturnam ebrietatem eructans fertur

Digitized by Google

tur alta voce dixiſſe :Potum ſeruorum benedicat rex Angelorum.

De luxuria.

CAPVT XXI.

POrrò turpis mater filium generat turpiorem. Iuſtum eſt enim, vt, qui in ſordibus eſt, ſordeſcat & adhuc. Omnes enim adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente. Cœperunt principes furere à vino. Venter enim opiparè ſatur, libenter Venerem amplexatur. O extrema libidinis turpitudo, quæ non ſolùm mentem effœminat, ſed etiam corpus eneruat, non ſolùm maculat animam, ſed fœdat perſonam! Omne enim peccatum, quod facit homo, extra ſuum corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Semper illam præcedunt ardor, & petulantia, ſemper comitantur fœtor, & immunditia, ſequuntur ſemper dolor & pœnitentia. Fauus enim, inquit Salomon, diſtillans, labia meretricis: & nitidius oleo guttur eius. Nouiſſima autem illius amara, ſicut abſinthium, & lingua eius acuta, quaſi gladius anceps.

Ap. 22.
Oſe.7.
1.Cor.6.
Prou.5.

De generalitate luxuriæ.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXII.

FAmiliaris eſt inimicus habitans non procul, ſed propè: non exterius, ſed interius. Nam virtus eius in lumbis eius, &
Iob.40. fortitudo eius in vmbilico ventris eius. Nunquam fugatur, niſi cùm fugitur, nunquàm mactatur, niſi cùm maceratur. Ad cauſam exit libertatem & abundantiam, ſed requirit ad effectum facultatum adiacentiam. Hæc omnem ætatem corrumpit, omnem ſexum confundit; omnem ordinem ſoluit, omnem gradum peruertit. Inuadit enim ſenes, & iuuenes, mares, & fœminas, prudentes, & ſimplices, ſuperiores, & inferiores, ad extremam generationem etiam Sacerdotes, qui nocte Venerem amplexantur, manè verò virginem venerantur. Turpe dictu, ſed turpiſſimum actu: dici liceat, quod agi non libeat. Nocte filium Veneris agitant in cubilibus; manè verò filium virginis offerunt in altari.

De diuerſis ſpeciebus luxuriæ, & pœnis eorum.

CAPVT XXIII.

Gene. 19. QVis multiplices ſpecies huius ſufficienter valeat explicare? Hæc enim Pentapolim cum adiacente regione ſub-
Ibid.34. uertit. Si Sodomitas, ſi Sichem cum populo

pulo interemit, ſi raptores Dinæ, ſi Her, *Ibid.38.*
& Onam filios Iuda percuſſit, ſi immun- *Num. 25.*
dos Iudæum & Madianitidem pugione *Iudi.19.*
transfodit, ſi fornicatores tribus Benia- *& 20.*
min pro vxore Leuitæ deleuit, ſi adulte- *1.Re. 2.*
ros filios Heli ſacerdotes in bello pro- *& 4.*
ſtrauit, Amon in conuiuio interfecit, ſi *Ibid. 11.*
ſtupratores quæras, ſacrilegos, & inceſtuo- *Dan. 13.*
ſos. Hæc denique Vriam occidit, preſby *Ge.35.*
teros lapidauit, Ruben maledixit, Samſo- *& 49.*
nem ſeduxit, Salomonem peruertit. Verum *Iudi.16.*
eſt ergo, quod legitur, propter ſpeciẽ mul- *1.Re. 11.*
ti perierunt. Nam vinum, & mulieres apo- *Ecc.9. &*
ſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſen- *19.*
ſatos. Hæc multos vulneratos deiecit, & *Prou. 7.*
fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea,
viæ inferi domus eius penetrantes in inte-
riora mortis. Hæc vires eneruat, ſenſus di-
minuit, dies coſumit, opes effundit.

De coitu contra naturam.

CAPVT XXIIII.

HÆc ignominioſam morphoſin opera-
tur, quam tamen Apoſtolus confun-
ditur nominare. Propterea, inquit, tradidit *Rom.1.*
eos Deus in paſſiones ignominiæ. Nã fœ-
minæ eorum cõmutauerũt naturalẽ vſum
in eũ, qui eſt cõtra naturã. Similiter & ma-
ſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exar-

ſerunt

by Google

ſerunt in concupiſcentiis ſuis inuicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes. Quid autem hanc turpitudinem operantibus turpius? Quid hoc crimine criminioſius? in lege enim quaſi paria coniunguntur, concubitus maris cum maſculo, & coitus hominis cum iumento. *Leuit. 18.* Sic enim legitur in Leuitico: Cum maſculo non commiſceberis coitus fæmineo: quia abominatio eſt: cum omni pecore nõ coibis, nec maculaberis cũ eo. Vtrique par pœna ſubſcribitur. *Ibid. 20.* Qui dormierit, inquit, cum maſculo coitu fœmineo, vtrique operati ſunt nefas morte moriãtur, pecus quoque occidite. Qui habet aures audiat: imò, qui deſipit, reſipiſcat.

De pœna huius ſceleris.

CAPVT XXV.

Gene. 19. POena docuit, quid hæc culpa promeruit. Pluit enim Dominus ſuper Sodomam, & Gomorrhã ſulphur & ignem à Domino de cælo. Noluit enim Dominus cuiquam Angelorum, vel hominũ, executionẽ huius pœnæ committere, ſed ſibiipſi vindictam huius ſceleris reſeruauit: ſecũdum illud: Mea eſt vltio, & ego retribuam. Et ideò, pluit Dominus à domino, videlicet à ſeipſo non imbrem, vel rorem, ſed ſulphur & ignem ſuper ardorem libidinis, quatenus

nis pœna ſimilis eſſet culpæ. Nec miſiſſe dicitur, ſed pluiiſſe: quatenus ipſo verbo magnitudinē, & abūdantiam pœnæ notaret. Nemini pepercit oculus ei', ſed omnes ſimul extinxit. Vxorē quoq; Loth, quia retrò reſpexit, in ſtatuam ſalis mutauit: nec ſolùm vrbes, ſed omnes circa regiones in mare mortuum, & vallem ſalinariam conuertit. *Heb.10.* Horrendū eſt enim incidere in manus Dei viuentis, qui quantò maiorē ſuæ longanimitatis exhibet patientiam, tantò duriorem ſuæ ſeueritatis infert vindictā.

De ambitioſo.

CAPVT XXVI.

OPes vtique cupidus cōgregat, & auarus coaceruat. Voluptates guloſus deguſtat, & luxurioſus exercet. Honores ambitioſus affectat, & ſuperbus extollit. Ambitioſus autem ſemper eſt pauidus, ſemper attentus, quid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum valeat diſplicere. Humilitatem ſimulat, honeſtatē mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur & obſequitur, cunctos honorat, vniuerſis inclinat, frequentat curias, viſitat optimates, adſurgit & amplexatur, applaudit & adulatur: bene nouit illud poëticum:

Et ſi nullus erit puluis, tamen excutit illum. *Ouidius.*

Digitized by Google

Promptus & feruidus, vbi placere cognouit: remiſſus & tepidus, vbi putauerit diſplicere. Improbat mala: deteſtatur iniqua: alia cum alijs probat & improbat, vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab hominibus, vt à ſingulis approbetur. Et ecce grauem intra ſe ſuſtinet pugnam, difficilémque conflictum, dum iniquitas pulſat animum, & ambitio continet manum, & quod illa ſuggerit faciendum, hæc fieri non permittit. Colludunt tamen ad inuicem mater & filia: iniquitas, & ambitio: nam mater in aperto ſubſiſtit, & filia in occulto non reſiſtit. Hæc enim vendîcat ſibi publicum, illa ſecretum. Ambitioſus ergo libenter agit de principatu, quem ambit, & dicit: O quando principabitur ille, qui ſeruerus ſit in iuſtitia, pius in miſericordia, qui non declinet amore vel odio, qui non corrumpatur prece, pretio: qui credat fidelibus, & acquieſcat ſupplicibus: qui ſit humilis, & benignus, largus & manſuetus, conſtans, ſapiens, patiens, & aſtutus.

De nimia concupiſcentia ambitioſorum.

CAPVT XXVII.

SI forſan hac arte non proficit, recurrit ad aliã, aduocat Simonẽ, & accedit ad Giezi: per hũc ab illo nititur emere, quod per

per ſe non præualet obtinere, ſupplicat & promittit, offert & tribuit, proh pudor! gratiã, quã gratis adipiſci nequit. Nec deſiſtit adhuc, ſed inſtat, & inuadit violenter honorẽ, & impudenter arripit dignitatem, amicorũ ſuffragio, præſidio propinquorũ: tantoque damnationis inflãmatur ardore, tãta libidine præſidendi, vt nec ſchiſma abhorreat, ſcandalũ nõ formidet: ſed Giezi lepra percuſſit, & Simon perijt cũ pecunia, Chore autẽ cum cõplicibus ignis abſumpſit, & Dathan & Abiron terra viuos abſorbuit. Nullus itaque ſibi honorem adſumat, niſi qui vocatur à Deo, tanquã Aaron.

4. Reg. 5.
Act. 8.
Num. 16.
Hebr. 5.

De ambitioſo exemplum.

CAPVT XXVIII.

Liquidum ambitionis exemplum reperitur in Abſalone, qui cùm aſpiraret ad regnum, fecit ſibi currus, & equites, & viros, qui præcederent eum, & manè conſurgens Abſalon ſtabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad regis iudicium, vocabat ad ſe, & dicebat, De qua ciuitate es tu? Qui reſpondit, Ex vna tribu Iſraël ego ſum ſeruus tuus. Reſpondebat ei Abſalon, Videntur mihi ſermones tui iuſti & boni, ſed non eſt, qui te audiat, conſtitutus à rege. Dicebat & Ab-

2. Reg. 15

ſalon: Quis me conſtituat iudicem ſuper terrã, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, vt ad iuſtum iudicem? Sed cùm accederet ad eum homo quidã, & ſalutaret eum, extendebat manum ſuam: & apprehendens eum, oſculabatur, faciebátque hæc omni Iſraël, qui veniebant ad iudicium, vt audirentur à rege, & ſollicitabat corda virorum Iſraël. Cùmque abiſſet Abſalon in Ebron, miſit exploratores in vniuerſis tribus Iſraël dicentes: Statim vt audieritis clangores buccinæ, dicite: Regnauit Abſalon in Ebron: & facta eſt coniuratio valida, & populus concurrens augebatur cum Abſalone.

De breui & miſera vita magnatum.

CAPVT XXIX.

SEd eſto, quòd ſublimetur in altum, prouehatur ad ſummum, ſtatim curæ ſuccreſcunt, ſolicitudines cumulantur, extenduntur ieiunia, vigiliæ producuntur, ex quibus natura corrumpitur, ſpiritus infirmatur. Corrumpitur ſomnus, amittitur appetitus, debilitatur virtus, attenuatur corpus: & ſic in ſeipſo deficiens non dimidiat dies ſuos: ſed miſerabilem vitam miſerabiliori fine concludit. Verum eſt illud poëticum: In ſe magna ruunt, ſummiſque negatum eſt ſtare diu: tolluntur

in

in altũ, vt lapſu grauiore ruant. Verius autem iſtud propheticum, Vidi impium ſuper exaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani: tranſiui enim, & ecce non erat qui eum cognoſceret: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius: antè quàm dies eius impleantur, peribit. Lætatur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & ſicut oliua ducens florem. Audi ſuper hoc ſententiam Sapientis: Omnis potentatus, breuis vita. *Pſal. 36.* *Eccl. 10.*

De diuerſis proprietatibus ſuperborum.

CAPVT XXX.

STatim autem vt ambitioſus eſt promotus ad honorem, in ſuperbiam extollitur, & in iactantiam effrænatur, nec curat prodeſſe, ſed gloriatur præeſſe: præſumit ſe meliorem, quia creuit in ſuperiorem. At bonum facit non gradus, ſed virtus: non dignitas, ſed honeſtas. Priores dedignatur amicos notos ignorat heſternos, comites comtemnit antiquos, vultum auertit, viſum extollit, ceruicem erigit, factum oſtendit, grandia loquitur, ſublimia meditatur: Subeſſe non patitur, præeſſe molitur, prælatis infeſtus, ſubditis oneroſus. Moleſta non ſuffert, concepta non differt, præceps & audax, glorioſus & arrogans, grauis & importunus.

d by Google

De ſuperbia & caſu Luciferi.

CAPVT XXXI.

O Superbia cunctis importabilis & odioſa, inter omnia vitia tu ſemper
Sapien. 3. es prima, tu ſemper es vltima. Nam omne peccatum te accedente committitur, & te
Eccle. 10. recedente dimittitur. Scriptum eſt enim: Initiũ omnis peccati, eſt ſuperbia. Primogenita, mors. Hæc enim inter ipſa rerum primordia creaturam contra Creatorem erexit, Angelum contra Deum, ſed eum abſque mora deiecit, quoniam in veritate non ſtetit, ab innocentia in peccatum, à delitiis in miſerias, à cælo empyreo in
Eſa.14. aërem caliginoſum. Audi prophetam: Quomodo cecidiſti de cælo, Lucifer qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, In cælum aſcendam, & ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte
Eze.28. teſtamẽti in lateribus Aquilonis. & aſcendam ſuper altitudinem nubiũ, ſimilis ero Altiſſimo. Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in delitiis paradiſi Dei fuiſti. Omnis lapis pretioſus, veſtimentũ tuum, Sardius, Topazius, & Iaſpis, Chryſolitus, Onyx & Berillus, Carbunculus, Sapphyrus, Smaragdus. Aurum, opus decoris tui & foramina

na tua in die, qua conditus es, præparata ſunt. Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te. Peccaſti, & eieci te de monte Dei. Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, & in terram proieci te. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei. Abietis non æquauerunt ac ſummitatem eius, & platani non fuerunt æquales frondibus eius. Omne lignum paradiſi non eſt aſſimilatum ei, & pulchritudini eius, quoniam ſpecioſum feci eum, & multis, condenſiſque frondibus. Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Ipſe eſt draco magnus, rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ſuis diademata ſeptem, cuius cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit illas in terram: & proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeduxit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum eo miſſi ſunt. De quo veritas ait, Vidi Satanam quaſi fulgur de cœlo cadentem. Nam omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.

Eze. 28
Iob. 41.
Apo. 12.
Luc. 10.
Ibid. 14.

De arrogantia hominum.

CAPVT XXXII.

O Superba prȩſumptio & prȩſumptuoſa ſuperbia, quæ non tantùm angelos Deo voluiſti adæquare, ſed etiam homines præſumpſiſti deificare! Porrò quos erexit, depreſſit: & quos exaltauit, humiliauit. Hinc ait Dominus ad prophetam:
Eze. 28. Fili hominis dic principi Tyri, hæc dicit dominus Deus, eò quòd eleuatum eſt cor tuum quaſi cor Dei, & dixiſti: Deus ego ſum, cùm ſis homo, & non Deus: idcircò ego adducam ſuper te robuſtiſſimos gentium, & interficiam te, & morieris in interitu occiſorum. Nabuchodonoſor, quia potentiam ſuam iactauit ſuperbè, & ait, Nónne hæc eſt Babylon, quã ædificaui in domo regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cùm adhuc ſermo eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit:
Dan. 4. Tibi dicitur Nabuchodonoſer rex, regnum tuũ tranſiuit à te: & ab hominibus eiiciã te: & cum feris & beſtijs erit habitatio tua, fœnũ quaſi bos comedes, & ſeptem tẽpora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quòd excelſus dominetur in regno hominũ, & cuicunque voluerit, det illud. Eadem hora ſermo cõpletus eſt ſuper Nabuchodonoſor. Verum eſt ergo, quod dicitur in Pſal

Pſalmo: Homo cùm in honore eſſet, non *Pſal.* 48.
intellexit: comparatus eſt iumentis inſi-
pientibus, & ſimilis factus eſt illis. Super- *Gene.* 11.
bia turrem euertit & linguam confudit,
proſtrauit Goliam, & ſuſpendit Aman, in- 1.*Reg.*17
terfecit Nicanorem & peremit Antio- *Heſt.* 7.
chum, Pharaonem ſubmerſit, & Senna- 2. *Mac.*
cherib interemit: Holofernis caput am- 15.
putauit. Sedes ducum ſuperborum de- *Iudi.* 6.
ſtruxit Deus, & radices gentium ſuperba- 2.*Mac.*9.
rum areſecit.

De abominatione ſuperbiæ.

CAPVT XXXIII.

QVàm deteſtabilis ſit ſuperbia, Dominus ipſe per prophetam teſtatur, dicens, Deteſtor ego ſuperbiam Iacob. Et *Exo.* 14.
iurauit Dominus in ſuperbiam Iacob: Si 4.*Re.* 19.
oblitus fuero vſque in finem omnia opera *Iud.* 13.
eorum Vnde inter illa ſeptem, quæ Do- *Eccle.* 19.
minus odit, & ſeptimum deteſtatur ani- *Amos.* 6.
ma eius, Salomon primum ponit oculos *Ibid.* 8.
ſublimes. Et Eſaias: Dies Domini exerci- *Prou.* 6.
tuum ſuper omnem ſuperbū, & excelſum, *Eſaiæ.* 2.
& ſuper omnem arrogãtem, & humiliabitur, & ſuper omnes cedros Libani, & ſublimes & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan, & ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos, & ſuper omnem turrem excelſam, & ſuper omnem

murum munitum, & curuabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino: & deſcendent ſublimes glorioſiq; e eius ad eum. Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret ſuperbiam omnis gloriæ eius. Iob quoque dicit: Si aſcenderit vſque ad cœlum ſuperbia, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.

Eſa. 52. *Ibid. 32.* *Iob. 20.*

Contra arrogantiam ſuperborum.

CAPVT XXXIV.

OMnis ferè vitioſus diligit ſibi ſimilem. Superbus autem odit eleuatum. Vnde Salomon, Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia, & vbi fuerit ſuperbia, ibi & contumelia. Superbus inſolita geſtit, conſueta faſtidit, magnum reputat, ſi loqui dignetur, maximum, ſi ſurgat & amplexetur. Æſtimat plus dignitatem ab ipſo, quàm ipſum effectum ex dignitate. Nunquam vult vti paternitatis affectu: ſemper vult vti dominationis imperio. Superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius, plus quàm fortitudo eius. Reuoluat in animo quod legitur in Euangelio: Facta eſt contentio inter diſcipulos Domini Ieſu, quis eorum videretur eſſe maior: & ait Ieſus,

Prou. 15. *Ibid. 11.* *Luc. 22.*

Prin

Principes gentium dominantur eorum. & qui poteſtatem habent inter illos, benefici vocantur. Vos autem nõ ſic: ſed qui maior eſt inter vos, erit ſicut iunior: & qui præceſſor, ſicut miniſtrator. Et vt Petrus, Apoſtolorum princeps, ait: Nõ quaſi dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo. Domini eſt terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. Vnus eſt ergo Deus, & vnus eſt Dominus. Cæteri verò non ſunt Domini, ſed miniſtri, quibus interdicitur dominium, & indicitur miniſterium. Audi ſuper hoc Sapientem: Rectorem ſi te poſuerunt, noli extolli: eſto in illis, quaſi vnus ex illis.

1. Petr. 5. *Pſal. 23.* *Eccle. 32.*

Contra fraudem ambitioſorum exemplum.

CAPVT XXXV.

Filij Zebedæi, qui per interuentum matris honorem poſtulauerunt à Chriſto, Dic (inquit) vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram tuam in regno tuo, meruerunt audire. Neſcitis quid petatis. Non enim honore, ſed onere peruenitur ad regnũ. Vnde Dominus ſubdit: Non eſt meum dare vobis, quaſi diceret, meum quidem eſt dare, ſed non vobis id eſt ambitioſis, quales vos eſtis. Licet autem

Mat. 20.

Digitized by Google

autem poteſtas à Deo ſit,ſuperbi, tamen non regnant ex Deo,ſecundùm illud propheticum:ipſi regnauerunt, & non ex me, Oſe.8. principes extiterunt, & non cognoui eos.

De proprietatibus arrogantum CAPVT XXXVI.

Matt.23. SVperbus auté amat primas cathedras in ſynagogis, & primos recubitus in cœnis,ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi:non nomine perſonæ, ſed nomine fortunę vult appellari,non vt homo, ſed vt Dominus vult honorari. Sedet ſublimis,incedit excelſus, vult ſibi omnes adſurgere, ſingulis inclinare. Porrò quidam Philoſophus ludens arrogátiam cuiuſdam regis, cùm vidiſſet in throno regali ſedere ſublimem, proſtratus in terram ſuppliciter adorauit: & confeſtim, non inuitatus, accédens iuxta regem cõnſedit. Quod Rex vehementer admirans eo quòd noſſet eum eſſe Philoſophum, quare hoc egerit exquiſiuit: Philoſophus ergo repondit. Aut Deus es, aut homo: ſi Deus, debui te adorare: ſi homo, benè potui iuxta te ſedere, Rex autem orationem conuertens contra Philoſophum, intulit, imò ſi homo ſum, non debuiſti me adorare: ſi Deus

Deus ſum, non debuiſti iuxta me ſedere. Sapienter iſte reſpondit, ſed ille prudenter eluſit.

De ſuperſluo cultu.

CAPVT XXXVII.

PRimis parentibus fecit Deus tunicas pelliceas poſt peccatum, & à Chriſto dicitur Chriſtianis: Non duas tunicas habeatis. Sed iuxta Ioannis cõſilium, qui habet duas tunicas, det non habenti vnam. Superbus autem, vt magnificus videatur, ſatagit veſtiri duplicibus, indui mollibus, pretioſis ornari. Sed quid eſt homo pretioſis ornatus, niſi ſepulchrum fortis dealbatum, intus autẽ plenũ ſpurcitia? Hyacinthus, & purpura, coccus, & byſſus, in limo putreſcunt: aurum, & argentum, lapides, & gemmæ in luto ſordeſcunt, dignitas & poteſtas malè iacẽt in puluere, honor, & gloria malè ſedẽt in cinere. Quid ergo ſuperbiæ phylacteria dilatas, magnificas fimbrias? Diues ille, qui induebatur purpura & byſſo, ſepultus eſt in inferno. Dina filia patriarchæ Iacob, antequàm egrederetur (vt ait Ioſephus) vt emeret ornamentum prouincialiũ mulierũ, virgo permãſit. Cum autẽ exiuit, Sichẽ, filius Regis Amorrhęorũ eã violenter oppreſſit. Holofernes, qui

Gen. 3. *Mat.* 10. *Luc.* 3. *Mat.* 23. *Luc.* 16. *Gen.* 34.

ſede

ſedebat in conopæo quod erat ex purpura,& byſſo,& auro,& ſmaragdo,& lapidibus confectum, & iugulatus eſt à Iudith. Quæ quum prius tegeretur cilicio, tunc adſumpſit ornatum iucunditatis. Audi ſuper

Eccle. 11. per hoc conſilium Sapientis, In veſtitu ne
1. Tim. 2. glorieris vnquàm. Et Apoſtolus: Non in
1. Petr. 3. veſte pretioſa, nec ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut veſtimentorum cultus.

Contra ſuperfluum ornatum.

CAPVT XXXVIII.

ATtende quid cōtra ſuperfluum ornatum comminetur Dominus per pro-

Eſaia 3. phetam Eſaiam: Pro eo, quòd eleuatę ſunt filiæ Sion,& ambulauerunt extenſo collo, & nutibus oculorū ibant, decaluabit Dominus ceruicem filiarum Sion, & crinem earū nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorū, & lunulas, & torques,& monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria,& palliola, & linteamina, & acus,& ſpecula, & ſyndones, & vittas, & theriſtra:& erit pro ſuaui odore fœtor, & pro

pro zona funiculus, & pro criſpante crine, caluitium. Ecce iſta pœna redditur pro culpa, vt in eo puniantur, in quo peccauerunt. Adhuc ſuper his audi, prophetam Ezechielem, O Tyre, byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum: hyacinthus & purpura de inſulis Eliſa, facta eſt indumẽtum tuum. Dentes eburneos, & hebeninos commutauerunt in pretio tuo. Propter multitudinẽ operum tuorum guttam, & purpuram, & ſcrutulata, & byſſũ, & ſericũ, & chodchod propoſuerunt in mercatu tuo, dederunt inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum, & repleta eſt, & glorificata nimis. Sed nunc contrita es in mari, & in profundis aquarum opes tuæ, ad nihilum redacta es, & non eris vſque in ſempiternum. Eze. 27.

Quòd plus defertur veſtibus, quàm virtutibus.

CAPVT XXXIX.

CVm quidam Philoſophus in habitu contemptibili principis aulam adiiſſet, & diu pulſans non fuiſſet admiſſus, ſed quoties tentaſſet ingredi, toties contigiſſet eum repelli. mutauit habitũ, & aſſumpſit ornatum. Tunc ad primam vocem aditus patuit venienti. Qui procedens ad

prin

principem, pallium, quod geſtabat; cœpit venerabiliter oſculari. Super quo princeps admirans, quod hic ageret, exquiſiuit. Philoſophus reſpondit: Honorantem honoro, quia, quod virtus non potuit, veſtis obtinuit. O vanitas vanitatum! plus honoris defertur veſtibus, quàm virtutibus: plus venuſtati; quàm honeſtati.

De fucatione colorum.

CAPVT XL.

ARtificialis ſpecies ſuperinducitur, &
facies obducitur naturalis, tanquam
artificium hominis artem ſuperet Creato-
Matt.6. ris. Non ſic, non ſic. Cõſiderate, inquit Do-
minus, lilia agri, quomodo creſcunt: non
laborant, neque nent: dico autem vobis,
quoniam nec Salomon in omni gloria ſua
coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis: abſit au-
tem, quòd adulterinus color comparabi-
lis ſit natiuo. Quoniam cùm facies adul-
terino colore fucatur, os abominabili fœ-
tore corrumpitur. Vniuerſa vanitas, omnis
Pſal. 38. homo viuẽs. Quid enim vanius, quam pe-
ctere crines, planare cæſariem, tingere ge-
nas, vngere faciem, producere ſupercilia?
Prou. 30. Quandoquidem fallax ſit gloria, & vana
Eſa. 40. ſit pulchritudo: Omnis caro fœnum, & o-
Pſal. 36. mnis gloria eius, quaſi flos agri. Quoniam
tan-

tāquàm fœnum velociter areſcent, & ſicut olera herbarum citò cadēt. Vt autem perſonæ ornatū prætereā, ne malignius quàm verius videar in aliquo ſuccenſere; quid vanius quàm ornare menſam mantilibus picturatis? cultellis ebore manicatis, paſis aureis, & argenteis vaſculis, ſcyphis; & mappis buccalibus, & gradalibus, ſcutellis, & cochlearibus, furcinulis, & ſotularibus, bacilibus, & vrceolis, capſulis & flabellis? Quid prodeſt pingere cameras, ditare perticas, palliare veſtibulum, ſubſternere pauimentum, componere lectum inflatum plumis, opertum ſericis, obductum cortinis, aut etiam conopæo? Scriptum eſt enim: Cùm morietur, non accipiet hæc omnia: neque ſimul cum eo deſcendet gloria eius. *Pſal.* 48.

De immunditia cordis.

CAPVT XLI.

NOn eſt, qui de cordis mūditia valeat gloriari: quoniam in multis offendimus omnes. Et ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quis eſt, qui illud dicere valeat cū Apoſtolo, nihil mihi conſcius ſum; non tamen in hoc iuſtificatus ſum? Quis eſt hic, & laudabimus eum? Ecce inter ſanctos nemo eſt immutabilis: *Iacob.* 3. *1. Ioan.* 1. *1. Cor* 4. *Eccl.* 31. *Iob.* 4. & 15. & 25.

cæli non ſunt mundi in conſpectu eius, &
Gen. 6. in angelis eius reperit prauitatem. Quantò magis abominabilis eſt, & inutilis homo, qui bibit quaſi aquã iniquitatem? Pœnituit ergo Deum feciſſe hominẽ in terra, eò quòd multa eſſet hominũ malitia ſuper terram, & cuncta cogitatio hominis omni tẽpore ad malũ intenta, & ideò tactus dolore cordis intrinſecus, deleuit hominem
Mat. 24. quem creauerat. Porrò ſuperabundauit iniquitas, & refrixit charitas multorũ. O-
Pſal. 13. & 51. mnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum: non eſt vſque ad vnum. Tota penè vita mortaliũ mortalibus eſt plena peccatis, vt vix valeat inueniri, qui nõ declinet ad ſiniſtram,
Prou. 2. qui non reuertatur ad vomitum, qui non
Rom. 1. putreſcat in ſtercore. Quin potius gloriãtur,
2. Tim. 3. cùm malè fecerint, & exultãt in rebus peſſimis, repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, pleni inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſi, ſuperbi, elati, inuentores malorum, parentibus inobediẽtes, inſipientes, incompoſiti, ſine affectione, ſine fœdere, abſque miſericordia. Talibus, & peioribus mundus iſte repletus eſt hæreticis, & ſchiſmaticis perfidis, & tyrannis ſimo

Digitized by Google

ſimoniacis, & hypocritis, ambitioſis, cupidis, raptoribus, prædonibus, violentis & exactoribus, & vſurarijs, & falſarijs, impijs, & ſacrilegis, proditoribus, & mendacibus, adulatoribus, & fallacibus, & garrulis & verſutis, guloſis, & ebrioſis, adulteris, & inceſtuoſis, mollibus, & immundis, pigris, & negligentibus, vanis, & prodigis, impetuoſis, & iracundis, impatientibus, & inconſtantibus, veneficis, & auguribus, periuris, & execratis, præſumptuoſis, & arrogantibus, & deſperatis, demùm vniuerſis vitiis irretitis. Porrò, ſicut deficit fumus, deficient, & ſicut fluit cera à facie ignis, ita peccatores peribunt à facie Dei. *Pſal. 67.*

De doloribus quos mali patiuntur in morte.

CAPVT XLII.

MAli ſiquidem quatuor dolores patiuntur in morte. Primus dolor, eſt anguſtia corporea, & tanta, & tam grauis, quãta, & qualis nec fuit, nec eſt in præſenti vita ante diſſolutionem illam. Quoniam quibuſdam, & ſine motibus apparet præ nimio dolore, quòd ſeipſos diſſipent. Fortis enim, & incomparabilis eſt violentia, quoniam nexus illi, & phyſicales nodi inter corpus & animam, diſrumpuntur.

Digitized by Google

Pſal. 114. Vnde propheta lamentando ait in Pſalmo: Circundederunt me dolores mortis Non eſt membrum, non eſt articulus in corpore, qui penitus non inuoluatur illo inexpugnabili dolore. Secundus dolor eſt quando iam plenè defatigato corpore, & ſuis exhauſto viribus, anima multo liberiùs videt tunc in mométo occurrere omnia opera bona ſua, vel mala, quæ fecit quæ omnia reducuntur ante oculos interiores. Dolor iſte tantus, retractio iſta tam grauis eſt, quoniam anima plurimum turbata cogitur contra ſe ipſám ediſſere-
Pſal. 17. re. Vnde dicitur in Pſalmo: Torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Sicut enim torrentes cum multo impetu veniunt, & videntur diruere omnia, ita in morte videbit malus omnia ſubitò quæ fecit opera bona, vel mala. Tertius dolor eſt, quando anima incipit iam iuſtè iudicare, & ſibi pro ſuis iniquitabus ſingulis omnia & debita gehennæ tormenta videt immine-
Pſal. 17. re. Vnde dicitur in Pſalmo: Circundederunt me dolores inferni. Quartus dolor eſt, quando anima adhuc in corpore poſita, videt ſpiritus malignos ad recipiendum ſe paratos, vbi tantus dolor eſt, & timor, quòd miſera anima, licet extincta, quamdiu poteſt refugiat, vt tempus ſuæ

capt

Digitized by Google

captiuitatis redimat, antè quàm de corpore exeat.

De aduentu Chriſti ad diem mortis cuiuslibet hominis.

CAPVT XLIIII.

VIdet etiam tam bonus, quàm malus, antè quàm egrediatur anima de corpore, Chriſtum in cruce poſitum. Malus videt ſibi ad confuſionem, vt erubeſcat ſe non eſſe redemptum ſanguine Chriſti, ſua culpa exigente. Vnde malis dicitur in euãgelio; Videbũt in quem pupugerunt. quod intelligitur de aduentu Chriſti ad iudicium, & de aduentu eius ad diem mortis cuiuſlibet hominis. Bonus autem videt ad exultationem, vt habemus ex verbis Apoſtoli, qui ait, vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, id eſt, ad diem mortis, quando apparebit tam bonis, quàm malis Chriſtus in cruce poſitus, & ipſe Chriſtus de Ioanne Euangeliſta ait, Sic volo eum manere, donec veniam, id eſt, in virginitate perſeuerantem, donec veniam ad obitum eius. Quatuor namque leguntur aduentus Chriſti, duo viſibiles: n humilitate ad redimendum mundum. Secundus, in maieſtate, ad iudicium. Et duo inuiſibiles, Primus in mente per gratiam. Vnde in

Ioan. 19. *1. Tim. 6.* *Ioan. 21.*

Ioan. 14. Euangelio: ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Secundus in obitu cuiuſcunque fidelis. Vnde Ioannes in *Apo.*22. Apocalypſi, Veni Domine Ieſu. Vnde legitur, quòd in die obitus ſui obuiam venit ei Chriſtus.

LIBER III.

De putredine cadauerum.

CAPVT I.

*Pſal.*145. EXibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. O quot, & quanta mortales de mundanæ prouiſionis incertitudine cogitant, ſed ſurrepente mortis articulo repentè cuncta, quæ cogitauerant, euaneſcunt. Sicut vmbra, *Pſal.*108. cùm declinat, ablati ſunt, & excuſſi ſunt, ſicut locuſtæ Exibit ergo ſpiritus eius non voluntarius, ſed inuitus: cum dolore *Iob.* 14. dimittet, quæ cum amore poſſedit, ac velit, nolit, conſtitutus eſt ei terminus, qui præteriri non potuit, in quo terra reuertetur in terram. Scriptum eſt enim: Ter- *Gene.*3. ra es, & in terram ibis. Naturale ſiquidem eſt, vt materiatum in materiam reſoluatur.

Digitized by Google

ſoluatur. Auferet ergo ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. *Pſal.* 103 Cùm autem morietur homo, hæreditabit beſtias, ſerpentes, & vermes, omnes *Eccle.* 10. *Iob* 21. enim in puluere dormient, & vermes operient eos. Sicut veſtimentum, ſic comedet *Eſaiæ* 51. eos vermis, & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea. Quaſi putredo conſumendus *Iob.* 13. ſum (ait Iob) & quaſi veſtimentum, quod *Ibid.* 17. comeditur à tinea. Putredini dixi: Pater meus es: mater mea, & ſoror mea, vermibus. *Ibidē* 25. Homo putredo, & filius hominis. Quàm turpis pater, quàm turpis mater, quàm abominabilis ſoror! Conceptus eſt enim homo de ſanguine per ardorem libidinis putrefacto: cuius tamen cadaueri quaſi funebres vermes adſiſtunt Viuus generauit pediculos, & lumbricos, mortuus generabit vermes, & muſcas. Viuus producit ſtercus, & vomitum, mortuus producit putredinem, & fœtorem. Viuus hominem vnicum impinguabit, mortuus vermes plurimos impinguabit. Quid enim fœtidius humano cadauere? quid horribilius homine mortuo? Cuius gratiſſimus erat amplexus in vita, moleſtus etiam erit aſpectus in morte. Quid ergo proſunt diuitiæ? quid epulæ? quid delitiæ? Non liberabunt à morte, non defendent à

Digitized by Google

verme: non eripient à fœtore. Qui modò ſedebat glorioſus in throno: modò iacet deſpectus in tumulo. Qui modò fulgebat ornatus in aula: modò ſordet nudus in tũba. Qui modò veſcebatur deliciis in cœnaculo: modò conſumitur à vermibus in ſepulchro.

De triſti memoria damnatorum.

CAPVT II.

Eccl. 7. Vindicta carnis impij vermis, & ignis, vterque duplex, interior, & exterior.
Eſa. vlt. Interior qui rodit, & vrit cor, exterior qui rodit, & vrit corpus. Vermis, inquit, eorum
Iudit 16. non morietur in æternum, & ignis nõ extinguetur. Dabit Dominus ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiãt vſque in ſempiternum. Vermis conſcientiæ temporaliter lacerabit, affliget memoria, turbabit pœnitentia, torquebit anguſtia. Venient enim in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates eorum dicentes,
Sap. 4. Quid profuit nobis ſuperbia, & iactantia
Ibid. 5. diuitiarum quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia, tanquam vmbra, ſicut nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, quam cùm pertranſierit, non poterit eius inueniri veſtigium. Sic & nos nati, continuè deſinimus eſſe. Virtutis quidem nullum

lum ſignum valemus oſtendere, ſed in malignitate noſtra conſumpti ſumus. Cũ ingenti turbatione recogitabunt, quæ cũ nimia delectatione geſſerunt, vt ſtimulus memoriç pungat ad pœnam, quos aculeus nequitiæ ſtimulauit ad culpam.

De inutili pœnitentia damnatorum.

CAPVT III.

DIcent intra ſe pœnitentiam agentes; Errauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non illuxit nobis. Tunc incipient dicere montibus; Cadite ſuper nos: & collibus; Cooperite nos: pœnitebunt ad pœnam, ſed non conuertentur ad veniam. Iuſtum eſt enim, vt qui noluerunt, cùm benè potuerunt; cùm velint, non poſſint. Dedit enim Dominus locum pœnitentiæ, & ipſi abuſi ſunt eo. Propterea diues, qui cruciabatur in flamma, dicebat ad Abraham, Rogo te pater, vt mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Cui cùm Abraham reſpondiſſet, Habent Moſen, & Prophetas, audiant illos: ſubiunxit; Non, pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiã agent. Agebat & ille pœ-

Sap. 5.
Luc. 23.
Apoc. 6.
Luc. 16.

nitentiam in inferno, ſed quia cognoſcebat illam inutilem, rogabat, vt annunciaretur hoc fratribus, quatenus agerent pœnitentiam in hoc ſeculo fructuoſam, quia tunc prodeſt homini pœnitere, cùm poteſt ipſe peccare.

De pœnis inferni diuerſis.

CAPVT IIII.

POenę infernales ſecũdùm diuerſa peccata ſunt. Prima pœna eſt ignis: ſecun-
Mat. 13. da. frigoris. De his dixit Dominus, Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Fletus propter ignẽ fumoſum. Stridor dentium, propter frigus. Tertius erit fœtor. De his tri-
Pſal. 10. bus dicitur in Pſalmo: Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum. Quarta vermes inde-
Eſaiæ vl. ficientes. Vnde Eſaias: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum nõ extinguetur. Quinta, ſalebræ percutientium. Vnde di-
Prou. 19. cit Salomon: Parata ſunt iudicia blaſphematoribus, & percutientes mallei ſtultorum corporibus. Sexta, tenebræ palpabi-
Iob. 10. les exteriores, & interiores. Vnde Iob, terra miſerię, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, &c Vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. In Pſalmo, Et in
Pſal. 43. æternum non videbunt lumen, & alibi, im-
1. reg. 2. pij in tenebris conticeſcent. Septima, confuſio

fuſio peccatorum: tunc enim (vt legitur) erunt libri aperti conſcientiæ hominis, & omnia erunt manifeſta. Octaua, horribilis viſio dæmonum, qui videbuntur in excuſſione ſcintillarum de igne aſcendentium. Nona, igneæ catenæ quibus impij membra conſtringentur. Prima concupiſcentium eſt Secunda, malitioſorum Tertia luxurioſorum Quarta inuidorum, & odium habentium. Quinta eorum, qui in hoc ſeculo per flagella non meruerunt caſtigari: quia tentauerunt, & exacerbauerunt Dominum in multitudine iniquitatum ſuarum. Sexta eorum, qui in tenebris ambulantes, ad lumen verum venire contẽpſerunt. Septima non confitentiũ peccata ſua, & pœnitentiam contemnentium. Octaua illorum, qui in hoc ſeculo libenter vident mala, & faciunt: Nona, illorum, qui per ſingula vitia ſunt defluxi, qui ambulant in deſiderijs, & poſt concupiſcentias ſuas.

Dan. 7.

Pſal. 9.

De ineffabili anguſtia damnatorum.

CAPVT XX.

VIdẽtes turbabuntur timore horribili, gemẽtes præ anguſtia ſpiritus, & dicẽtes, Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus

Sap. 5.

captiuitatis redimat, antè quàm de corpore exeat.

De aduentu Chriſti ad diem mortis cuiuslibet hominis.

CAPVT XLIIII.

Videt etiam tam bonus, quàm malus, antè quàm egrediatur anima de corpore, Chriſtum in cruce poſitum. Malus videt ſibi ad confuſionem, vt erubeſcat ſe non eſſe redemptum ſanguine Chriſti, ſua culpa exigente. Vnde malis dicitur in euãgelio; Videbũt in quem pupugerunt. quod intelligitur de aduentu Chriſti ad iudicium, & de aduentu eius ad diem mortis cuiuſlibet hominis. Bonus autem videt ad exultationem, vt habemus ex verbis Apoſtoli, qui ait, vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, id eſt, ad diem mortis, quando apparebit tam bonis, quàm malis Chriſtus in cruce poſitus, & ipſe Chriſtus de Ioanne Euangeliſta ait, Sic volo eum manere, donec veniam, id eſt, in virginitate perſeuerantem, donec veniam ad obitum eius. Quatuor namque leguntur aduentus Chriſti, duo viſibiles: n humilitate ad redimendum mundum. Secundus, in maieſtate, ad iudicium. Et duo inuiſibiles, Primus in mente per gratiam. Vnde in

Ioan. 19. *1. Tim. 6.* *Ioan. 21.*

Ioan. 14. Euangelio: ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Secundus in obitu cuiuſcunque fidelis. Vnde Ioannes in Apo. 22. Apocalypſi, Veni Domine Ieſu. Vnde legitur, quòd in die obitus ſui obuiam venit ei Chriſtus.

LIBER III.

De putredine cadauerum.

CAPVT I.

Pſal. 145. EXibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. O quot, & quanta mortales de mundanæ prouiſionis incertitudine cogitant, ſed ſurrepente mortis articulo repentè cuncta, quæ cogitauerant, euaneſcunt. Sicut vmbra, Pſal. 108. cùm declinat, ablati ſunt, & excuſſi ſunt, ſicut locuſtæ Exibit ergo ſpiritus eius non voluntarius, ſed inuitus: cum dolore Iob. 14. dimittet, quæ cum amore poſſedit, ac velit, nolit, conſtitutus eſt ei terminus, qui præteriri non potuit, in quo terra reuertetur in terram. Scriptum eſt enim: Terra es, & in terram ibis. Naturale ſiqui- Gene. 3. dem eſt, vt materiatum in materiam reſoluatur.

ſoluatur. Auferet ergo ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. *Pſal.* 103
Cùm autem morietur homo, hæreditabit beſtias, ſerpentes, & vermes, omnes *Eccle.* 10. *Iob* 21.
enim in puluere dormient, & vermes operient eos. Sicut veſtimentum, ſic comedet *Eſaiæ* 51.
eos vermis, & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea. Quaſi putredo conſumendus *Iob.* 13.
ſum (ait Iob) & quaſi veſtimentum, quod *Ibid.* 17.
comeditur à tinea. Putredini dixi: Pater meus es: mater mea, & ſoror mea, vermibus. *Ibidē* 25.
Homo putredo, & filius hominis. Quàm turpis pater, quàm turpis mater, quàm abominabilis ſoror! Conceptus eſt enim homo de ſanguine per ardorem libidinis putrefacto: cuius tamen cadaueri quaſi funebres vermes adſiſtunt. Viuus generauit pediculos, & lumbricos, mortuus generabit vermes, & muſcas. Viuus producit ſtercus, & vomitum, mortuus producit putredinem, & fœtorem. Viuus hominem vnicum impinguabit, mortuus vermes plurimos impinguabit. Quid enim fœtidius humano cadauere? quid horribilius homine mortuo? Cuius gratiſſimus erat amplexus in vita, moleſtus etiam erit aſpectus in morte. Quid ergo proſunt diuitiæ? quid epulæ? quid delitiæ? Non liberabunt à morte, non defendent à

by Google

verme: non eripient à fœtore: Qui modò ſedebat glorioſus in throno: modò iacet deſpectus in tumulo. Qui modò fulgebat ornatus in aula: modò ſordet nudus in tũba. Qui modò veſcebatur deliciis in cœnaculo: modò conſumitur à vermibus in ſepulchro.

De triſti memoria damnatorum.

CAPVT II.

Eccl. 7. VIndicta carnis impij vermis, & ignis, vterque duplex, interior, & exterior. *Eſa. vlt.* Interior qui rodit, & vrit cor, exterior qui rodit, & vrit corpus. Vermis, inquit, eorum *Iudit 16.* non morietur in æternum, & ignis nõ extinguetur. Dabit Dominus ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiãt vſque in ſempiternum. Vermis conſcientiæ temporaliter lacerabit, affliget memoria, turbabit pœnitentia, torquebit anguſtia. Venient enim in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates eorum dicentes, *Sap. 4.* Quid profuit nobis ſuperbia, & iactantia *Ibid. 5.* diuitiarum quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia, tanquam vmbra, ſicut nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, quam cùm pertranſierit, non poterit eius inueniri veſtigium. Sic & nos nati, continuè deſinimus eſſe. Virtutis quidem nullum

lum ſignum valemus oſtendere, ſed in malignitate noſtra conſumpti ſumus. Cũ ingenti turbatione recogitabunt, quæ cũ nimia delectatione geſſerunt, vt ſtimulus memorię pungat ad pœnam, quos aculeus nequitiæ ſtimulauit ad culpam.

De inutili pœnitentia damnatorum.

CAPVT III.

DIcent intra ſe pœnitentiam agentes; Errauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non illuxit nobis. Tunc incipient dicere montibus; Cadite ſuper nos: & collibus; Cooperite nos: pœnitebunt ad pœnam, ſed non conuertentur ad veniam. Iuſtum eſt enim, vt qui noluerunt, cùm benè potuerunt; cùm velint, non poſſint. Dedit enim Dominus locum pœnitentiæ, & ipſi abuſi ſunt eo. Propterea diues, qui cruciabatur in flamma, dicebat ad Abraham, Rogo te pater, vt mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Cui cùm Abraham reſpondiſſet, Habent Moſen, & Prophetas, audiant illos: ſubiunxit; Non, pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiã agent. Agebat & ille pœ-

Sap. 5. *Luc. 23.* *Apoc. 6.* *Luc. 16.*

nitentiam in inferno, ſed quia cognoſcebat illam inutilem, rogabat, vt annunciaretur hoc fratribus, quatenus agerent pœnitentiam in hoc ſeculo fructuoſam, quia tunc prodeſt homini pœnitere, cùm poteſt ipſe peccare.

De poenis inferni diuerſis.

CAPVT IIII.

POenę infernales ſecũdùm diuerſa peccata ſunt. Prima pœna eſt ignis: ſecunda. frigoris. De his dixit Dominus, Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Fletus propter ignẽ fumoſum. Stridor dentium, propter frigus. Tertius erit fœtor. De his tribus dicitur in Pſalmo: Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum. Quarta vermes indeficientes. Vnde Eſaias: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum nõ extinguetur. Quinta, ſalebræ percutientium. Vnde dicit Salomon: Parata ſunt iudicia blaſphematoribus, & percutientes mallei ſtultorum corporibus. Sexta, tenebræ palpabiles exteriores, & interiores. Vnde Iob, terra miſerię, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, &c. Vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. In Pſalmo, Et in æternum non videbunt lumen, & alibi, impij in tenebris conticeſcent. Septima, confuſio

Mat. 13. — *Pſal.* 10. — *Eſaiæ vl.* — *Prou.* 19. — *Iob.* 10. — *Pſal.* 48. — 1. *reg.* 2.

Digitized by Google

fuſio peccatorum: tunc enim (vt legitur) *Dan. 7.*
erunt libri aperti conſcientiæ hominis, & omnia erunt manifeſta. Octaua, horribilis viſio dæmonum, qui videbuntur in excuſſione ſcintillarum de igne aſcendentium. Nona, igneæ catenæ quibus impij membra conſtringentur. Prima concupiſcentium eſt. Secunda, malitioſorum. Tertia luxurioſorum. Quarta inuidorum, & odium habentium. Quinta eorum, qui in hoc ſeculo per flagella non meruerunt ca- *Pſal. 9.*
ſtigari: quia tentauerunt, & exacerbauerunt Dominum in multitudine iniquitatum ſuarum. Sexta eorum, qui in tenebris ambulantes, ad lumen verum venire contẽpſerunt. Septima non confitentiũ peccata ſua, & pœnitentiam contemnentium. Octaua illorum, qui in hoc ſeculo libenter vident mala, & faciunt: Nona, illorum, qui per ſingula vitia ſunt defluxi, qui ambulant in deſiderijs, & poſt concupiſcentias ſuas.

De ineffabili anguſtia damnatorum.

CAPVT XX.

VIdẽtes turbabuntur timore horribili, gemẽtes præ anguſtia ſpiritus, & dicẽtes, Hi ſunt, quos aliquando habuimus *Sap. 5.*
in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus

bamus inſaniam, & finem eorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Supplicium erit malorum, intueri gloriam beatorum, licet fortè poſt finem iudicij, beati quidem viſuri ſunt reprobos in tor-
Pſal. 57. mentis ſecundùm illud: Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam peccatorũ. Reprobi verò nõ ſunt viſuri beatos in gloria, ſe-
Eſaiæ 26. cundùm illud: Tollatur impius, ne videat gloriã Dei. Talia dicent in inferno pecca-
Sap. 5. tores, quoniam ſpes impij, eſt tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquã ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus à vento diffuſus, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei.

De igne gehennali.

CAPVT VI.

Eze. 20. IGnis gehennæ nec lignis nutritur, nec flatu ſuccenditur, ſed à Deo creatus eſt inextinguibilis ab origine mundi. Scri-
Iob. 20. ptum eſt enim, Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur. Creditur autem eſſe ſub terris, ſecundùm illud Iſaiæ, Infernus ſub
Eſa. 14. terra conturbatus in occurſum aduentus tui. Sed & omnis locus reprobus eſt pœnalis, qui ſemper cruciatum & vbique cõ-
Eze. 28. tra ſe tormentum deferunt. Producam (inquit)

quit) ignem de medio tui, qui comedet te. Ignis autem gehennæ, ſemper ardebit, & nũquam lucebit ſemper afficiet, & nunquàm conſumet, ſemper afficiet, & nunquam deficiet. Eſt enim apud inferos ſumma tenebrarum obſcuritas, immenſa pœnarum acerbitas, infinita miſeriarum æternitas. Ligatis (inquit) pedibus, & manibus mittite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentium. Singula membra pro ſuis peccatis propria ſuſtinebunt tormenta, vt in eo puniantur, in quo peccauerunt: Scriptum eſt enim, Per quæ peccat homo, per hæc & torquebitur. Vnde qui in lingua peccauerat, cruciabatur in lingua. Propter quod ipſe clamabat, Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Per digitũ intelligitur operatio. Digitis enim operamur. quaſi dicat, ſi minimum opus Lazari habérem, minorem pœnam ſentirem.

Matt. 22

Sap. 11.

Luc. 16.

De tenebris inferni.

CAPVT VII.

REprobi verò non ſolùm exterioribus, ſed & interioribus tenebris inuoluẽtur, quia ſpirituali pariter, & corporali

Eſa.26. rali luce carebũt. Scriptum eſt enim, Tolletur impius, ne videat gloriam Dei, qui ſolus tunc erit in lucem ſempiternã. Tantam autem in pœnis reprobi tolerabunt *Ibid. 60.* anguſtiam, vt vix aliquid cogitare valeant, præter pœnas: ſed illuc deiicient impetum cogitationis, vbi ſentient vim doloris. Sanè, diſcipulus quidam fertur apparuiſſe magiſtro ſuo poſt mortem. Quem cùm magiſter eſſe damnãtũ intellexiſſet, quæſiuit ad eo, ſi aliquæ quæſtiones apud inferos verterentur. Qui dicitur reſpondiſſe, quòd apud inferos quidem ſolummodò non ſit niſi pœna. Sed & Salomon ait *Eccle.9.* Nec opus, nec ratio eſt apud inferos, nec ſcientia, nec ſapientia, quo tu properas. Erint enim tanta in reprobis obliuio, tanta cæcitas animi, tanta confuſio rationis, vt rarò, vel nunquam ad cogitandum quicquam de Deo poſſint adſurgere, nec ad confitendum valeant reſpirare. Nam à mortuo, tanquam ab eo, qui non eſt, periit *Pſa. 113.* confeſſio. Scriptum eſt enim, Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum.

Eſaie 38. Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.

De

De confeſſione pœnarum.

CAPVT VIII.

DImitte me (dicit Iob) vt plangam paululùm dolorẽ meum, antè quàm vadã ad terram tenebroſam, & opertã mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum: vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Ordo quidem erit in quantitate pœnarum: quoniam in qua menſura mẽſi fueritis, remetietur vobis, vt qui grauiùs peccarunt, grauiùs puniantur. Potentes enim potenter tormenta patientur. Sed ordo non erit in qualitate rerum: quia de aquis niuium tranſibunt ad calorem nimiũ, vt ſubita contrariorũ mutatio grauiorem inferat cruciatum. Experimento cognoui, quòd aduſtus, ſi frigidum ſtatim adhibeat, ardentiorem ſentiet cruciatum.

Iob. 10.

Lucæ 6.

Sapien. 6.

Iob. 24.

De indeficientia tormentorum.

CAPVT. IX.

SIcut oues in inferno poſiti ſunt, & mors depaſcet eos: ductum eſt hoc à ſimilitudine iumentorum, quæ non radicitus euellunt herbas: ſed ſummitatem ſolummodo carpunt: vt iterum herbæ renaſcan

Pſal. 48.

naſcantur ad paſtum. Sic & impij quaſi de morte paſti, reuiuiſcent ad mortem, vt æternaliter moriantur. Ouidius.

Sic inconſumptum Tityi ſemperque renaſcens,
Sic perit, vt poßit ſæpè perire iecur.

Tunc erit moris immortalis, tunc viuent mortui, qui vitæ ſunt mortui. Quærent mortem, & non inuenient: quia vitam habuerunt, & perdiderunt. Audi Ioannem
Apoc. 9. in Apocalypſi dicentem, In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: deſiderabunt mori, & fugiet mors ab illis. O mors, quàm dulcis eſſes, quibus tam amara fuiſti! Te ſolam deſideranter optabunt, qui te ſolam vehementer abhorruerunt.

Quòd reprobi nunquam liberabuntur à pœnis.

CAPVT X.

Pſa. 102. Pſal. 104 NVllus ergo ſibi blandiatur, & dicat, quia Deus non in finem iraſcetur, neque in æternum indignabitur, ſed miſerationes eius ſuper omnia opera eius Quia, cùm iratus eſt, non obliuiſcetur miſereri, nec quicquam eorũ, quæ fecit Deus,
Sapi. 11. odit. Adſumens in argumentum erroris,
Eſaiæ 24. quod ait Dominus per prophetam: Congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcerem,

rem, & poſt multos dies viſitabuntur. Homo namque peccauit ad tempus: non ergo Deus puniet in ęternum. O ſpes inanis, ô falſa præſumptio, non credat fruſtrà errore deceptus quòd aliquo pretio ſit redimendus, quoniam in inferno nulla eſt redemptio. Congregabuntur ergo peccatores in lacum, & claudentur in carcerem. Sed in inferno, in quo ſine corpóribus vſque in diem iudicij torquebitur, & poſt multos dies, poſtquàm videlicet reſurrexerint cum corporibus in nouiſſimo die, viſitabũtur nõ ad ſalutem, ſed ad vindictã: quia poſt diem iudicij grauiùs punientur. Sed alibi dicitur, Viſitabo in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorũ. *Pſal.* 88. Prædeſtinatis ergo Deus iraſcitur temporaliter, quia flagellat omnem Deus filium quem dilegit, de quibus illud accipitur Non in finem iraſcitur. Reprobis autem Deus iraſcitur æternaliter, quia iuſtum *Heb.* 12. eſt, vt quod impius in ſuo præuaricatur *Pſa.* 102. æterno, Deus vlciſcatur in ſuo æterno. Nam licet peccandi facultas illum dimittat, ipſe tamen non dimittit voluntatem peccandi. Scriptum eſt enim, Superbia *Pſal.* 73. eorum, qui oderunt, aſcendit ſemper. Non humiliabuntur reprobi iam deſperati de venia, ſed malignitas odij tantum in illis

excreſcet: vt velint illum omnino non eſſe, per quem ſciunt ſe tam infeliciter eſſe. Maledicent altiſſimo, & blaſphemabunt Excelſum, conquerentes eum eſſe malignum, quòd creauit illos ad pœnam & nunquam inclinatur ad veniam. Audi Io-
Apo.16. annem in Apocalypſi dicentem: Grando magna deſcendit de cœlo in homines, & blaſphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer. Voluntas ergo damnati, licet amiſerit poteſtatis effectum, ſemper tamen habebit malignitatis affectum, & ipſa erit in inferno ſupplicium, quæ fuerat in mundo peccatum: licet forſan, & ibi peccatum ſit, ſed non meritum pœnæ. Impius ergo, quia ſemper habebit in ſe reatum ex culpa, ſentiet contra ſe cruciatum ex pœna, Quod enim ipſe per pœnitentiam non deleuit, Deus per indulgentiam non remittit. Ad magnam ergo pertinet iuſtitiam iudicantis, vt nunquam careant gehennæ ſupplicio, qui nunquam caruerunt in vita peccato. Voluiſſent vtique, ſi potuiſſent, ſine fine viuere, vt potuiſſent ſine fine peccare. Oſtendunt enim, quòd in peccato ſemper viuere cupiunt, qui nunquam deſinuut peccare, dum viuunt.

Teſti

Teſtimonia de ſupplicijs æternalibus.

CAPVT XI.

QVis (inquit Eſaias) poterit habitare de vobis cum ardoribus ſempiternis? Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die, & nocte non extinguetur, ſed aſcendet fumus eius in perpetuum. Hieremias: Dabo vos in opprobriũ ſempiternum, & ignominiam æternã, quæ nũquam obliuione delebitur. Daniel: Qui dormierunt in puluere terræ euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper. Salomon: Mortuo homine impio, nulla ſpes erit de eo. Huic exemplo veniet perditio ſua, & ſubitò cõteretur, nec habebit vltrà medicinã. Ioannes apoſtolus: Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne, & ſulphure, & fumus tormentorum aſcendet in ſecula ſeculorum, nec habebit requiem die, ac nocte, qui adorauerit beſtiam & imaginem eius. Confirmat hæc veritas, quæ damnatos in iudicio ſententialiter reprobabit, dũm dicet: Ite maledicti in ignẽ æternum, qui pręparatus eſt diabolo, & angelis eius. Si ſecundùm diuinum iudicium, in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum, quantò magis in ore tot, & tantorum

Eſaiæ 33 & 65.
Hier. 25.
Dan. 12.
Prou. 6.
Apoc. 4.
Mat. 25.
Deut. 19

Digitized by Google

virorum de propoſita veritate conſtabit.

De die iudicij.

CAPVT XII.

Eſaia 13. ECce ergo dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, & furoris, ad ponendã terrã in ſolitudinẽ, & peccatores eius conterendos de ea, quoniã ſtellæ cœli, & ſplendor earũ non expandẽt lumen ſuum: obtenebratus erit ſol in ortu ſuo, & luna non reſplendebit in lumine ſuo Et viſitabo ſuper orbem mala, & cõtra impios iniquitatẽ eorum, & requieſcere faciã ſuperbiã infideliũ, & arrogantiã fortiũ humiliabo. Propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis tabeſcet, & conteretur. Torſiones & dolores tenebũt, quaſi parturiẽtes dolebunt, vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, facies

Soph. 1. cõbuſtæ vultus eorum. Dies iræ dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies calamitatis, & miſeriæ, dies tenebrarũ, & caliginis, dies tubæ & clangoris, quia cõſummationẽ cum feſtinatione faciet Dominus cunctis habitantibus terrã. Et ſuperueniet repẽtina dies illa, tanquam laqueus, in omnes, qui ſedent ſuper faciem orbis terræ.

Luc. 21. Quoniã ſicut fulgur exit ab oriente, & pa-
Mat. 24. ret vſque in occidentem, ita erit aduentus
1. *The.* 5. filij hominis. Dies enim Domini, ſicut fur

fur ita in nocte veniet. Cùm dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient.

De præcedenti tribulatione.

CAPVT XIII.

PRæcedet autẽ tribulatio magna, qualis nunquàm fuit ab initio mundi, vſque modò, neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro. Surget enim gens contra gentẽ & regnum *Mat. 24.* aduerſus regnũ, & terræ motus erunt magni per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroréſque de cælo, & ſigna magna erunt. *Luc. 21.* Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentiũ præ cõfuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperueniet vniuerſo orbi: ſurgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita vt in errorem deducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Apoſtolus, Tunc reuelabitur homo peccati, *2. The. 2.* filius perditionis, quia aduerſatur & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus: aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, Mittetur autem Helias propheta priùs,

Mala. 4. quàm veniet dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet corda patrum ad filios, & cor filiorum ad parentes Cum quo ve-
Apo. 11. niet & Enoch, & prophetabunt mille ducentis ſexaginta diebus, amicti ſaccis. Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendet de abyſſo, faciet aduerſus illos bellum, & vincet illos, & occidet, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter, Sodoma, & Ægyptus, vbi Dominus noſter crucifixus eſt. Et poſt tres dies & dimidium ſpiritus vitæ intrabit in eos.

De ſignis præcedentibus.

CAPVT XIIII.

STatim autem poſt tribulationem dierum illorum, Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur, & tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo. Et tunc plangent ſuper ſe om-
Apoc. 4. nes tribus terræ. Ioannes in Apocalyſi, Reges terræ, & principes, tribuni & diuites, & fortes, & omnis ſeruus & liber abſcondent ſe in ſpeluncis, & in petris montium, & dicent montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ipſorum. Et quis

quis poterit ſtare? Et mittet angelos ſuos *Mat.* 24.
cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, & ſummis cœlorum, vſque ad terminos eorum. Apoſtolus ad Theſſalonicenſes: 1. *The.* 4.
Tunc ipſe Dominus in iuſſu & voce Ar- *Ioan.* 5.
changeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo. Et omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent boni in reſurrectionem vitæ: mali verò in reſurrectionem iudicij. Mors & infernus *Apo.* 20.
dabunt mortuos ſuos, qui in ipſis erunt *Ibidem* 1.
Ecce veniet in nubibus, & videbit omnis oculus, & qui in eum pupugerunt, & plangent omnes tribus terræ, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.
Veniet autem Dominus ad vindictam, *L c.* 21.
non ſolùm cum Apoſtolis, ſed & cum ſenioribus populi ſui. Vnde ait Salomon: *Prou.* 31.
Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Sedebunt enim *Mat.* 19.
& ipſi ſuper ſedes duodecim tribus Iſraël.
Aſpiciebam, inquit Daniel, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius, quaſi lana munda. Thronus eius, flammæ ignis, rotæ eius ignis accenſus, fluuius igneus *Dan.* 7.

Digitized by Google

rapidúsque egrediebatur à facie eius: Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia adſiſtebant ei. Pſal. Deus no-
Pſal. 49. ſter manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida. Aduocauit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. Tunc congregabuntur
Matt. 25. ante eum omnes gentes, & ſeparabit eas ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris.

De potentia, & ſapientia & iuſtitia iudicis.

CAPVT XV.

O Quantus tunc erit tremor, & timor
Iob. 26. quantus erit fletus, & gemitus. Nam ſi columnæ cœli cõtremiſcent, & pauebunt
Eſa. 33. aduentum eius, & angeli pacis amarè flebunt, peccatores quid facient? ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius, & peccatores vbi apparebunt? Propterea clamat Propheta: Ne
Pſa. 142. intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domi-
Pſa. 129. ne, quia non iuſtificabitur in conſpectu
Iob. 9. tuo omnis viuens. Si iniquitates obſeruaueris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Quis enim nõ timeat iudicẽ potentiſſimũ, ſapiẽtiſſimũ, iuſtiſſimũ. Potentiſſimum, quẽ nemo

nemo poteſt effugere : ſapientiſſimum,
quem nemo poteſt latere : iuſtiſſimum,
quem nemo poteſt corrumpere. Si fortitu- *Pſal.* 12.
do quæritur, robuſtiſſimus eſt, ſapiẽs cor- *&* 148.
de, & fortis robore. Si æquitas iudicij, ne *Baru.* 3.
mo audebit pro me teſtimonium reddere. *Pſal.* 32.
Si iuſtificare me voluero, os meũ conde- *&* 148.
mnabit me. Si innocentem oſtendero, pra- *Rom.* 9.
uum me comprobabit, etiam ſi ſimplex *Ibid.* 14.
fuero. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe man- *Luc.* 1.
dauit, & creata ſunt. Qui vocat ſtellas, & *Philip.* 2.
dicunt: Adſumus. Qui facit angelos ſuos
ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.
Cuius voluntati nihil omnino reſiſtit. Cui
nullum verbum eſt impoſſibile. cui flecti-
tur omne genu, cœleſtium, terreſtrium,
& infernorum. Hunc ergo poteſt fugere
nemo, ſicut dicit Propheta : Si aſcendero *Pſal.* 138.
in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero ad in-
fernum, ades. Ipſe ſcruatur renes & cor-
da, cuius oculis omnia nuda ſunt, & aper-
ta. Qui pluuiæ guttas, & arenam maris di- *Hier.* 17.
numerat, Deus ſcientiarum, dominus præ- *Heb.* 4.
ſcius omnium, & conſcius ſingulorũ, oc- *Eccle.* 11.
cultorum omnium indagator. Hunc nemo
poteſt latere, ſicut dicit Apoſto. Nõ eſt vlla *Hebr.* 4.
creatura inuiſibilis in conſpectu eius, ipſe *Pſal.* 7.
eſt iudex iuſtus, fortis & longanimis, qui
nec prece, nec pretio, nec liuore, nec

Digitized by Google

odio declinat à ſemita rectitudinis: ſed via regia ſemper incedens nullum malum præterit impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquit. Hunc ergo nemo poteſt corrumpere: iuxta quod dicit Pſal-
Pſal. 61. miſta: Reddes ſingulis ſecundùm opera eorum.

De diuino iudicio.

CAPVT XVI.

Mat. 25. QVis autem non timeat illud examen, in quo idem erit & accuſator, & aduocatus & iudex? Accuſabit enim dum dicet: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: Sitiui, & non dediſtis mihi bibere. Aduocabit, cùm ſubdet: Quandiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Iudicabit, cùm inferet: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Non erunt teſtes in illo iudicio neceſſa-
1. Cor. 4. rij: quia tunc manifeſta erunt abſcondi-
Mat. 10. ta tenebrarum. Nihil enim occultum,
Dan. 7. quod non reuelabitur. Tunc erunt libri
Apo. 14. conſcientiarum aperti, tunc iudicabuntur mortui ex his, quæ ſcripta ſunt in libro. Opera enim ipſorum ſequuntur illos. Quantus erit pudor in peccatoribus? quanta confuſio erit, cùm eorum

rum nefandiſſima crimina cunctis erunt liquida, & manifeſta? Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Ab illa enim ſententia nunquam poterit prouocari: Quia pater omne iudicium dedit filio. qui claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Os enim Domini locutum eſt.

Pſal. 31.
Iob. 5.
Apoc. 3.

Quòd nihil proderit damnatis.

CAPVT XVII.

TVnc non proderunt opes, non defendent honores, non ſuffragabuntur amici. Scriptum eſt enim, Argentum, & aurum eorum non valebit eos liberare in die furoris Domini. Flebunt, & plangent omnes reges terræ, cùm viderint fumum incendij propter timorem tormentorum eorum. Quid ergo facietis in die furoris Domini, in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis? ad cuius fugietis auxilium? vnuſquiſque onus ſuum portabit: Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. O diſtrictum iudicium, in quo non ſolùm factis, ſed & de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddituri ſunt rationem in

Ezec. 7.
Apoc. 8.
Galat. 6.
Ezec. 18.
Mat. 12.
Ibid 18.
Luc. 3.

die iudicij : in quo vſque ad nouiſſimum quadrantem exigetur debitũ cum vſuris. Quis ergo fugere poterit à ventura ira? Mittet ergo filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & alligabunt faſciculos ad comburendum, & mittent eos in caminum ignis ardentis. Vbi erit fletus, & ſtridor dentium, gemitus, & vlulatus, luctus, & cruciatus, & ſtridor, & clamor, timor, & tremor, dolor, & labor, ardor, & fœtor, obſcuritas, & anxietas, acerbitas, calamitas, & egeſtas anguſtia, & triſtitia, obliuio, & confuſio, torſiones, & punctiones, amaritudines, & terrores, fames & ſitis, frigus, & cauma, ſulphur, & ignis ardens in ſecula ſeculorum, Amen.

Finis libri tertij de contemptu mundi.

Digitized by Google

ADMONITIO BEATI AVGVSTINI EPIſcopi de ebrietate cauenda.

LICET propitio Chriſto, fratres chariſſimi, credam vos ebrietatis malum velut inferni foueam expaueſcere, & non ſolùm ipſi non velitis ampliùs bibere, ſed nec alios vel cogere plus quàm oportet, æqui accipietis tamen & boni, hoc meum conſilium: quia non poteſt fieri, quin ſint aliqui negligentes, qui ſobrij eſſe non valent. Vos, qui ſemper conuiuia ſobria exhibetis, nolite ad veſtram iniuriam reuocare, quia nobis neceſſe eſt aliquando ebrioſos arguere. Cùm enim, fratres chariſſimi, ebrietatis malum ſit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuerſum mundum à pluribus in conſuetudinem miſſum eſt, vt ab illis, qui Dei præcepta cognoſcere nolunt, iam non putetur nec credatur eſſe peccatum infandum, ita vt in conuiuijs ſuis irrideant eos, qui minus bibere poſſunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubeſ-

erubeſcunt, vt potum ampliùs, quàm oportet, accipiant. Qui enim alterum cogit, vt ſe ſæpiùs bibendo inebriet, minùs malum ei erat, ſi carnem eius gladio vulneraret, quàm ſi animam eius per ebrietatem occideret. Et quia corpora noſtra terrena ſunt, quomodo pluuia nimium grādis, & diuturna ſi fuerit, terra infunditur, & in lutum reſoluitur, vt in ea nulla cultura fieri poſſit: ſic & caro noſtra quando fuerit inebriata, nec ſpiritalem cultum accipere, nec panes animę neceſſarios poterit exhibere. Et ideò quemadmodū omnes homines ſufficientem pluuiam in agris ſuis accipere deſiderant, vt & culturam valeant exercere, & de fructuum vbertate gaudere, ita in hoc agro tantùm deberent bibere, quantum oportet, ne per nimiam ebrietatem ipſa corporis terra, velut in paludem conuerſa, magis vermes, & ſerpentes vitiorū generare, quàm fructus bonorum operum poſſit adferre. Omnes ebrioſi tales ſunt, quales plaudes, eſſe videntur. Quod enim in plaudibus naſcitur, non ignorat charitas veſtra. Totum, quod ibi naſcitur, fructum non habere cognoſcitur. Naſcuntur ibi ſerpentes, & diuerſa verminum genera, quæ magis horrorem poſſunt generare, quàm

victum.

victum. Tales ſunt ebrioſi ad nullam vtilitatem apti: quia frequenter in ipſa ebrietate nec ſeipſos, nec alios recognoſcunt, nec ambulare, nec ſtare, aut dicere aliquid, quod ad rationem pertinet, non poſſunt. Frequenter etiam vſque ad vomitum ſe ingurgitare non erubeſcunt, & ad menſuras, ſine menſura bibere. Qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. Sed qui tales eſſe volunt, mirabiliter ſe excuſare conantur, dicentes: Ingratum habeo amicum meum, ſi quoties illum ad conuiuium reuocauero, potum ei, quantum voluerit, ipſe non dedero. Sed non ſit amicus tibi, qui te vult facere inimicum: qui tuus & ſuus eſt inimicus. Si te & alium inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis verò Deum inimicum. Sed iam conſidera ſapienter, ſi iuſtum ſit, vt à Deo te ſepares, dum te ebrioſo coniungis. Ad extremum tu illum noli adiurare, noli cogere: ſed in poteſtate illius dimitte, vt quantum ſibi placuerit, bibat, vt ſi inebriari voluerit, ſolus pereat, & non ambo pereatis. Conſiderent incontinentes & prodigi, num ſint peiores animalibus iudicandi. Cùm enim animalia ampliùs, quàm opus illis eſt, bibere nolint: illi, & duplum & quadruplum

ſupra

ſuprà quàm illis oportet, accipiunt: & vnde trium, aut quatuor dierum potuerunt rationabilem refectionem habere, vno die cum grandi peccato contendunt perdere potiùs quàm expendere. Atque vtinam potum tantummodo perderent, & non etiam ipſi perirent. Si quando iſta ſuggerimus, fortè iraſcuntur ebrioſi contra nos, & murmurant. Et quamuis nõ deſint qui iraſcuntur, Deo tamen propitio multi erunt, qui libenter ſalubre conſilium audientes, de iſto tam graui peccato liberabuntur: ipſi tamen, qui cõtra coalumnã, & amicam ſuam ebrietatem loquentibus iraſcuntur, libera à nobis voce audiant: quia quicuuque ebrioſus pœnitentiam de ipſo non egerit, ſed vſque ad mortem in ebrietate ſua permanſerit, in æternum profectò peribit, quia non mentitur ſpiritus ſanctus per Apoſtolum dicens: Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt. Et ideò quicunque ſunt ebrioſi, meliùs facient, vt non nobis, ſed ſibi iraſcantur, & cum Dei adiutorio de luto fęcis ſe excutiant: vel de cœno ebrietatis, cùm adhuc pœnitendi locus eſt, feſtinent, quanta poſſunt celeritate, Deo auxiliante, conſurgere. Ebrietas enim quaſi infernus, quoſcunque ſubegerit, niſi digna ſubuenerit pœnitentia, &

emen

emendatio fuerit ſubſequuta, ita fortiter ſibi vendicat, vt eos de ipſo tenebroſo inferni puteo, ad charitatis, vel ſobrietatis lucem redire penitus non permittat. Ergo, fratres, dum hæc ſuggero, abſoluo me apud Deum. Quicunque me audire contempſerit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio ſuo alios adiurare, vel cogere voluerit, & pro ſe, vel pro aliis reus erit in die iudicij, & quod peius eſt, etiam aliqui clerici, qui hoc deberent prohibere, ipſi cogunt aliquos plus bibere, quàm expedit. A modò incipiant ſeipſos corrigere, & alios caſtigare, vt, cùm ante tribunal Chriſti venerint, nec de aliorum ebrietate incurrant ſupplicium: ſed magis dum ipſi ſe emendant, & alios caſtigare non ceſſant, peruenire ad æternum præmium mereantur. Et illud antè omnia rogo, & per tremẽdum diem iudicij vos adiuro, vt quotieſcunque vobis inuicem conuiuia exhibetis, illam fœdam conſuetudinem, per quam grandi menſura, ſine menſura tres homines, aut nolentes, aut inuitè ſolebant bibere, tanquam venenum diaboli, de veſtris conuiuiis reſpuatis: quia infelix illa conſuetudo adhuc de Paganorum obſeruatione remãſit, & quicunque hoc in ſuo conuiuio aut alieno

fieri acquieuit, diabolo ſe ſacrificaſſe non dubitet Ex qua bibitione non ſolum anima occiditur, ſed etiam corpus debilitatur. Sed rogo Dei miſericordiam, vt gratiam illã vobis inſpirare dignetur, vt tam lugendum & erubeſcendum malum ita vobis in horrorem veniat, vt illud nunquam fieri permittatis: ſed quod multa ebrietate periturum erat, in pauperum refectionẽ proſiciat. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

*

FINIS.

D. DIONY

D. DIONYSII CARTHVSIANI,

De perfecto mundi contem-ptu opuſculum.

Contenta hoc opuſculo.

I. *Liber de arcta via ſalutis, & contemptu mundi.*
II. *Speculum amatorum mundi.*
III. *Liber de grauitate & enormitate peccati.*
IIII. *Liber de conuerſione peccatoris.*
V. *Liber de fonte lucis, & ſemitis vitæ.*
VI. *Liber, deuotum præcordiale prænotatus.*
VII. *Dialogus patroni ad canonicum.*

INDEX ARTICVLORVM SEV CAPITVM VII. *opuſculorum ſequentis heptalogi.*

De arcta via ſalutis, & Mundi contemptu, habet *Articulos* XXXVI.

PRoœmium : Indicabo tibi, ô homo quid ſit bonum.
Quã diligenter ſint audienda verba Dei. 1.
De duplici hominum via. 2.
De triplici genere viatorum. 3.
De arcta via ſalutis, & lata via perditionis. 4.
Increpatio ingnauiæ, negligentiæ, atque acediæ noſtræ. 5.
Introductio ſcripturarum, ex quibus elucefcit, quàm arcta ſit via ſalutis. 6.
Quomodo non obſtante, quòd arcta ſit via ſalutis, nihilominus iugum Chriſti ſuaue eſt. & onus eius leue. 7.
Quid ſit cõtemnere, relinquere & non diligere mundum, & quid in tali loquutione nomine mundi deſignetur. 8.
De triplici motiuo contemptu mundi in generali. 9.

Quòd

Quòd propter bonitatem Dei, & eius amorem induci deboat homo, ad mundi contemptum. 10.
Inductio ad contemptum mundi, ex zelo honoris diuini. 11.
Quòd cõſideratio beneficiorum Dei, præſertim paſſionis Chriſti, ad mundi contemptum nos debet inducere. 12.
Incitatio ad mundi contemptum, ex conſideratione promiſſorum Dei. 13.
Prouocatio ad mundi contemptum, ex eo quòd ipſemet Chriſtus, verus homo & Deus perfectus, in propria perſona hoc ipſum conſuluit. 14.
De mundi cõtemptu exemplo Chriſti. 15.
De his, quæ nos ad mundi contemptum inducere debent ex parte noſtri. Et primo quòd conſideratio periculorum noſtrorum ad hoc inducit. 16.
Quòd cõtẽnendus eſt mũdus propter difficultatem conſequendi ſalutem in eo. 17.
Excitatio ad mundi cõtẽptũ ex conſideratione profectus inde naſcẽtis, & ex deſiderio veræ ac diuinæ perfectionis. 18.
Quòd quatuor nouiſſimorum intenta cõſideratio ad mundi contemptum eminenter inducit. 19.
Quòd ad cõtẽptũ mũdi potiſſimùm nos inducere debet gloria beatorum. 20.

Quòd inquietudo, labor, & afflictio mundi amorē concomitãtes, ad mundi contemptum meritò inducere debent. 21.
Quòd diſpendium ſpiritualis profectus, ſeu amiſſio temporis ex mundi amore prouenìens, ad deſpectum mundi inducere debet. 22.
De contemptu mundi, & temporalium ex conſideratione vanitatis & mutabilitatis & fugacitatis, ſeu breuitatis eorum, præſentiſque vitæ. 23.
Quòd contemnendus eſt mundus, & ea quæ mundi ſunt, propter eorum malitiam, & continuam læſionem, quam ſuis amatoribus ingerit. 24.
De nobilitate deiformis animæ ſanctæ, Deum feruenter amantis, & inæſtimabili vilitate animæ induratæ, ſeu peccatricis. 25.
De quibuſdam mundi vanitatibus euitandis, videlicet riſu, ludis, iocis, choreis, aleis, & verbis inanibus. 26.
Contra ſuperfluitatem diuitiarum, & quare ſuperfluitas iſta ſit in culpa, præſertim in clericis. 27.
Quòd nihil periculoſius quàm in hoc ſeculo temporaliter proſperari, nec à Deo paternè caſtigari. 28.
Quòd nō vitet peccata mortalia, qui non curat

curat ſolicitè vitare venialia. Et de amico fideli, ac familiari habendo, qui timoratus ſit. 29.
De modo orandi, & pſallendi, horiſq; canonicis perſoluendis. 30.
De vanitate mundi, & exēplari inductione ad hoc ſecundum Hugonem. 31.
De clericis, ex dictis ſancti Bernardi. 32.
De contēptu mundi ſecundū philoſop. 33.
De vita ſolitaria. 34.
De honeſta cōuerſatione clericorum. 35.
De vanitate mundi, vitæq; præſentis breuitate ex verbis B. Auguſtini. 36.

Speculum amatorum mundi vnico abſoluitur articulo. At, ne loco appendicis libro præcedenti annectitur.

De grauitate & enormitate peccati, habet Articulos XXII.

DEus ſolus eſt, & cogitationem eius nemo auertere poteſt. Prooemium.
Quod ſola peccata conſtituunt rationabilem creaturam Deo diſplicentem, aſpernabilem, atque odibilem. 1.
Quòd tota moralis ſacræ ſcripturæ doctrina ad peccati deuitationem quodam modo ordinatur. 2.
Quod grauitas, enormitáſq; peccati pen-

ſatur, ex ſex in generali loquendo. 3.
Quid ſit peccatum. 4.
De enormitate peccati ex parte bonitatis diuinæ, cui peccator peccando præfert bonum caducum, atque mutabile. 5.
De enormitate peccati ex parte maieſtatis, & auctoritatis diuinæ, quæ in peccato inhonoratur. 6.
De enormitate peccati ex parte ſanctitatis, atque iuſtitiæ mentis diuinæ. 7.
De enormitate peccati ex conſideratione charitatis diuinæ, qua Deus præuenit, prę dilexitq; nos. 8.
De enormitate peccati ex parte beneficiorum Dei. 9.
De enormitate peccati ratione diuinæ præſentiæ omnia intuentis. 10.
De enormitate peccati ex parte peccãtis. 11.
De enormitate peccati, ex parte materiæ circa quam, ſeu obiecti. 12.
De enormitate peccati ex parte circunſtantiarum ac finis. 13.
De fugibilitate, odibilitate, & deformitate peccati. 14.
Contra eos, qui amplius timent, vitant, & odiunt malum pœnæ, quàm malum culpæ. 15.
Quomodo diuerſi diuerſis ex cauſis, atque motiuis vitant peccata. 16.

Quòd

Quòd peccati enormitatem in hac vita plenè comprehendere non valemus. 17.
De diuerſis effectibus, ac nocumentis peccati. 18.
De nocumẽtis & effectib pcti venialis. 19.
De infinita miſericordia. 20.
De his, ex quorum conſideratione peccata efficaciùs euitantur. 21.
Quomodo habere ſe debet, qui ad perfectionem cupit pertingere. 22.

De conuerſione peccatoris Dialogus, habet Articulos XI.

COnuertere ad Dominum Deum tuũ. Procœmium.
Captatio beneuolentiæ peccatoris. 1.
Quàm periculoſum, impium, & damnoſum ſit pœnitentiam vſque ad tempus ægritudinis, aut ſenectutis differre. 2.
Declaratio per ſcripturarum teſtimonia, & exempla, ꝙ pauciſſimi verè in fine vitæ pœniteãt, qui antea ſceleratè vixerũt. 3.
Commemoratiõ horum, quæ ad turpium, ac prauarum delectationum, deteſtationem, ac fugam inducunt. 4.
Quàm enorme crimen ſit adulterium, & qualiter intelligendum ſit, quòd aliqui ſancti in veteri teſtamento, ac lege naturæ leguntur concubinas habuiſſe. 5.
De multis remediis contra vitia carnis. 6.

Exhortatio ad cupiditatem vitandam. 7.
Quòd ad veraciter Chriſtianum pertinet gloriam & honorem mundi, laudes humanas, promotionem ad præſidendum aſpernari, ac fugere. 8.
De his, quæ ad horrorem, & fugam peccati inducũt, & de enormitate, ac grauitate peccati, de ſtultitiis quoque peccantium, & de effectibus vitiorum. 9.
Exhortatio, confortatio, & conſolatio ad aggrediendum viriliter & iucundè viam ſalutis, pœnitentiam ſalutarem, conuerſionem perſeuerantem. 10.
Qualiter pœnitens, & conuerti volens, debeat inchoare, proſequi, & complere. 11.

De fonte lucis & ſemitis vitæ, habet Articulos XXV.

QVis ſapiens, & intelliget iſta? Proœ.
De multiplici via, de qua ſacra ait ſcriptura. 1.
Qualiter Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit via purgatiua, illuminatiua, & perfectiua. 2.
Quid ſit via purgatiua formalis, & de modo exercitandi in ea. 3.
Qualiter in via purgatiua debeamus nos quotidie exercere. 4.
De proſecutione exercitij huius, & de vigilanti conſideratione beneficiorum Dei, gene

generalium, ac ſpecialium. 5.
De frequẽti, & affectuoſa meditatione dominicæ paſſionis, & quibuſdam generalibus remediis atque auxiliis contra tentationes & vitia. 6.
Qualiter ſacerdos ante celebrationem, in celebratione, & poſt celebrationem ſe habere debeat. 7.
Quid ſit via illuminatiua. 8.
Qualiter in via illuminatiua exercitare ſe debeat homo. 9.
Quid ſit cõtẽplatio, & de ſpecieb. eius 10.
De alia aſſignatione, & declaratione ſpecierum contemplationis. 11.
Quid ſit vita vnitiua, ſeu perfectiua. 12.
De duplici deitatis cõtemplatione, & quid ſit myſtica theologia. 13.
Quòd duobus modis ad myſticæ Theologiæ viſionem, ecſtaticúmque amorem, ardentiſſimam caliginis intuitionem ſeu contemplationem præfatam per omniũ ablationem anima perducatur. 14.
De ſancto, ardente, diuino, ac deificante amore ad vitam vnitiuam, ad myſticam contemplationẽ pertinente, atque priuati amoris extirpatione. 15.
De myſtica flammigera, anagogica, & trãsformatiua contemplatione. 16.
De diuerſis effectibus ſponſi cæleſtis in
anima

anima contemplatiua, heroica,amoroſa , & de actibus, ac gradibus charitatis ardentiſſimæ. 17.
Proſequutio huius materiæ. Et quã mirè & gratiosè agat ſpõſus cæleſtis in anima inflammata,ſanctificata,ac deificata. 18.
De effectibus,atque indiciis amoris ecſtatici. 19.
Quòd ad præinductam triplicẽ viam plurima reducãtur,quæ hinc inde à doctoribus ſunt conſcripta. 20.
Declaratio prædictorum, videlicet diſtinctio inter ſeruos, & mercenarios ac ſecretos amicos, occultóſque filios. 21.
De triplici gradu reformatiõis internę. 22.
De veritate atque multiplici veritatis diſtinctione, prę ſertim de triplici veritate ad triplicem viam præhabitam pertinente. 23.
Quòd Deus eſt prima,actualiſſima,opulẽtiſſima , ac beatiſſima vita:& de multiplici vitæ diſtinctione , ſpecialiter de triplici vita. 24.
De bonis induſtriis , quibus ad incrementum virtutum,& ad perfectionem , contemplationíſque gratiã peruenitur. 25.
Deuotum præcordiale,habet Articulos XVIII.
QVid dilecte mi , quid dilecte. Proœ.
De qualitate , & conditione mentis huma

humanæ. 1.
Quando gratia Dei ſit cauſa, atque origo omnis meritoriæ operationis in nobis. 2.
Quid ſit illud vnum, quod Chriſtus Dominus neceſſarium eſſe diſſeruit. 3.
Quòd vniuerſa mentis noſtræ intentio atque propoſitum, in cõſideratione ac deſiderio huius vnius figi debeat. 4.
De iugi, atque ſolicita cuſtodia cordis. 5.
De ſeptem meditandis ſecundùm tempora certa. 6.
De quotidiano profectu, & optimo fructu exercitiorum noſtrorum. 7.
De duplici incitamento diuini amoris. 8.
Quòd magnum ſit incitamentum cuſtodię cordis in diuinæ præſentia maieſtatis cogitare ſe ſemper exiſtere. 9.
De celeſti, ac æterna felicitatę ſanct. 10.
De ſalubri meditatione mortis. 11.
De intẽta cõſideratione beneficiorũ Dei. 12
De iuſto, ac metuendo Dei iudicio. 13.
De pœnis inferni, 14.
De paſſione Chriſti. 15.
De recodatione humili propriorum peccatorum. 16.
De præparatione ad myſterium celebrationémque Miſſæ. 17.
De ſolido cibo perfectorum. 18.

FINIS INDICIS.

D. DIONYSII CARTH.

DE ARCTA VIA SALVtis, ac mundi contemptu, tractatulus planè pius ac eruditus.

PROOEMIVM AVCTORIS.

INdicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, aut quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, atque iuſtitiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo, *Matt. 6.* Quoniam rationalem creaturam Deus ad æternam beatitudinem obtinendam creauit ab exordio mundi, eam inſtruxit de his, quæ ei neceſſaria ſunt ad felicitatem hanc ſortiendam, quatenus inter bonum, & malum, inter verum, & falſum, inter virtutes, & vitia ritè diſcernat, bona, & vera, ac virtuoſa præeligendo, mala autem, & falſa, ac vitioſa penitùs deteſtando. Itaque ratio noſtra per diuinæ legis doctrinam inſtructa, per ſacram ſcripturam edocta, eſſe debet iudex omnium actuum vitæ noſtræ: vt conuerſationem propriam vnuſquiſque quotidie ſapienter diſcutiat, veraciter iudicet, efficaciter corrigat. Quamuis ergo alios in-

ordinatè iudicare diuinitùs prohibemur,
iuxta illud:Nolite iudicare, vt non iudice- *Matt.7.*
mini! nihilominus ſeipſum quilibet iudi-
cet,conſiderando propriam vitam,& quic-
quid in ea reprehenſibile viderit, abhor-
reſcat,defleat, vitet, neque inultum relin-
quat, ſed per pœnitentialem ſatisfactio-
nem emendet.Hoc eſt facere iudicium,at-
que iuſtitiam.Quod qui fecerit, diuini iu-
dicij diſtrictionem, æternámque inferni
pœnam euadet. Quemadmodum Paulus *1.Cor.11*
teſtatur: Si noſmetipſos diiudicaremus,
non vtique iudicaremur: Inſuper ſoliciti
ambulare debemus cum Domino Deo
noſtro iugiter formidantes, ne oculos
maieſtatis, ſanctitatiſque eius in aliquo
inhonoremus,aut offendamus, ne gratiam
in præſenti, gloriámque in futuro perda-
mus,ne ſempiternæ gehēnæ ſupplicia in- *Prou.28.*
curramus.Hinc ait ſcriptura diuina, Bea- *Eccle.1.*
tus homo, qui ſemper eſt pauidus, Et qui
ſine timore eſt, iuſtificari non poteſt. Ad *Philip.2.*
hanc timoratā,atque ſolicitam corā Domi
no cōuerſationē hortatur nos Paulus di-
cendo: Cum metu,&tremore veſtram ſa-
lutem operamini.Hiere.quoque, dum ait,
Maledictus homo,qui facit opus Dei ne-
gligenter.Oportet ergo diligenter cū om-
ni cordis cuſtodia, debitóque charitatis

affe

Hie.48. affectus, ac filiali timore Deo ſublimi ſer-
Pſa.2. uire, ſicut cantatur in pſal. Seruite domi-
no in timore, & exultate ei cum tremore.
Iobi.31. Talis erat beatus Iob de ſeipſo veriſſimè
loquens: Semper quaſi tumentes ſuper me
fluctus timui Deum. Et denuo, Deus eſt,
cuius iræ reſiſtere nullus poteſt. Idcirco à
facie eius turbatus ſum, & conſiderans
eum, timore ſolicitor. Porrò qui diſſolu-
tus eſt corde, qui leuis eſt mente, qui di-
uini vultus intuitum non perpendit, nec
ſummi æterni, metuēdíque iudicis præſen-
tiam reueretur, ſed ſic ſecurè incedit, ſic
negligēter ſe habet, quaſi iã pericula cun-
cta euaſerit, & tanquam à Deo iudicandus
non ſit nónne ſeipſum lamētabiliter per-
dit, incidétque in manus Dei viuētis, rece-
pturus cũ reprobis æterna ſupplicia in in-
Heb 10. fernalibus locis? Tu ergo, chariſſime, & in
Chriſto Ieſu cordialiter prædilecte, cui
hæc ſcribo, noli in vanitate, & vana ſecuri-
tate teipſum negligere, noli corã Deo al-
tiſſimo te inceſſabiliter inſpicienti irre-
uerenter incedere: noli ad eius iniuriam
impiè viuere, ſed quemadmodum Moſes
exhortatur, Cuſtodi teipſum, & animam
Deut. 4. tuam ſolicitè, & ne obliuiſcaris verborum
Domini Dei tui, & ne excidant de corde
tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Hinc ſiquidē
Auguſt.

Auguſt. In vanũ, inquit, Dei miſericordiã ſperat, qui eius iuſtitiam non formidat. Et Hieron. Si Deum præſentẽ, & omnia vidẽtẽ, iudicantémq; credimus, & id ſæpè penſamus, credo quòd ratò, vel nunquam peccabimus. Hoc itaque attẽdit S. Iob dicens: Nonne Deus ſcit viam meam, & omnes greſſus meos dinumerat? Itémque: Obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti. Proptereà Baſilius admonet: Memento te ſub Dei conſpectu ſtare, qui occulta cordis inſpicit, & abſcondita nouit. Conſideratio iſta diuinorum obſeruantiam præceptorum inducit. d. Pſal. Seruaui mãdata tua & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. Si ergo vis Deum timere, ſagaciter cogita eum vniuerſa videre. Erubeſce corã præſentia infinitæ ſanctitatis eius, corpore impuro aſſiſtere, animámque maculatam & vitioſam habere. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ.

August. *Hieron.* *Iob 23.* *Iob 13.* *Baſilius.* *Pſ. 118.* *Eccl. 11.*

Quàm diligenter ſint audienda verba Dei.

ARTICVLVS I.

ESto manſuetus ad audiẽdum verbum Dei. Quantò rem aliquam magis diligimus, tantò libentiùs de ea loquimur, & loqui audimus. Vnde de amatoribus

Eccle. 11. *Dan. 4.*

huius ſæculi Ioannes ait: Ipſi de mundo ſunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Qui ergo Deum veraciter diligit, qui æternam beatitudinem appetit, & ſe ipſum in Deo ſpiritualiter amat, is verba diuina audit libenter, retinet diligẽter, implet feruenter. Quod vtique ſignũ eſt prędeſtinationis æternę. Hinc nempe ait ſal-

Ioan. 8. uator: Qui eſt ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo nõ eſtis. Verbum enim Dei, ſeu ſacra ſcriptura cibus eſt animę. Quemadmodũ ergo eius vita naturalis deſperatur, qui corporalem cibum non ſumit, aut ſumptũ nõ tenet, ſed euomit, ſic vita gratię deſperatur de illo, qui verba Dei non curat diligenter audire, memoriter retinere, efficacitérque imple-

Gregor. re, vt dicit Greg. Tu verò, chariſſime, verba Dei attende affectuoſè: reuerenter atque humiliter audi, lege, pertracta, & loquere, tanquã epiſtolam tibi à ſpiritu ſancto tranſmiſſam. Nec enim ſufficit ea ſcire, ſiue recolere, ſed operibus quoque neceſſe eſt ea implere, quemadmodum ait Pſal. In

Pſa. 118. corde meo abſcondi eloquia tua, vt non

Luc. 12. peccem tibi. Denique: Seruus ſciens volũtatem domini ſui, & nõ faciens, plagis vapulabit multis, ait ſaluator. Iaco. quoque in

Iacob. 4. ſua canonica, Scienti, inquit, bonum, & nõ

facienti

facienti,peccatum eſt illi. Hinc Aug. diſſeruit:Nō minus dignum eſt verbum Dei, quàm corpus Chriſti, idcircò non minùs reus eſt,qui verbum Dei negligēter audit, quàm ille,qui corpus Chriſti in terrā cadere ſua negligentia permittit:quoniā ergo, Deo ordinante (ſine cuius prouidētia nec arbor mouetur, nec foliū eius dilabitur,) iſta tibi conſcribo, cuius ſalutē ardentiſſimè cupio, precor vt ea diligentia, & affectu tanto hæc legas quàm diligenter, atque feruēter pro tua exhortatione deſcripta ſunt. Hoc nāque ad naturalem præclaræ indolis tuę pertinet bonitatem. Scriptū eſt enim. Auris bona cum omni cōcupiſcentia audiet ſapientiā. Quod quā meritorū, Deoque placitum ſit, per quendam ſapientē dicitur: Concupiſcentia ſapientiæ deducet ad regnū perpetuum: Non vtique ſapientia hujus mundi, nō ſapientia philoſophorum, poëtarum, aut rhetorum (quoniam, teſte Apoſt. ſtultam fecit Deus ſapiētiam huius mūdi, principem quoque philoſophorum Ariſtotelem glorioſus, & ſanctus pater noſter Hieron. principem nominat fatuorum)ſed de ſapientia ſacrę atque diuinę ſcripturę ritè intelliguntur verba præmemorata. Nonne vani, ac fatui ſunt, qui relictis his, quę ad ſalutem animę re-

Auguſt.

Eccleſ. 3.

Sap. 6.

quirũtur, qui omiſſa diuinorum præceptorum cuſtodia, & ſalutari ſcripturarum ſanctarum notitia, in ſuperuacuis (puta in his, quę Deus non requirit ab eis) iugiter occupantur. Hinc tales videmus infinitis vanitatibus obfuſcari, ſine timore Dei cõuerſari, ludis, iocis, ac riſibus (vt de grauioribus vitijs taceam) delectari. Nunquid hæc eſt via arcta ducens ad vitam, quam (Chriſto docente) inueniunt pauci? Fac ergo, quod docet ſermo diuinus: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quę præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Et in ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter. Denique quid prodeſt cognitio creaturarũ, ſine dilectione, ac debita veneratione creatoris? Imò vtique plurimum obeſt, damnabilioréque efficit ſciolum. Non igitur magis delectet te ſtudiũ naturalis philoſophię, quã theologiæ, ſed in intellectu ac ſtudio ſacrę paginę delectatio tua conſiſtat præcipua, vt dicere poſſis: Quàm dulcia faucib. meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et rurſus: In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs. Itémque: Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. Hoc expertus Hugo de ſancto Victore, Nihil (inquit) in hac vita dulcius ſentitur,

Mat. 7. — *Eccl.* 5. — *Pſa.* 118. — *Hugo.*

ſentitur, nihil auidiùs ſumitur, nihil ſic mentem ab amore mundi ſeparat, nihil ſic animũ contra tẽtationes roborat, nihil hominem ſic iuuat, & excitat ad omne bonũ: ſicut ſtudium ſacræ ſcripturæ. Et iterũ: In ſacra ſcriptura quicquid docetur, eſt veritas, quicquid præcipitur, bonitas, quicquid promittitur, felicitas. Itaque hoc eſt ſaluberrimum ſtudium, quò diſcit homo cognoſcere ſemetipſum, vitam corrigere, in omni gratia ſpiritus ſancti proficere. Idcircò hortatur Aug. Vtere lectione diuina pro ſpeculo, fœda in te corrigendo, pulchra conſeruando, pulchrioraq; agendo. Pinguiſſimus eſt ſermo diuinus, omnes in ſe delicias cõtinens. Cùm hoc ſpeculũ oculis mentis opponimus, faciẽ noſtrã internam conſpicimus, ibi ſentimus quantum profecimus, quãtúmque à perfectione diſtamus. Hinc ait Iſidorus, Geminũ confert donum lectio ſcripturãm, quoniã mentis intellectum erudit, atque à mũdi vanitatibus abſtractum hominem ad amorẽ Dei perducit. Nunquid huius ſapientiæ ſtudio aliud aliquod poteſt ſcientiæ ſtudium comparari? Præterea audi Greg. Quamuis (inquit) omnes ſcientiam, & doctrinam ſacra ſcriptura ſine aliqua comparatione tranſcendat, quæ vera prædicat, ad cæle-

Aug.

Greg.

ſtem patriã vocat, à terrenis deſideriis ad ſuperna amplectenda cor legentis inuitat; quæ nec ſic clauſa eſt, vt paueſci debeat, neque ſic patet, vt vileſcat, quæ vſu faſtidium tollit, & tantò ampliùs diligitur; quantò ampliùs meditatur. omnes tamen ſcientias & doctrinas, etiam ipſo locutionis ſuæ more, tranſcendit. Hinc quoque ait Hier. Ama ſtudia ſcripturarum, & vitia carnis non amabis. Cupio ergo animam tuam hac diuinæ ſcripturæ ſupernaturali, ac nobiliſſima ſapiẽtia adornari, quæ æternæ, ſummæ, & increatæ ſapientiæ fulgor quidam, radiúſque conſiſtit, cuius lectio (teſte Hieronymo) ſenſum acuit, intellectum multiplicat, teporem calefacit, torporem repellit, libidinis tela extinguit, gemitum excitat, lacrymas elicit, Deo nos proximos facit; cui cùm ſtudemus, ſpiritus ſanctus loquitur nobis, vt ait Iſidorus. Poſtremò, huius ſacræ, ac ſalutaris ſcientię ſingulariter capax es, cùm & naturali acumine intellectus ſis decoratus, ita vt illud dicere queas: Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Det itaque tibi clementiſſimus Deus tantã huius ſapientię delectationẽ, vt cum auctore libri ſapientię veraciter dicas, Hanc amaui & exquiſiui à iuuentute mea, & quęſiui

Hieron. *Hieron.* *Iſidorus.*

ui ſponſam eam mihi aſſumere, & amator factus ſum formę illius. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuerſatio eius, nec tædium conuictus illius, ſed gaudium atque lætitiam. Hinc Salomon loquitur, Pretioſior eſt ſapientia cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Abſit ergo, vt animam tuam in inferioribus, vilioribúſque ſcientijs occupes. *Prou.* 3.

De duplici hominum via.

ART. II.

IVſtorum ſemita quaſi lux ſplendēs procedit, & creſcit vſque ad perfectā diem: via autem impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruunt, quēadmodum in prima epiſtola ſua conteſtatur beatiſſimus euangeliſta Ioan. Deus lux eſt, & tenebræ non ſunt in eo vllæ. Deus namque ſecundùm diuinum & magnum Dionyſ. eſt lux pura, & plena & infinita, fontalis, vitalis, & intellectualis, & ſuper pulcherrima. Cùm ergo ipſe ſit terminus vitæ, peregrinationíſque noſtrę, & finis totius vitæ laboris, ac ſtudij noſtri, per ſemitas ſplendidas viáſque pulchras ad ipſum proficiſci debemus, quatenus via proportionata ſit termino, & medium fini Neque enim ali- *Prou.* 4. *1. Ioan.* 1. *Dionyſ.*

ter ad eum pertingitur. Porrò ſemita iſta iuſtorum eſt actio virtuoſa, conuerſatio bona, diuinæ legis, præceptorúmque eius obſeruantia timorata. De quibus Salomon ait, Viæ Domini viæ pulchræ, & omnes ſemitę eius pacificæ. Sunt itaque viæ iſtæ, quibus ad Deum, patriámque procedimus, cogitationes bonæ, affectiones ſanctæ, locutiones fructuoſæ, & opera meritoria Deo accepta. Hæc meritò viæ, ſeu ſemitæ nominantur, cùm ſint media quædã, quibus ab iſto exilio ad patriã peruenitur. Quę vtique ſemitæ rationabiliter ſplendidæ appellantur: quoniam ex charitate, & gratia (quæ ſunt ſupernaturalia animæ lumina) oriuntur, & quia tenebras vitiorum fugant ab anima, & quia luci diuinæ & increatę vniunt corda noſtra, & quia operãtẽ, Deo atq; hominibus reddunt ſpectabilem, mundum, & ſanctum, proximis etiam exemplarem. Vnde dicit Apoſ. iuſtos tanquam luminaria lucere inter peruerſos. Peccatoribus quoque cõuerſis, Fuiſtis (inquit) aliquando tenebrę, nunc autem lux in Domino. Prętereà ſemita iſta iuſtorum procedit à bono in meliùs, de imperfectione ad perfectionem, de virtute in virtutem, de via ad patriã, & creſcit vſque ad perfectam diẽ, vtique æternitatis: quia

Prou. 3.

Phil. 1.

Eph. 2.

quia de fide pertingit ad ſpeciem, hoc eſt, ad ſummæ, adorandæque trinitatis æternam, atque beatificam viſionẽ. Hæc eſt via electorum, via immaculata, via virtutum, de labore pœnitentię ducens ad requiem ſempiternam. De qua via cantamus: Beati *Pſa.* 118.
immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. De qua ait beatus Iob: Viam Dei *Iob* 11.
cuſtodiui, & non declinaui ex ea. Hieron. *Hieron.* 6.
quoque: interrogate quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Inſuper alia eſt via reproborum, via tenebroſa, hoceſt ſcelerata, ac impia vita, quæ veræ rationis lumine caret, nec gratię luce perfunditur: ſed paſſionũ, & cõcupiſcentiarum caligine obfuſcatur: quę rectũ peruertit iudicium, & ad infernalium tenebrarũ perdidit ergaſtulũ. Hæc via ſunt habitus vitioſi, paſſiones effrænatę, concupiſcentię carnis, cogitationes peruerſę, opera mala, verba illicita, negligẽtię temporis, quæ ſic obtenebrant aciem mentis, vt ſpiritalẽ ſuam ruinam non penſet. Nempe in hac via damnãda, ac lubrica, (quę videtur impijs bona, quamuis nouiſſima eius ducant ad mortem) eſt caſus à ſummo & incommutabili bono Deo benedicto, vſque ad bonum commutabile, caducũ, & vanum, à ſtatu ſalutis & gratiæ,

ad ſtatum damnationis, & culpę, à vita ſpiritali, ad vitam carnalem, & tandem à via præſenti, ad càrcerem infernalem. De
Eccle. 36. qua via, ſeu vijs iniquis ſcriptum eſt, confundimini, & erubeſcite ſuper vijs veſtris. Itaque mihi dilectè, non eas in viam ruinę, non ſequaris itinera vanitatis mundanę libertatiſque proprię, ſed viam ſanctorum viriliter imitare. Qui enim ea, quę carnem, exterioréſque ſenſus oblectāt, ſectatur, qui cordis diſſolutionem, & gaudia mundi amplectitur, per viam tenebroſam progreditur. Qui verò iuxta euangelicę legis mandata, ac documenta incedit, viā ſplendidam electorum elegit, poteſtque
Pſa. 118. dicere cum Pſalmiſta: Ab omni via mala
Ibidem. prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua. Quod vt implere mereamur, oremus quotidie, imò ſæpiſſimè deuotiſſima mente: Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, & non dominetur mihi omnis iniuſtitia.

De triplici genere viatorum.

ART. III.

CHriſto confixus ſum cruci. Viuo autem non ego, viuit verò in me Chri-
Galat. 2. ſtus. Quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Hęc de ſeipſo
ſcri

ſcribit Apoſtolus. Porrò hæc eſt Chriſtianæ religionis ſapiētia ſalutaris, quòd propter primorum parentum tranſgreſſionem vniuerſum genus humanū amœnitate, & manſione paradiſi terreſtris priuatum eſt, atque in mundū hunc tanquām in vallē miſeriæ, in locū exilij, in regionē lōginquam proiectum, quatenus iſto in loco pœnitentiā peragendo, ſuámque calamitatē inceſſanter deflendo, mereatur poſt vitam hanc beatitudinis locum, ſeu patriā ingredi beatorum. Hinc ait Gregor. A regione noſtra (paradiſo ſ. terreſtri) ſuperbiendo, inobediendo, viſibilia ſequendo, cibum vetitum deguſtando, diſceſſimus: ſed ad eam neceſſe eſt vt flendo, obediendo, viſibilia contemnendo: carníſque appetitum frænando redeamus. Idcircò omnes nos in ſæculo iſto viatores, vocamur, quia vt ait Apoſtol. Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Et alio loco: Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem. Simili ratione cantat Pſal. colloquens Deo: Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Porrò ad viatorē prouidum pertinet vt itineri ſuo neceſſaria habens, aliis ſe nō grauet oneribus, neque in

Gregor.

Heb. 13.

2. Cor. 5.

Pſal. 38.

via

via ſine rationabili causa ſubſiſtat, neque de his, quæ aguntur ab aliis, per quorum terminos tranſit, ſe intromittat: ſed regia via incedens, & neque ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinans, ſimpliciq́ue veſtitu, ac victu contentus, ad patriam indeſinenter ſuſpiret, feſtinet, & propinquet. Sic Chri-
ſtianus omnis facere debet, vt ſcilicet ſe
2. *Cor.* 5. perpendat peregrinum eſſe in via præſenti, & totam conuerſationem ſuam diſponat atque coaptet ad obtinendum felicitatem futuram, cæleſtémque patriam. Omni ſua ad Dei gloriam ordinãdo, diuina præcepta implendo, per vitam virtuoſam ad
1. *Cor.* 7. patriam aſpirando. Ad hoc ſiquidem hortatur nos Apoſtolus Paulus, cum ait: Reliquum eſt, vt qui vtuntur hoc mundo, ſint tanquam non vtentes. Et qui habent vxo-
1. *Tim.* 6. res, ſint tanquam non habentes. Præterit enim figura hujus mundi. Et rurſus: Habentes (inquit) victum, & amictũ, & quibus tegamus, his contenti ſimus. Nam qui volũt diuites fieri, incidunt in tẽtationes, & laqueum diaboli. Felix, qui ſic ſuam co-
Pſal. 119. gnoſcit habitationem, dicens illud: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Qui hoc modo tendit ad patriam, propriè peregrinus vocatur. Sed quoniam nonnunquam contingit, vt peregrinus,
viſis

viſis his, quæ fiunt in via, delectetur in illis, atque ſubſiſtat, talia intuendo, & noua inquirendo, ſeu recitando, per quod in itinere retardatur, & minùs patriæ recordatur, Imò interdum ſic delectatur in talibus, aliena in terra vt ex toto remaneat, neque ad patriam ſuam perueniat. Idcirco eſt altior atque perfectior modus eundi ad patriam electorum, vt ſcilicet homo non ſolummodo nunc dicto tendat ad regnum cœleſte, ſed inſuper vniuerſa ſui itineris impeditiua nequaquam attendat, non curet, non ſentiat, imò tanquàm non pertinentia ad ſe pertranſeat, atque contemnat. Talis eſt, qui non magis cupit laudari quàm vituperari, proſperitate, quàm aduerſitatibus exerceri, ditari, quàm inopiam pati: qui demùm nihil eorum, in quibus delectatur hic mundus, libenter attendit, ſed vt mortuus talibus vana omnia parui pendit. Ad hanc perfectionem monet nos Paulus, dicendo: Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circunferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Tales præterea erant, quibus idem ſcribit Apoſtolus, mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Talis fuit & Hieremias, qui loquens ad Deum: Diem, inquit,

Prou. 3. *Coloſſ.* *Hieron.*

quit, hominis non concupiui, tu ſcis. Talis quoque eſt omnis, qui non gloriatur niſi in domino, qui ſe iam alienum fecit à ſeculo iſto. Et talis propriè dicitur mortuus mundo. Veruntamen adhuc modus inuenitur ſublimior. Qui nimirum priuatum ſui amorem plenè extinxit, atque in diuino amore perfectus eſt, ac per hoc ſeipſum in Deo perfectè ac ſpiritualiter diligit, non iam duntaxat cum peregrino viæ ſuæ ad Deum vitat obſtacula, nec ſolùm cum mortuo non attendit ſeculi blandimenta, ac proſpera, ſed & omnia, quibus mundus adhæret, quæ mundus amat, & reputat, vt ſunt diuitiæ, atque delitiæ mundi, carnis voluptas, mundi honores, vanæ hominum laudes, propriæ voluntatis libertas. Hæc omnia toto corde abhorret, tanquam cruciamenta, atque hoſtilia cordis tormenta deteſtatur, & refugit, eo quòd talia curſum ſuum ad Deũ, itérque ſuum ad patriam impedire potiùs valeant, quàm iuuare. Denique ea, quæ mundus reputat crucem, videlicet dura, ſiue aduerſa, iſta toto affectu amplectitur, illis adhæret, atque configitur (ſicut ſunt abſtinentiæ, diſciplina, vigilia) amat neſciri, cupit contemni, & omnia dura pro Dei amore gaudenter perferre, ſciens talia

talia ſibi prodeſſe, quantum ad Deum, ad ſatisfaciendum pro culpa, ad euadendum futura ſupplicia, ad proficiendum in gratia. Per talia quoque præcipuè Chriſto pro ſe paſſo aſſimilatur, & maximam mercedem ſibi in patria mercatur. Hinc gaudet in iſtis, ſicut in omnibus diuitijs, ſicut & reprobi gloriantur in proſperis ſeculi huius. Qui ad hanc felicem perfectionem peruenit, dicere poteſt cum Paulo: Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Vnde & iſte propriè dicitur crucifixus, & non ſolùm peregrinus vt primus, aut mortuus vt ſecundus. In hoc tertio peregrinationis gradu Chriſtianæ religionis conſiſtit ſublimitas. Tales planè fuerunt beatiſſimi principes noſtri ſancti Apoſtoli, qui cùm à principibus ſacerdotum flagellati fuiſſent, & reprobati, ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Nunc ergo conſidera, mi dilecte, in quo horum trium ſis poſitus genere. Qui tantùm ad primum genus, ſeu gradum nondum peruenit, non ſe arbitretur eſſe in ſtatu ſalutis. Porrò induſtriæ

Pſal. 18.

Galat. 6.

Act. 5.

tuæ

tuæ erit, primo gradu non eſſe contentam, ſed per ſecundum vſque ad tertium velle conſcendere, quatenus in carne mortali, cœli formam, atque Angelicam vitam ducens, quotidie in omni charitate, ſapientia, & gratia Chriſti mirabiliter creſcens inter amantiſſimos Dei glorioſi, & ſancti filios computeris, neque poſt vitam præſentem à gloria Dei diutius retarderis.

Bernard. Poſtremò de iſta materia pulchra tractat in quodam ſermone beatus Bernardus, ex quo iſta pro parte accepta ſunt: Noli ſtulto ſimilis eſſe viatori, vt te mundi huius pulchritudo, proſperitas, fauor, lætitiáque alliciant delectent, à Deo auertant, à via ad patriam impediant, aut retardent. *Beda.* Noli hoc mundo vti pro patria: quia (vt venerabilis Beda ſcribit) hoc inter electos ac reprobos diſtat, quòd electi nunc peregrini, & exules patriam expectant in futuro, tantóque minus in præſenti gaudiis delectantur caducis, quãto futura ſine fine gaudia ſe ſperant accipere, & in æternum regnare cum Chriſto. At verò reprobi hic habent patriam cuius vitæ deſideriis ſolummodo inhiant: Ideóque poſt hanc vitam in exilium relegantur perpetuum, vbi cunctis

caren-

carentes voluptatibus, ſola in tormentis patiantur aduerſa.

De arcta via ſalutis, lata via perditionis.

ART. IIII.

INtrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Sed anguſta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. Chriſtus locutus eſt verba hæc. Et quid vtique verbis his horribilius dici potuit, aut quid tam terribiliter ſonat? Certè ad perterrendum corda noſtra ſufficere potuit, ſi aliud nihil Chriſtus dixiſſet, niſi quòd arcta eſt via ſalutis, ſpatioſa verò damnationis, quo pateret quàm facile ſit damnari, difficile autem ſaluari. Iam verò dicendo quòd pauci inueniunt viam arctam ſalutis, multi autem ambulent viam latam damnationis, euidenter inſinuat, quòd pauci ſaluentur, plurimíque damnentur. Quod & alibi clarius proteſtatur? Multi, inquiens, ſunt vocati, pauci verò electi. Quis audito hoc verbo, non expaueſcat, & contremiſcat, ſi tamen verè fidelis eſt, & illuminatam ſortitus eſt fidem? Talis namque, & tanta

Matt. 7.

Mat. 22.

tam alta, & ardua eſt fides Chriſtiana, vt licet certiſſimè ſciremus omnes homines qui vnquam fuerunt, aut ſunt in mundo, eſſe ſaluandos vno excepto: meritò viatorum vnuſquiſque vehementer timeret, ne fortè ipſe eſſet ille damnandus, & inſuper cũ metu, & reuerentia Deo ſeruiret. Quid enim eſt quæſo id, quod credimus, quòd ſtatim poſt vitam hanc momẽtaneam deducemur ante tribunal Chriſti, veri omnipotentis Dei, & iudicis ineffabilis, metuendi atque iuſtiſſimi, recepturi ab eo aut pœnam æternam inferni, aut ſempiterna gaudia cæli? Si hæc diligẽti, ac lympida fide attẽderemus, mirum, ſi vnquam ſine timore, atque tremore eſſe poſſemus. Sed malitia, & negligentia noſtra excæcat cor noſtrum. Si ituri eſſemus per campum latronibus plenum, in quo pauci tranſeuntes euaderent, quis non vehementer metueret, ne temporalem incurreret mortem? Nunc autem ambulamus per ſeculi huius campum, dæmonibus plenum, in quo, ſicut nũc dictum eſt, pauci (comparatiuè loquendo) euadunt damnationem æternam Nec tamẽ timemus, ſed ridemus, epulamur, iocamur, & vana, ac periculoſiſſima ſecuritate reſoluimur. Non ita, dilectiſſime frater, non ita ſit

Heb.12.

Simile.

Mat.7.

ſit apud nos, non ita ſuperficialiter audiamus eloquia Chriſti, ne negligamus, & perdamus noſipſos perditione irrecuperabili, intolerabili, ſempiterna. Sed profundè, atque ſolerter verba ſaluatoris impleamus, penſando quod ſcriptum eſt: Dominum exercituum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & terror veſter. Illud quoque: In timore Domini eſt tota die, & habebit ſpem in nouiſſimo. Vnde & Hieremias iſta conſiderans dixit: non eſt ſimilis tui, domine. Magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te, ô rex gentiũ? Hinc etenim ſcriptum eſt: Magna, & mirabilia ſunt opera tua, Domine, Deus omnipotens. Iuſtæ, & veræ ſunt viæ tuæ, Domine rex ſeculorũ. Quis non timebit, & magnificabit nomẽ tuum, quoniã iudicia tua manifeſta ſunt? Sed antequam de hoc plura commemorem, pauca dicenda ſunt de intellectu præinductorum Chriſti verborũ. Ait ergo anguſtam eſſe portam, arctámque viam ſalutis, imò (vt veriùs loquar) multum anguſtam, valdéque arctam: ait nempe: Quàm anguſta, id eſt multum anguſta eſt porta. Spatioſam verò aſſerit portam, latámque viam damnationis perpetuæ. Ex præhabitis autem patet intelligentia horum verborum

Eſa. 8.
Pro. 23.
Hier. 10.
Apoc. 17.
Mat. 7.

Si quidem paulò antè nunc introduxi, duplicem eſſe hominum viam. Vnam virtuoſam, ac ſplendidam, quæ eſt via, ſeu vita electorum, Deo timoratè, atque ſolicitè ſeruiẽtium. Hæc autẽ eſt via arcta, & porta anguſta: quoniam ars, & virtus ſunt circa difficilia. Quod ſtatim clariùs explanabo. Porrò alia eſt via vitioſa, ac tenebroſa, vtpote vita, ſeu via reproborum, quæ lata cenſetur, quoniam facile eſt à medio rationis diſcedere, à rectitudine virtutis deficere, legem diuinam omittere. Veruntamen circa hoc vtilis oritur quæſtio. Cùm enim iuxta Philoſophum ratio deprecetur ad optima: Virtus quoque ſecundùm Damaſcenum, ſit ſecundùm naturam, videlicet rationi conſentanea: Et ſecundùm Tullium, imò ſecũdùm Auguſtinum atque Baſilium, ſeminaria quædã virtutum nobis connata, concreatáque ſunt: videtur quòd virtus ſit maximè delicioſa, ac facilis Et reſpondendum quòd vtique virtus ex ſua natura eſt cõnaturalis, delicioſa, & facilis: ſed difficultas virtutes adipiſcẽdi, ac virtuoſè agendi eſt ex parte noſtra, videlicet ex imperfectione, corruptione, infectionéque noſtri: præſertim autem propter originale peccatũ, per quod quatuor vulnera animæ noſtræ infli

Philoſ. *Damaſ.* *Tullius.* *Auguſt.* *Baſilius.*

infliguntur. Quæ ſunt ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in vi iraſcibili, concupiſcentia in vi, ſeu appetitu concupiſcibili. Inſuper iuxta philoſophum quoque, quo intellectualis ſubſtantia longius diſtat, ſuccumbit, ac deficit ab ente primo intellectu diuino omnium rerum vltimo fine, tanto difficilius, ſeu pluribus motibus ad ipſum pertingit. Cum igitur anima rationalis in ordine intellectualium naturarum ſit ima, ac vltima, in qua intellectuale lumen adeò debile eſt, vt ipſa in principio ſui ſit tanquam tabula raſa depingibilis non depicta, illuceſcit, quòd ipſa difficillimè ad vltimum finem Deum æternum pertingat, quantum in ipſa eſt. Et iſtud verum eſt etiam de naturali animæ felicitate, naturalibúsque loquendo virtutibus. Propterea multo verius eſt de ſupernaturali eius beatitudine (quæ eſt viſio Dei per ſpeciem) virtutibúsque infuſis loquendo, cùm talis finis, tales quoque virtutes penè incomparabiliter præſtantiores ſint, & ſublimiores naturali beatitudine, ac naturalibus virtutibus animæ. Hinc anima noſtra indiget inceſſabili adiutorio gratiæ Dei, & inſpiratione ac motione. Præterea denique penè innumerabilia nobis occur-

runt impedimenta virtutum; tàm ex parte propriæ carnis, quàm mundi & dæmonis, quibus à conuerſatione virtuoſa non mediocriter impedimur, retrahimur, aut tar-
Bernard. damur. Vnde Bernard. Primum, inquit, impedimentum noſtrum, & occupatio grauis ipſa eſt neceſſitas miſeri corporis huius, quod dum modò ſomnum, modò cibum, modò alia quæque requirit, non dubium, quin frequenter nos ab exercitio ſpiritali impediat. Diabolus quoque, vt
1. Pet. 5. Petrus ait Apoſtol. tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Sed & mundus multa, heu, nimis offert virtutum obſtacula. Hinc ergo perarduum eſt ſemper in medio permanere virtutum, & non declinare ad vitioſum extremum. Adhuc
Dionyſ. autem (vt Diony. docet) virtus ſeu actio virtuoſa, eſt ex integra, & omnifaria cauſa, omnibus virtutum circunſtantiis pariter concurrentibus. Vitium verò eſt, per cuiuslibet circunſtantiæ defectum, infinitisq; modis contigit errare, deficere, &
Eccle. 1. perire. Vnde Salo. d. Stultorum infinitus eſt numerus. Hinc ergo via virtutum eſt arcta, via verò vitiorum ſpatioſa. Et hoc maximè quãtum ad inſipientes, & imperfectos, non autem quod ad perfectos, ſicut patebit.

Incre

Increpatio ignauiæ, negligentiæ, ac acediæ noſtræ. ART. V.

DIxit autem quidã ad Ieſum: Domine *Luc.* 1. ſi pauci sũt, qui ſaluãtur? Qui ait: cõtendite intrare per anguſtam portam. Ex his verbis innoteſcit, ꝙ præhabita verba de arcta via ſalutis Chriſtus induxit ad demonſtrandam ſaluandorum paucitatem. Prçtereà, vt clariùs agnoſcamus, quàm verè arcta ſit via ſalutis, aduertamus verba *Greg.* Gregor. Arcta, inquit, via, in qua quiſque ſtudioſè conſtringitur, qui ſub præceptorum cuſtodia ſolicitè coarctatur, eſt in hoc mundo viuere, & de mundi huius cõcupiſcentiam nil habere, aliena nõ appetere, propria quoque non tenere, laudes mundi deſpicere, opprobria pro Deo amare, gloriam fugere, deſpectum ſequi, adulationes deſpicere, deſpicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, dilectioníſque gratiam circa eos immobilẽ cõſeruare. Quamuis ante hæc, cæteraq; pœnitẽtię opera, vigiliæ & abſtinẽtiæ, diſciplinæ; concupiſcentię, & propriæ voluntatis abiectio, ſint arcta, ac ardua, ad magnam tamen quietem perducunt, incomparabile etiã præmium (quod oculus *Cor.* 1. non vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis comprehendere poteſt) eis promit-

ritur, vt puta beatitudo æterna, perfecta, pleniſſima: imò bonum immenſum: quod eſt ipſemet Deus ſublimis, & benedictus. & in hoc patet intolerabilis negligentia, peruerſitas atque acedia noſtra, quòd pro tanto bono nolumus prædictam viam arctam ad modicum tempus incedere.

Chryſ. Propter quod dicit Chryſoſtomus; Arctam viam, ô homo, iuſſus es ambulare, cur de requie & abundantia percontaris? Et quidem qui principibus ſeculi huius miniſtrant, horum nihil requirunt: ſed ſolùm, ſi congruum lucrum eis præſtabitur: quo cognito, iam nullum refugiunt laborem, nullum vitant periculum, neque ſeruilia obſequia negant, peregrinationes longiſſimas ac periculoſiſſimas, contumelias, pœnas, temporum permutationes patiuntur ſpe lucri, & auiditate pecuniæ: Nos è contrario qui cælum & cæleſtis regni diuitias quærimus, de requie corporis percontamur, & aſpera pati dedignamur. Vide quantum illis molliores, miſerabilioréſque ſumus. Quid dicis, ô homo, quid agis? Cælum paras aſcendere, & interrogas, ne qua tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid tibi in via aſperum accidat, aut laborioſum, & non erubeſcis de hoc, non, pudore oppreſſus, ſub terram teipſum

ipſum defodis? Si omnia nanque tibi mala occurrerent, ſi vniuerſa tibi pericula imminerent, conuitia, iniuriæ, calumniæ, gladius, ferrum, beſtiæ, præcipitium, fames, ægritudo, & cuncta, quæ dici poſſunt, vel excogitari, ſuper te irruerent, nonne hæc omnia tibi pro tanto præmio ridenda prorſus, & contemnenda meritò viderentur? Non ergo ſit aliquis tam abiectus, atque infelix, támque degeneris animi, vt cælum optans aſcendere, de terrena requie, mundíque delitiis cogitet: quas non ſolùm requirere, ſed etiam paratas recipere indecorum eſt, penitúſque indignum. Idcirco ait Gregorius, Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Laboremus ergo viriliter, fortitérque contra vitia prælíemur: in Dei obſequio fatigari ſit nobis prædulce: ſcientibus quòd labor noſter non erit inanis in Domino, ſed erit merces operi noſtro. Denique qui in labore hominum non ſunt (præſertim in labore pœnitentialium actuum) & cum hominibus non flagellantur, cum dæmonibus (ſecundùm Hieronymum) flagellabuntur. Præterea ad confundendum noſtrum torporem, ad excitandum noſtrum te-

Gregor.

1.Cor.15.
Hier.13.
Pſal.72.

Hier.16.

porem, penſemus quanta homines ſecu-lares pro terrenis, caducis, paruíſque commodis agant, & patiantur: vt vel ſic diſcamus pro Dei amore, pro regno cæleſti, pro beatitudine ſempiterna, arctam viam dignè incedere, omnia vana deſpicere: & Deo noſipſos promptiſſimo corde totaliter inuiolabilitérque offerre. Vt enim Auguſt. quoque cõmemorat, quibus quæſo tempeſtatibus & procellis, quàm horribili & tremendæ ſæuitiæ cæli & maris, exponunt ſe mercatores, vt diuitias perituras acquirant, maioribus quàm quibus acquiſitæ ſunt, periculis, & tempeſtatibus plenas? Quos æſtus, quæ frigora, quæ pericula ab aquis, à foſſis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferũt venatores: quem laborem eſuriendi, & ſitiendi, quantas viliſſimi, & ſordidiſſimi cibi, & potus anguſtias, vt beſtiam capiant? Secari, & vri ſe homines patiuntur, vt dolores non æterni, ſed aliquantulo diuturniores vlceris, acriorum dolorum pretio redimantur. Pro languida, & incerta vltimæ, atque breuiſſimæ vitæ vacatione immaniſſimis bellis miles atteritur, pluribus fortaſſe annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus. Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiun

patiuntur. Qui verò amãt, eadem quidem, ſed nõ grauia pati videntur. Omnia enim ſæua & immania, prorſus facilia & prope nulla efficit amor. Multò ergò certius, felicius, atque virilius ad veram beatitudinẽ obtinendam in nobis faciat charitas, quod in illis ad miſeriam facit cupiditas. Facilè toleretur à nobis quælibet aduerſitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur. Non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vt dicit Apoſt. Non torpenti, aut tepida mente, ſed verè feruenti miniſtremus Deo altiſſimo, ne ipſe nobis improperet illud Apocal. Scio opera tua, quia nec calidus es, nec frigidus. Sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.

Introductio ſcripturarum, ex quibus eluceſcit, quàm arcta ſit via ſalutis.

ART. VI.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum. Hoc Dei mandatum omnium mandatorum finis eſt, ratio, atque perfectio. Ad cuius perfectam impletionem quantum in hoc ſtatu poſſi

poſſibile eſt, non ſolùm cætera vniuerſa mandata, ſed cuncta quoque Chriſti euangelica ordinantur conſilia. Porrò mādatum hoc non niſi in patria omnino plenariè adimpletur. A religioſis vero quodammodo perfectè impletur, eo quòd omnia illa, quæ diuinæ dilectionis affectum impediunt, abnegent, & relinquant: quatenus ſoli Deo iuxta profeſſionis ſuæ tenorem intenti ſint. Ab omni demū viatore in tantum neceſſe eſt ipſum impleri, quatenus nihil contra, aut ſupra Deum diligat, in nullo niſi in Deo finaliter conquieſcat. Nunc autem de arcta via ſalutis dicta ſunt plurima, patuítque viam hanc eſſe diuinæ legis, ſeu præceptorum ac documentorum Chriſti cuſtodiam. Nunc ergo pauliſper penſandum eſt, quænam ſint ardua iſta Chriſti præcepta, ac documenta, propter quorum difficultatem ipſemet Chriſtus diſſeruit: viam, quæ ducit ad vitam eſſe tam arctam, portámque an-
Rom. 8. guſtam: ſpatioſam verò viam, quæ ducit
Apoc. 3. ad mortem, & mortem æternam. Ecce ſaluator ait: Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo racha, id eſt, vocem indignationis, aut

vitu

vituperationis emiſerit, reus erit conſilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis, videlicet damnationis æternæ. Nonne arctum, & metuendum eſt verbum hoc? Inſuper ait: Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non peierabis. Ego autem dico vobis, non iurate omnino. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non. Hinc & Iacobus in ſua ait epiſtola: Ante omnia, fratres, nolite iurare. Iterum ait ſaluator. Ego dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram. Et qui voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vobis. Quid difficilius iſto? Quemadmodum enim amicum diligere, naturaliſſimum, facillimúmque conſiſtit, ſic inimicum amare difficillimum eſt, ſecundùm Hieronymum: & tamen neceſſarium eſt ſaluti. Imo qui vnum hominem odit, nullum verè ac ſpiritualiter diligit, ſed nec ſeipſum, nec Deum, cùm ſit in peccato mortali. Inſuper ait ſaluator: Si non dimiſeritis hominibus peccata, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Nolite thezauriza

Marc. 12.

Hiero.

Matt. 6.

riza

rizare in terra Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Nolite iudicare, vt non iudicemini. Nolite putare, quòd veni pacem mittere in terram: Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare filium à patre ſuo, & filiam à matre, & nurum à ſocru. Qui amat patrem, vel matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Væ illi, per quem ſcandalum venit.

Matt.7. *Mat.10.* *Luca.12.* *Mat.10* *Luca.14.* *Mat.11.* *Luca.12.* *Matt.11.* *Mat.13.* *Luca 1.*

Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis credentibus, expedit ei, vt ſuſpendetur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Quicunque voluerit inter vos maior

Mat.19. *Mat.10.* *Luca.18.* *Mat.20.*

maior eſſe, ſit veſter miniſter. Væ vobis diuitibus, qui habetis nunc conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Væ, quum benedixerint vobis homines omnes. Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras? Dixit autem Ieſus ad quendam: Sequere me. qui ait? Domine permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum. Dixítque illi Ieſus: Permitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Sed eum timete, qui poteſtatem habet, corpus, & animam mittere in gehennam. Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: Quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt omnis, qui theſaurizat, & non eſt in Deo diues. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque fratres, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos

Luc 16.

Matt. 10.

Luc. 21.

dos

dos, & cæcos, & beatus eris. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, filios, & fratres ſuos, & ſorores, adhuc & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud Deum. Quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Videte, ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, aut curis ſeculi huius. Ex his aduertere potes, chariſſime, quàm verè anguſta & arcta ſit via ſalutis. Veruntamen eorum, quæ dicta ſunt, quædam pertinent ad præcepta, & ad illa omnes tenentur. Alia ad conſilia, ad quæ religionem profeſſi ſunt obligati. Præterea ex aliis ſcripturis idem oſtenditur. Dicit enim Apoſtolus: Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis: Ergo qui vitia & concupiſcentias non extinguūt, nec corpus ſuum caſtigant, ad Chriſtum non pertinent. Rurſus: Vidua, inquit, quæ in deliciis viuit, viuens mortua eſt. Viuens quidem vita naturæ, mortua eſt

morte

morte culpæ. Si ergo delitioſè viuere, peccatum mortale eſt viduis, quantò magis clericis, monachis, atque canonicis? Ad idẽ poſſent multa alia adduci, ſed iſta ſufficiant. Quæ quidem idcircò commemoraui, vt ad timorem Dei, ad cordis cuſtodiam; ad diuinę ſcripturę diligentiorem aduertentiam te indicam: ne tibi de diuina miſericordia inaniter blandiaris, neque his qui ſpatioſam viam ambulant, conformeris. Quia, vt ait Apoſt. Si Chriſto compatimur, & conregnabimus. Si ſuſtinemus, ſimul cum illo viuemus. Nonne iuxta Apoſt. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei? Sed verum eſt, non tamẽ verificetur in te quod ait Bernardus: Domine, multi volunt tecum regnare, ſed non compati, volunt conſequi, ſed non ſequi, volunt inuenire, ſed non quærere. Itaque tribulationes pati non terreamur, cùm dicit Hieron. Nullus ſeruus Chriſti eſt ſine tribulatione. Si tribulationem non pateris, nondum Chriſtianus eſſe cœpiſti.

Quomodo non obſtante, quòd arcta eſt via ſalutis, nihilominus iugum Chriſti ſuaue eſt & onus eius leue. ART. VII.

VEnite ad me omnes qui laboratis & *Mat.* 11.
onerati eſtis, & ego reficiam vos:

Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Loquutus eſt Chriſtus verba hæc de ipſo. Porrò iugum Chriſti aliud prorſus non eſt euangelica lex, ſeu diuinorum cuſtodia mandatorum, per quam ſub diuinæ voluntatis obedientia ligamur, ac detinemur, atque à ſæculari vita reſtringimur: Onus verò ſaluatoris intelligi poteſt obſeruantia conſiliorum ipſius. De tali iugo ſcriptum eſt Threno tertio: Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, quod quidem reprobi à ſe repellunt, iuxta illud Hieremiæ ſecundo: A ſęculo confregiſti iugum, & dixiſti, nõ ſeruiam. Conſtat itaque idem eſſe in re viam arctam ſalutis, & portam vitæ anguſtam, cum iugo Chriſti & onere eius. Si ergo via ſalutis eſt arcta; & porta vitę anguſta, quomodo iugum Chriſti ſuaue eſt, & onus eius leue? Eſt reſpondendum, quòd idem iugum, & eadem via inſipientibus, imperfectis, nondũ exercitatis, & ſpiritualis, internæque vitæ dulcedinem, necdum expertis, eſt arcta, dura, ac laborioſa: quæ tamen perfectis, virtuoſis, purgatis, diuiníſque viris, ac feruenter Deum amantibus lata eſt, facilis,

facilis,atque dulciſſima,ita vt per eam potiùs currant, quàm eant. Vnde vir ſanctus fatetur: Viam mandatorum tuorum cucurri,cùm dilataſti cor meum. Et denuò, Ambulabam, inquit, in latitudine, quia mandata tua exquiſiui. Porrò nulla forma nullúſque habitus promptiùs, aut delectabiliùs operatur, quàm amor: quoniã amor ex propria natura & ratione inclinat & trahit amantem ad actum: propter quod ponderi comparatur. Cùm ergo omnium actuum meritoriorum cauſa directrix, ac imperatrix ſit charitas, quæ animæ vita vocatur, & ſine qua nihil eſt meritorium:palàm eſt.quòd quanto inDei amore profecimus:tanto ea,quę Dei ſunt, delectabiliùs exercemus, ea quoque quæ mundi ſunt, cordialiùs abhorremus. Imò feruido amatori nil prorſus iucundius quàm aliquid facere pro dilecto. Hinc Rabanus: Nil durum, inquit, nil graue, nil aſperum, nil letale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna,quę mortes amorem perfectum poterunt ſuperare? Si amor eſt, omnia vincit,nec ſentit laborem. Theſaurus indeficiens eſt amor Dei,quem qui habet, diues eſt: quo qui caret, egenus eſt. Proinde tantò magis delectat opus bonum, diſpli-

Bernard.

cétque peccatum, quanto amplius diligitur Deus ſummum & incommutabile bonum. Ariſtoteles quoque teſtatur, quòd ſignum virtutis eſt delectatio fiens in opere. Idcircò quo virtuoſiores efficimur, eo pleniùs in bonis actibus delectamur. Iterum ſicut natura eſt naturalium operationum principium, ſic gratia Dei gratificans eſt omnium meritoriorum actuum primum, formale immediatum, intrinſecúmque principium. Quemadmodum ergo bene diſpoſiti in natura faciliter & iucundè opera naturæ exercent, ſic cùm homo in gratia Dei cœperit abundare, omne opus Dei quotidie magis hilariter implet. Quod quidem mitibus, atque humilibus præcipuè ſolet euenire. Hinc
Bernard. ait Bernard. Nil arduum humilibus, nihil aſperum mitibus. Et facilè omnia præcepta veniunt in affectu, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium. Nec dura ibi neceſſitate ſeruitur, vbi diligitur quod iubetur. At verò ſi profundè ac ſapienter recogitemus nos pro Deo altiſſimo operari, quæ agimus, nil vltra arctum, aut arduum arbitrabimur: imo ſi pro eo omnes moriamur, omnéſque virtutes iugiter exequamur, nil dignum gerimus ad ea, quæ ab ipſo per-

cepi

cepimus. Propterea dicit Grego. Si mens *Grego.*
forti intentione in Deum dirigitur, quicquid ſibi in hac vita amarum occurrit, dulcæ æſtimat. Omne, quòd affligit, requiem putat. Conſtat prætereà, quòd quãto anima fortius intenta eſt vni alicui, tanto intentio eius circa aliud magis remittitur. Quemadmodum ergo ſæculi amatores, qui ſe penitùs implicant mundo, & tranſitoriis toti occupantur, ſpiritalia, & diuina omnino faſtidiunt, diuinum obſequium ſine affectu & guſtu feſtiuanter perſoluunt: Sic Dei amatores, qui prorſus ſe diuinis mancipant, & integerrima mente Deo inhærere, vacare, vniri exoptant, ea, quæ mundi ſunt, vehementer faſtidiunt, deteſtant, refugiunt, in laudibus Dei inceſſabiliter occupari gaudent & cupiunt, arctámque viam de- *Cant.8.*
litiosè incedunt. Hoc eſt, quod ſanctus *Gregor.*
conteſtatur Gregorius, Fortis eſt vt mors dilectio. Quoniam inquit ſicut mors corpus interimit, ſic ab amore temporalium rerum, ſpe vitæ æternæ, charitas Dei occidit. Quem enim perfectè abſorbuerit, ad terrena foris deſideria velut inſenſibilem reddit. Et iterum: Neceſſe eſt, vt cui Chriſtus dulceſcit, mundus protinus amareſcat. Hæc ideò dixi vt te, quàm di-

lectiſſime frater, à mundi amore auertam, atque ad ſynceriſſimam in Deo delectationem inuitem, ad ſtatum perfectionis alliciam, atque ad expediendum quàm dulcis eſt Deus, quàm dulce ſit ei familiariter adhærere, feruenter ſeruire, inducam, vt ſis non iam duntaxat ſeruus, ſed & amicus, dilectúsque filius creatoris tui, ac ſaluatoris. Hoc enim plus appetendum eſt tibi, quàm vniuerſus hic mundus, cum omni ſuo ornatu & gloria. Spero quòd Dominus dabit tibi de his omnibus intellectũ. Non enim præſumo exhortationẽ meam tibi in aliquod profuturam, niſi adſit ſpiritus ſãctus donans guſtum & ſapientiã per inſpirationem occultã. Quemadmodum ſcriptũ eſt: Inſpiratio omnipotẽtis dat intelligentiã.

Quid ſit contemnere, relinquere, & non diligere mundum. Et qui in tali loquutione nomine mundi deſignetur.

ART. VIII.

AMicitia huius mundi inimica eſt Deo. Si quis ergo voluerit amicus fieri mundi huius, inimicus Dei conſtituetur. Quemadmodum Augu. teſtatur: Sola dilectio diſtinguit inter filios Dei, & filios diaboli. In filiis etenim Dei regnat & præualet amor diuinus, ac ſpiritualis, per quem ad cæleſtia iugiter tendunt. In

filiis

filijs verò diaboli, regnat & præualet amor mundi, amor priuatus, improbus, & inordinatus, qui diuinæ charitatis eſt venenum. Tota ergo ſacra ſcriptura hortatur nos ad priuati atque mundani amoris extirpationē, & itē ad proficiendum in dilectione Dei, ac proximi. Porrò priuatus eſt amor, quo ad nos ipſos vitiosè reflectimus: ea videlicet appetendo, quę noſtrę naturę vtilia, ſeu delectabilia ſunt in ordine ad ſeipſam, nō quantum ad Deum, vt ſunt mundi deliciæ, atque diuitiæ, honores laudes: cæteraque mundana ſimilia. Qui autem diligit ſe verè in Deo, omnia iſta contemnit & abijcit, quantū ad vſum ſuperfluum, vel quantum ad plenariam abnegationem. Sed, quoniam omnis creatura Dei eſt bona, ideoque amanda, iubemurque inimicos diligere, nec quenquam debemus contemnere niſi nos ipſos. Eſaia dicente: Væ, qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Hinc igitur habet quæſtionem, quomodo intelligendum ſit, quòd ſcriptura præcipit nos mundum odiſſe, ac ſpernere. Denique ſi omnis, qui diligit mundum, Dei inimicus efficitur: videtur quòd mundi contemptus ſit de neceſſitate ſalutis. Ex quo vltra inferre quis poſſet, quòd omnes ſeculares, & coniugati eſſent in ſtatu dam-

nationis. Ad horum ſolutionem habendam aduertendum, quòd mundus diuerſis modis accipitur, tam à philoſophis, quàm theologis. Nam & quidam philoſophorum, videlicet Plato, & Pythagoras, diſcipulos ſuos ad mundi hortabantur conceptum. Primò igitur mundus accipitur pro elemento terræ, ſeu orbe terrarum Sic ſumitur in Euangelio, vbi loquitur Chriſtus Apoſt. Euntes in mundum vniuerſum, prędicate Euangeliũ omni creaturæ. Sic quoque dicunt philoſophi, quòd minima ſtella cœli maior eſt toto mundo. Secundò accipitur mundus pro tota regione elementari, atque mixtorũ. De quo accipi poteſt illud Apoſto. 1. Corinth. 7. Præterit figura huius mundi. Iuxta hunc ſenſum dicit philoſophorum princeps: Oportet hunc mundum contiguum eſſe lationibus ſuperiorum, vt tota virtus eius inde gubernetur. Tertiò mundus accipitur pro tota ſubſtantia corporali creata. Sic Plato in Timæo tractat de productione mundi ſenſibilis. Quartò ſumitur mundus pro toto vniuerſo, in quo viſibilia & inuiſibilia, ſeparatæ ſubſtantiæ, & materiales comprehenduntur. De quo accipi poteſt illud: Mundus per ipſum factus eſt. Sicque Philoſophus ait, Extra

mun

mundũ nihil eſt. Quintò, accipitur mundus pro hominibus in mundo hoc inferiori manentibus, ſeu pro toto genere humano. De quo dicit Apoſto. Omnis (ſeu totus) Mundus ſubditus ſit Deo. Et Chriſtus: Prædicabitus hoc Euangelium regni in vniuerſo mundo. Sextò, accipitur mundus pro electis, & prædeſtinatis hominibus. De quo legitur: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Septimò mundus accipitur pro præſcitis, peruerſis, & reprobis. De quo Chriſtus ait ad Iudæos: Vos de hoc mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo, id eſt, de numero impiorum hominum mundanâ ac vanâ vitam ducentium, de quorum numero eſtis vos. Itémque ad Apoſt. Quia de mundo non eſtis, ſed quia ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Hoc modo mundus frequẽter magis accipitur in ſcripturis, præſertim in Euãgelio, atque epiſtolis S. Ioannis. Poſtremò Hugo in libro, quem de mundi vanitate compoſuit, accipit mundũ pro mutabilitate conuerſationis humanæ in mundo iſto. Quum ergo ſcriptura diuina iubet mundum contemni, odióque haberi, iuxta illud: Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo ſunt, per mundum mundum

intelligendi ſunt homines mundani, & vani tranſitorijs, non diuinis intenti: bona quoque terrena, & ea, quæ mũdani reputãt magna, vt ſunt temporaliter proſperari, carnaliter deliciari, laudari, ac honorari, ditari, ac ſublimari: omnia iſta, & ſenſibilia, & temporalia, vniuerſa contemnenda, odiendaque ſunt, nõ quantum ad id, quod eſſentialiter ſunt, ſed in quantum in via Dei nobis obſiſtunt, iterque noſtrum ad patriam impediunt, aut retardant, & ne eis finaliter inhæreamus, quemadmodum hi, qui in bonis creatis caducis, ſibi finem conſtituunt, ea magis quàm Deum quęrendo, amando, cogitando, optando. Cùm ergo videmus quempiam in ſeculo iſto multipliciter proſperari, atque ad libitum conuerſari, non reputemus, non magnificemus, non affectemus huiuſmodi vitam, nec talem hominem magni pendamus, ſed potius vilipendamus, non odiendo naturã, neque ſpernendo abſolutè perſonam, ſed vitia eius, & eum quãtum ad illa, per quæ elongatur à Deo æterno, ac adorando. Vnde de viro iuſto cantamus: Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autẽ dominũ glorificat. Sic quoque Ariſt. in Ethicis ait: Quòd magnanimus eſt contemptiuus: quoniam

Mundana quomodo odio habenda.

Pſal. 14.

Ariſtot.

quoniam paruipendit aliquos, in quãtum viliter viuunt. Nihilominus; perſonis iniquis, quantum ad id quod ſunt, charitatis, & piæ compaſſionis affectum debemus impendere tantò ampliùs, quantò videmus eos plus implicari, & obtenebrari, florere, gaudere, & exaltari in ſeculo iſto. Propter quod dicit Heron. peccatores tunc perpendimus magis miſeros, quando conſpicimus eos in culpis ſuis ſine pœna relictos. Imo, vt idem ait glorioſus Hieron, atque Ambro. Nullum eſt certius ſignum reprobationis diuinæ, & damnationis futuræ, quàm proſperari & ſine flagello eſſe in vita præſenti, præſertim cùm Dominus dicat. Ego, quos amo, arguo, & caſtigo. Nunc conſiderare incumbit, quomodo contemptus & odium mundi ſit de neceſſitate ſalutis. Niſi enim alioquo modo eſſet de neceſſitate ſalutis, non dixiſſet S. Ioan. Si quis diligit mundũ, non eſt charitas Dei patris in eo. Itaque aduertẽdum quòd duo ſunt gradus odiendi, contemnẽdíque mundum, loquendo in genere. Primus eſt vt mundus, & ea, quæ mundi ſunt, contemnãtur, ac odio habeantur, inquantũ directè à Deo impediũt, & auartũt, hoc eſt ne ſuper contra Deũ amẽtur, ne eis contra diuina præcepta quis cõformetur,

Hiero.

Idem. *Ambroſ.*

Apoc. 3.

1. Ioan. 2.

Quibus modis odio habẽdus ſit mundus.

aut

Mundum odiſſe, quod ſit de neceſſitate ſalutis.

aut acquieſcat, ne bona terrena cæleſtibus præferat bonis, nec laudes, honoréſque tẽporales cæleſtibus anteponat, ne vitam præſentẽ amet amplius, quàm futurã. Hoc modo contẽptus & odiũ mundi eſt de neceſſitate ſalutis ita quòd vnuſquiſque tenetur ſic contemnere mundũ, tam ſolutus quàm coniugatus Quod non mediocriter opinor difficile his, qui conuerſantur in mundo. Secundus verò gradus cõtemnendi mundũ eſt per plenam omnium mũdanorum abnegationẽ, vt quis diuitias, delitiáſque mundi abiiciens, Deo in voluntaria paupertate, & vera caſtitate eligat deſeruire. Sic mundũ contemnere, eſt tẽporalibus rebus, ſeculi pompis, ſecularibus moribus, ac dignitatibus renunciare, omnem ſeculi vanitatem deſpicere, per viam conſiliorum Dei incedere. Quod qui fecerit, certum eſt, quòd mundanis hominibus diſplicebit. Quoniam ſicut ſimilitudo eſt cauſa amoris, & cõplacẽtiæ, ſic diſſimilitudo diſplicẽtiæ eſt origo, auerſioniſque mater. Hinc clamat, & Apoſt. an quæro hominibus placere? Si hominibus adhuc placerẽ, Chriſti ſeruus non eſſem. Et item Pſal. Deus, inquit, diſſipauit oſſa eorũ, qui hominibus placẽt. Confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Nónne horribile nimis

eſt

eſt verbũ hoc?Quid enim tam formidoloſum,vt ſperni à Deo,cùm Salo.dicat:Cõſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere,quẽ ille deſpexerit?Hoc modo mundum contẽnere,eſt vniuerſa mundana,caduca,& vana nõ ſolũ deſpicere,in quãtum directè,ſed etiã in quantum occaſionaliter à Deo impediũt.creaturæ namque, Sapiẽte teſtãte, ſunt in tẽtationem animę hominũ, & in muſcipulã pedibus inſipientium: nõ vtique directè,quia vt Salo.docet,opera ſua fecit Deus,vt timeatur:ſed occaſionaliter, inquantum ſcilicet reprobi creaturarũ decore & vtilitate inaniter delectati,ibi ſubſiſtunt,finalitérque quieſcũt, nec talia ad gloriam referunt creatoris,qui ſolus eſt omnium noſtrum vltimus finis. Hinc ait Iſidorus: Meliùs eſt habere odiũ malorum, quàm conſortium. Sicut enim multa bona affert communis vita ſanctorum, ſic plurima mala affert ſocietas iniquorum. Porrò in huius proceſſu opuſculi principaliter loqui intendo de contemptu mundi ſecundo modo, provt ſcilicet ſtatum perfectionis, obſeruantiáque conſiliorum concernit.Interdum tamẽ aliqua introducam de mundi contemptu primo modo accepto, provt eſt de neceſſitate ſalutis & obſeruantia præceptorum.

Eccleſ. 7. *Sap.* 14. *Eccleſ.* 3. *Iſidorus.*

De DI

De triplici motiuo contemptus mundi in generali.

ART. IX.

Thren. 3. PArs mea Dominus; dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quęrenti illum. *Ecclеſ. 4.* Quemadmodum ait ſcriptura, Funiculus triplex difficile rumpitur. Triplici ergo motiuo, tripartitáque via monſtrãdum eſt, quàm ſanctum diuinum, ac meritorium, quàm ſalubre, nobile, expediénſque ſit mundum, & ea, quę mundi ſunt perfectè contemnere. *Quæ inducere nos debeant ad odium mundi.* Quædam ergo rationes motiuæ, ſeu viæ huius beati contemptus ſumuntur ex parte Dei, quædam ex parte noſtri. & quædam ex parte mundi. De quibus ſeriatim ac ordinatè tractãdum eſt. Itaque ex parte Dei ad mundi cõtemptum nos inducere debet. Primo amor & bonitas Dei glorioſi, & benedicti. Secundò zelus diuini honoris, hoc eſt ingens affectio honorandi Deum perfectè, quantum poſſibile eſt. Tertiò exhibitio beneficiorum ipſius Dei. Quartò conſideratio promiſſorum eius. *Ioan. 8.* Quintò quòd Deus ipſe in propria perſona hoc ipſum conſuluit. Sextò, quòd ipſe id fecit. De alijs autem infrà dicetur.

Quòd

Quòd propter bonitatem Dei, & eius amorem, induci debeat homo ad mundi contemptum.

ART. X.

NOmen tuum,& memoriale tuũ Domine in deſiderio animæ. *Eſa. 26.* Anima mea deſiderauit te in nocte ſed & ſpiritus meus in præcordijs meis de mane vigilabit ad te. Cùm bonũ ſit appetitus obiectũ, ſicut Deus ſublimis eſt bonitas pura, immenſa, perfecta, ſic ipſe eſt in infinitũ deſiderabilis,atq; amabilis:ita vt eũ prę omnibus incõparabiliter amare debeamus. Vnde quicquid ab eius amore,aut ipſius amoris feruore impedit,auertit,retardat, iuſtũ eſt ſpernere,abnegare,relinquere. Porrò à Dei amore, ac bonitate præſertim impediũt,ſeu auertũt nos mũdus,& ea quę mũdi ſunt. Propter quod ait Gregorius: Tãtò à ſuperno amore diſiungimur, quantò inferius delectamur, *Gregor. Philo.* in terrenis occupamur, ſecularibus implicamur. Virtus namque maior & fortior eſt vnita, quàm diſperſa. Idcircò quo animæ noſtræ affectus magis diſpergitur,atque diuiditur in creaturarũ inordinato amore,ſeu mũdana affectione, eo ad diligẽdum Deũ debilior, frigidior. tenebroſior, & ineptior redditur. Propter quod dicit Chryſo. Pro quanta parte *Chryſ.*

eſt

eſt cor tuum ad aliquam rem, pro tãto eſt minus ad Deum. Quid enim ſunt iſta terrena, & carnalia, niſi onera quædam grauiſſima affectũ hominis deorſum trahentia à ſupernorum intuitu, & affectu impeditiua? Totum ergo cor noſtrũ extẽdamus ad Deum, tota mẽte feramur in eũ, ipſe ſit nobis cauſa & ratio diligendi omnia alia: ita vt nihil in creaturis amemus, niſi in quãtum eſt nobis mediũ quoddã tendendi ad Deum, hoc eſt, in quãtum eſt nobis neceſſariũ, vel vtile in via ad patriam Cęterũ tam feruenter afficiamur ad Deum, eiúsq; amorem dulciſſimum tanti æſtimemus, vt cætera omnia, & cuncta, vana ac tranſitoria arbitremur, & aſpernemur tanquam viliſſima ſtercora eo quòd Deus omnipotens, & æternus ſit omnibus prorſus in infinitum pretioſior, appetibilior, glorioſior, dulcior, pulchrior, atque in omni bonitate, perfectione, nobilitate, præſtantior. *Philip. 3.* Itaque animæ noſtræ in diuinæ maieſtatis contemplatione ſuſpenſæ anguſta ſit omnis creatura. Videat totum vniuerſum reſpectu incircunſcriptibilis Dei eſſe velut imperceptibile punctum; nec alicuius reputationis, aut amabilitatis, ita vt nec dignum ducat tranſitoria iſta aſpicere, ſed tota transformetur, inflammetur, ſtabiliatur,

liatur, liquefiat, & abſorbeatur in Deum: dicens cum ſancto: Deus cordis mei, & *Pſal.72.*
pars mea Deus in ęternum. Et iterum, Di- *Pſal. 17.*
ligam te Domine fortitudo mea. Itémque
cum Apo. Scio quòd neque mors, neque *Rom.8.*
vita neque creatura aliqua poterit me ſeparare à charitate Dei. Intueamur quàm vile ſit pro deliciis mortalis ac miſeræ carnis, pro humana laude & gloria, pro temporali honore, ab hoc ſupereſſentiali, incommutabili, & incomprehenſibili bono auerti, aut retardari. Efficiamur cæleſtes, deiformes, ac deificati, familiares, ac
intimi Deo viuenti. Quid nobis, & iſtis *1.Cor.6.*
terrenis, qui ad imaginem ſupernæ ſanctæ trinitatis ſumus creati, Chriſti ſanguine liberati, ad angelicæ beatitudinis
æqualitatem vocati? Deſpiciamus ergo *Gen. 1.*
hæc omnia, & in illo vno, quod ſolum ne- *Apoc. 1.*
ceſſarium eſt, fixa, atque collecta ſit tota *Luc.10.*
occupatio, intentio, & affectio noſtra.
Quemadmodum admonet Auguſtin. Vt *Auguſt.*
homo conuertat ſe ad illum à quo creatus eſt. Recedendo enim frigeſcit, accedendo ferueſcit: recedendo tenebreſcit, accedendo clareſcit A quo enim habet vt ſit, apud illum habet, vt benè ſit. Ipſe enim dominus Deus noſter eſt ſumma & vera ſuauitas, omni ſuauitate dulcior, omni

luce clarior, omni ſecreto interior, omni honore ſublimior. Ipſe inſuper vita puriſſima, à quo auerti, eſt cadere, ad quem cõuerti, eſt ſurgere, in quo manere, eſt verè conſiſtere: in quo habitare, eſt viuere. Prætereà ſicut frumentum in terra putreſcit, in ſuperioribus verò locis conſeruatur illæſum, ſic non putreſcit cor noſtrum, ſi eleuatur ad Deum. Si verò deprimatur in rebus terrenis, putreſcit continuò. Cupio ergo te frater præamande, amore bonitatis diuinæ affectu proficiendi in diuinitatis dilectione, deſiderio tam contemplatiuæ theoricæ ac nobiliſſimæ vitæ tranſitoria cuncta calcare, omnem mundi ornatum horrere, ſoli Deo tota mente vacare. Quod fieri nequit, niſi corporales deſicias, vanitates mundanas, ac proprias libertates omnino contemnas, prout etiam *Caſsian.* Caſsianus teſtatur. Nunquam affectus noſter ad deſiderium ęternorum perfectè accenditur, nec intellectus noſter ad cõtemplationem cæleſtium perfectè acuitur, niſi cura carnis fortiter refrænetur. O dilecte, ſi diues vis eſſe, & infiniti boni poſſeſſor conſiſtere, audi conſilium Sancti *Ambroſ.* Ambroſij. Qui vult, inquit, Deum poſsidere, renunciet mundo, vt ſit illi Deus beata poſſeſsio. Quantum moreris mundo, tant

tantum viuis Deo,& quantum viuis mundo tantum es mortuus Deo. Denique qui diligit mundum, diligit inimicum,& proditorem amplexatur immundum, & amat periculum ſuum Ideò Auguſtinus, Si delectat te, inquit, hic mundus, ſemper vis eſſe immundus. Et rurſus, Si amas mundum,abſorbebit te totum. Poſtremò Deũ ſummè debemus amare. Primò, propter ſuam bonitatem immẽſam. Secundò,quoniam ipſe prior dilexit nos. Tertiò, quoniam multa nobis beneficia iam impendit. Quartò, quoniam ampliora dare in patria decreuit, atque promiſit. Ad huius charitatis feruorem extendamus nos ſemper quoniam iuxta doctrinam Auguſtini non numeroſitas operum, non diuturnitas temporum,ſed maior charitas,meliórque voluntas auget meritum: Si quidem quod patet, & quod latet in diuinis codicibus tenet, qui charitatem ſeruat in moribus. Ipſa namque aperit,capacémque efficit mentem amatis amari. O Domine Deus meus, tu charitas es, tu amor qui nunquam extingueris, tu cor meum accende,tu illud inæbria. Quid volutor,quid diſcurro de vno in aliud? quid vagor per multa? Nónne in te ſolo, ô Deus ſancte, ac adorande, Deus fortis & glorioſe,

Auguſt. *Auguſt.* *1. Cor. 13*

eſt omnium bonorum, omniumque pulchrorum, & deſiderabilium perfecta poſſeſſio, incomprehenſibilis plenitudo, opulentia quomodolibet infinita? Quid ergo præſtantius, quid amabilius te putaui, vt abſtraherem cor meum à te, & ad caduca illud conuerterem, concupiſcendo quicquam extra,& contra te? Vbi eram, cùm tecum non eram? quò defluxerunt affectus mei, cùm te ſolum non deſiderauerunt? Deus vitæ meæ, quàm vanè conſumpta,& infructuosè dilapſa ſunt tempora mea, in
Pſal. 42. quibus ſine fructu vixi coram te. Verum deinceps immobilitetur anima mea in te, quatenus ſicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſideret anima mea ad te Deus.

Inductio ad contemptum mundi ex zelo honoris Dei. ART. XI.

1 Reg. 2. QVicunque glorificauerit me, glorificabo eum, ait Dominus. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ex Dei dilectione procedit, & oritur zelus diuini honoris, ſeu ingens affectio honorandi Deum. Quem zelum habebat Helias
Reg. 16. cùm diceret, Zelo zelatus ſum pro Domino. Quo enim ardentius Deum amamus, eo intentius cupimus ipſum venerari in omnibus, alios quoque ad Dei venerationem

tionem inducere. Etenim ſicut Deus ratione ſuæ immenſæ bonitatis eſt infinitæ amabilitatis, ita vt nullus poſſit eum in tantum diligere, quantum ipſe eſt dignus amari, ſed in infinitum hinc deficit, ſic Deus ratione ſuæ maieſtatis, dignitatis, ac ſanctitatis immenſæ, eſt honorabilitatis infinitæ, ita quòd omnis creatura in infinitum ſuccumbit ab exhibitione reuerentiæ, qua ipſe Deus dignus eſt, quantum ex parte ipſius. Hoc viri ſancti profundè penſantes, omnem conuerſationem ſuam quantuncunq; perfectã nullius arbitrantur momenti, & dicunt doctores: Potiùs deberet homo mortẽ ſubire, quàm vnum veniale peccatum, quantuncunque minutum, committere: præſertim cùm peccatum, in quantum diuinæ derogat maieſtati immenſæ, ſi enormitatis quodammodo infinitę. Cùm itaque Deum tanto excellentiùs honoremus, quantò dignitatis eius intuitu cuncta caduca, vana, & trãſitoria cordialiùs aſpernamur, atque relinquimus: quatenus ab omnibus abſoluti, & exonerati, tota, pura, ac libera mente diuinę maieſtatis venerationi, & cultui inſiſtamus, pateſcit, quòd ij, qui zelo honorandi Deum, mundum prorſus contemnunt, ac deſerunt, Deum eminenter ho-

norant. Idcircò merentur ab ipſo præclariſſimè honorari, glorificari, extolli. Porrò quo minus ſe occupat homo in multis, eò perfectiùs intentus eſt vnienti altiſſimo, ſicque ſublimiùs, diuturniùs, atque ſynceriùs laudibus Dei, & cæteris latriæ actibus valet vacare, cunctíſque virtutibus ordinatè inſiſtere. Dicit inſuper Salomon: Honora Deum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum. Si ergo ad
Prou. 5. Dei honorationem pertinet partem aliquam exteriorum honorum Deo offerre, vtique incomparabiliter plus ad eius ſpectat honorem, omnia pro eius veneratione & gloria ſponte deſerere, & ſeipſum Deo totaliter ac deuotè offerre. Quod agunt, qui mundum præfato modo contemnunt. Vt igitur poſſis diuinæ maieſtatis cultui, venerationi, ac laudi, quantum poſſibile eſt, inceſſanter inſiſtere, in eius amoroſa contemplatione tranquilla mente quieſcere, eius beatitudini filialiter congaudere, omne temporis vitæ tuæ momentum virtuosè expendere, opto te, frater dilecte, mundum plenè deſpicere, vniuerſa hæc mutabilia nobili mente tranſcendere, ad honorandum Deum cordialiter æſtuare. Nónne infinita eſt vilitas & contemptibilitas huius mundi,
compa

comparatione ſummi & incommutabilis boni? Nónne demùm putas indignum occaſione occupationis terrenę ſæcularisque vitæ, à diuinitatis obſequio, ab honore diuino elongari, aut impediri, & propter vaniſsimas mundanæ conuerſationis libertates, atque illicitas actiones, à tam diuinis theologicarum, ac cæterarum virtutum exercitijs abſtrahi? Poſtremò, ſi modo nunc dicto glorificaueris Deum, deſpiciens mundum, vtique Deus honorabit te honore præcipuo, quemadmodum in Eſaia habetur: Si glorificaueris dominum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, tunc requiem dabit tibi dominus, & implebit ſplendoribus animam tuam, tunc delectaberis ſuper dominum, & tollet te ſuper altitudinem terræ. Hinc dicit ſanctus Hilarius: Hoc potiſsimùm debeo Deo, vt eum omnis virtus, ſenſus, & ſubſtantia mea loquantur. Ad hoc enim corpus, & corporis mēbra, animam, & animæ vires à Deo ſuſcepimus, vt eum per hæc omnia colamus ac veneremur. Propter quod dicit Apoſtolus, Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Hoc autem eſt Deum digniſ-

1. Reg. 2.

Eſaiæ 58

Hilarius.

Rom. 5

ſimè honorare, facere ad eius honorem quicquid poſſibile, eique placitũ eſt, & tamen humiliter confiteri, quòd dignum nihil agamus. Propterea ſcriptum eſt: Glorificate dominum quantũcunque poteritis, ſuperualebit adhuc: maior eſt enim omni laude. Sic ergo, chariſſime, teipſum & omnia tua, corpus, & animã, interiora, & exteriora diuino obſequio mancipare ne differas, ne Dei donis abutens, per hæc dæmonijs & peccatis deſeruias. Qui enim vitijs ſeruit, dæmonis ſeruus eſt.

Eccl. 43. *Ioan. 8.*

Quòd conſideratio beneficiorum Dei, præſertim paßionis Chriſti, ad mundi contemptum nos debet inducere. ART. XII.

Eſaiæ 63. MIſerationum Domini recordabor, laudẽ Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis, & quæ largitus eſt nobis ſecundùm indulgentiam ſuã. Si ſcire volumus, quanta ſolicitudine viam ſalutis quęrere atq; incedere, omnia vana, mundíque gaudia ſpernere debeamus, ſapienter penſemus, quid ipſe vnigenitus Dei verus Deus pro noſtra ſalute aſſumpſit, fecit, & pertulit. Cùm namque ſit ipſe ſapientia Dei patris, ſapientia vtique increata, æterna, genita, & immenſa, non ſine condigna cauſa, & maxima ratione pro nobis tanta aſſumpſit, egit, & paſſus eſt.

Quoniam

Quoniam itaque pro noſtra ſalute vnicus Dei filius, Deus omnipotens, & perfectus, humanam naturā aſſumpſit, in mundo tot conuerſatus eſt annis, tantos pro noſtri inſtructione & redemptione labores ſubſtinuit, & demùm acerbiſſimam mortem perpeſſus eſt, non negligamus noſipſos, nec propriam paruipendamus ſalutem. Non putemus nos remiſsè, & ſuperficie tenus operando, mundi vanitatibus inhiando, intimoratè viuendo, poſſe ſaluari. Non ſic æterna pœna euaditur, nec beatitudo cęleſtis acquiritur. Chriſtus ſiquidem paſſus eſt, & crucifixus, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Neceſſe eſt ergo, vt eius paſſioni conformemur, eíque commoriamur. Nam
qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſi- 1 Io. 2.
cut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Hinc
dicit Apoſtolus: Si commortui ſumus, & 2. Tim. 2.
conregnabimus. Et iterum, imitatores Dei Epheſ. 5.
eſtote, ſicut filij chariſſimi. Sed quid eſt Chriſti paſſioni conformari, Chriſtóque
commori, & eius veſtigia ſequi, niſi vani- Pſal. 118.
tates & vitia mortificare, diuino timore corpus configere, libertatem propriam ſub diuinæ legis præceptis fortiter coarctare; diuinæ voluntati noſtram in omni-
bus ſubdere? Cùm ergo credamus Deum Zach. 9.

& Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in mundo hoc in omni paupertate, & patiẽtia, in omni humilitate, & manſuetudine, *Matt.* 11. in omni charitate, & perfectione vixiſſe, innumerabiles irriſiones, contumelias, blaſphemias, labores, & fatigationes patientiſsimè pertuliſſe, & tandem amariſ- *Iob.* 19. ſimum genus mortis ſubiiſſe, indecentiſſimum arbitremur, vt domino ſic conuerſato, afflicto, occiſo, ſeruus eius in deliciis *Iob.* 13. viuat, in diuitiis gaudeat, in mundi vanitatibus ſe oblectet. Non enim eſt ſer- *Grego.* uus maior domino ſuo. Hinc dicit Grego. Nihil tam graue, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſsio ad memoriam reuocetur. Præterea audi ſan- *Bernard.* ctum deuotiſsimúmque Bernardum in perſona Chriſti te alloquentem: O homo, vide quæ pro te patior. Non eſt dolor ſicut dolor, quo crucior. Ad te clamo, qui pro te patior. Vide pœnas, quibus pro te afficior, vide clauos, quibus confodior, vide quomodo toto corpore pro te extendor. Et cùm ſit tantus dolor exterior, intus eſt planctus grauior: cùm te tam ingratum experior. Si iſta, mi dilecte, intenta mente perpendis, mundum contemnis, concupiſcentias frangis, Chriſtum ſequi deſideras, cuncta, quæ mundi ſunt, toto

corde

corde abhorres, cum his, qui in vanitate ambulant, permanere recuſas. Abſit tamen, vt de tantis Chriſti beneficiis ſis ingratus Ingratus es, ſi non gratias agis. Nec gratias agis, ſi non recogitas, attentis, & recognoſcis. Cùm maxima ingratitudinis pars (iuxta Senecam) ſit beneficij collati obliuio. Omni itaq; die recogita, quid ipſemet Deus pro tua ſalute fecit, & pertulit Præterea alia beneficia Dei nobis exhibita adeò multa & magna, & penè innumerabilia ſunt: vt ex conſideratione eorum merito accendi debeamus diuino amore, & zelo honorandi Deum cum omni deuotione, affectu quoque gratias ſemper agendi, & Deum inceſſanter laudãdi. Nónne à Deo excelſo ſuſcepimus quicquid ſumus, ſiue habemus, bona fortunæ, dona naturæ, eſſe, viuere, ſentire, intelligere, munera gratiæ, fidem, ſpem, charitatem, ſeptem dona ſpiritus ſancti, ſacramenta eccleſiæ, ſuper digniſsimum ſacramentum altaris? Quoties nobis peccantib. Deus clementer pepercit, quàm piè nos præuenit, à quantis peccatis atq; periculis præſeruauit, quanta dona gloriæ nobis promiſit, quot inſuper homines nunc ęternaliter condemnauit, qui minùs quàm nos peccauerunt. Non beneficiorum tantorum

Seneca.

1. Cor. 4.

torum efficiamur immemores. Sed cum Pſalmiſta humili grataque mente dicamus, Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Agamus quoque quod ipſe ait: Benedicam Dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Peſſimum etenim vitium eſt ingratitudo, illa præcipuè, qua Deo liberaliſſimo, immenſæque dignitatis benefactori ſumus ingrati. Si quis tibi manum, aut pedem abſcinderet, quantum diligeres eum, qui amputatum tibi reſtitueret membrum? Si cæcus, mutus, ſurdus, claudúsve eſſes: quantum diligeres, qui naturalem defectum curaret? Quomodo ergo Deum feruenter non diligis, qui vniuerſa bona præfata tibi largitus eſt, & multo maiora ſpopondit? Tanta igitur Dei munificentia, & beneficentia circa te, ad mundi contemptum te incitet, atque ad aggrediendum ea, per quæ Deus potiſſimùm honoratur, inducat. Certum eſt vtique, quòd quanto quis per naturalia dona magis diſpoſitus eſt ad virtutes, eo grauiùs peccat vitiosè, mundanè, inanitérque viuendo. Tu verò in naturalibus optimè es diſpoſitus & ad vniuerſas virtutes, idcirco non parum dolendum exiſtimo, quòd te ad vitam virtuoſam dare retardas.

Pſal. 111. *Pſal. 35.*

Incitatio ad mundi contemptum, ex conſideratione promiſſorum Dei.

ART. XIII.

ID, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ in ſublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis, non cõtemplantibus nobis ea, quæ vidẽtur, ſed quæ non vidẽtur. Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt. Et his B. Pauli verbis, mox innoteſcit, ꝙ tribulatio electorum in vita præſenti, quantumcũque diuturna, grauis, acerbáque fuerit, tamẽ futuræ retributionis, celeſtisque gloriæ reſpectu momentanea fertur, & leuis. Incomprehenſibilis namque, atque perpetua eſt merces futura. Porrò perfectus, puriſſimúsque Dei amator eſt, qui nõ mercedis intuitus, non propriæ vtilitatis affectu, nõ reſpectu ad ſeipſum reflexo Deum diligit, veneratur, & colit, ſed purè propter ipſam Dei incompatibilem bonitatẽ, charitatem, & dignitatem, agit ad eius honorem cum omni diligentia, omne quod poteſt. Verùm, ſi hanc perfectionẽ nondũ ſumus aſſequuti, ſi tãtam deificæ dilectionis ſynceritatem necdum inuenimur adepti, ſaltem æternæ, & ineffabilis mercedis

2. Cor. 4.

Hiero.

Matt. 6.

nobis

nobis diuinitùs repromiſſæ intuitu agamis viriliter, quicquid Deo placentius, quicquid perfectius, magíſque meritoriũ eſſe cognoſcimus, cõtemnendo hũc mundum, & omnem eius decorem, delectationem, pompam, proſperitatem, & vanitatem, aggrediẽdóque inſuper viá perfectionis, obſeruantiam conſiliorum, vitam religioſam. Denique, cùm Deus æternus ſit liberaliſſima bonitas, ardentiſſima charitas, munificentiſſimus remunerator, ergo rationalis creatura quò plura pro Deo relinquit, ſeipſam puriùs abnegat, ſe ad dona Dei magis diſponit, ſeipſam Deo perfectiùs, integriùs, ac pleniùs offert: eò Deus glorioſus, & pius ſeipſum illi copioſiùs rependit, gratioſiùs infundit, familiariùs ingerit, ſublimiúſque glorificat, multiplicando in ea dona gratiæ in præſenti, & dona gloriæ in futuro. Hinc ſiquidem ſcriptura teſtatur diuina, Si direxit homo ad Deum cor ſuum, ſpiritum illius, & flatum ad ſe trahet. Hinc Deus miſericors, ſanctus, & verax contemptoribus huius mũdi non ſolùm ſpopondit beatificam atque præcipuam glorificationem in patria, ſed copioſam quoque & liberaliſſimam remunerationem in via, præſentíque vita, Vnde ſaluator in euangelio ait: Omnis,

nis,inquit,qui reliquerit patrem, vel matrem,aut fratres, aut agrum, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Quid eſt centuplum accipiet?Hoc eſt, pro bonis exterioribus, carnalibus, temporalibus, quæ reliquit, ſpiritualia bona, gratiæ dona, ſancti ſpiritus munera, temporalibus rebus plus centuplo præſtantiora, recipiet in hac vita: poſt quam æternam poſſeſſurus eſt vitam, & gloriam conſummatam. Si ergo, mi frater adamande, ſpiritualiter, atque veraciter cupis ditari, ſublimari, ac nobilitari, contemne pro Dei amore tranſitoria,& caduca, & quicquid mundani homines, ſpiritum huius mundi non ſpiritum Chriſti habentes, & ob id ad ipſum non pertinentes, magnum, aut appetibile opinantur, tu aſpernare, vt lutum viliſſimum, imo dæmonum laqueum Si hoc egeris,ſpiritus ſancti templum eris, tota ſemper benedicta trinitas animã tuã cum omnibus ſuis diuitiis inhabitabit, Hoc enim filius Dei promiſit dicendo:Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit, &pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Felix anima, in qua pater, filius, & ſpiritus ſanctus morantur. Adhuc audi quid

Chriſtus

Chriſtus contemptoribus mundi promiſit. Vos, inquit, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Hoc eſt, quod Paulus diſſerit: Neſcitis, inquiens, quia ſancti de hoc mundo iudicabunt? Ecce quàm ineffabilis dignitas. Ecce quomodo honorantur à Deo, qui pro eius honore omnia deſerunt. Idcircò ait Gregor. Quiſquis diuini amoris ſtimulo excitatus, hic poſſeſſa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ poteſtatis obtinebit, vt ſimul iudex cum iudice veniat qui conſideratione iudicij ſeſe ſpontanea paupertate caſtigat. Noli ergo pro his breuiſſimo tempore poſſidendis, tãta bona deifica æternaliter permanſura amittere. Ecce Chriſtus loquitur: Ego ſto ad oſtium,
Apoc. 3. & pulſo. Si igitur ianuam cordis tui aperueris ei, acquieſcendo eius conſiliis: intrabit in te, mentem tuam ingrediens cœnabitque tecum, & tu cum eo: ita quòd diuinis conſolationib. te fouebit, ſpiritualibus delitiis adimplebit, & guſtabis, quàm dulcis eſt Deus, quàm magna eſt multitudo dulcedinis eius. Quod ſe-
1. *Pet.* 2. culi amatores guſtare nequeunt. Quippe qui

qui nec ſpiritum ſanctum recipere digni ſunt. Provt ait ſaluator apoſtolis, Ego rogabo patrem, & alium paracletum, ſcilicet ſpiritum ſanctum, dabit vobis, quem mundus non poteſt accipere. Hinc dicit *Ioan.* Bernardus: Præoccupatum ſecularibus deſiderijs delectatio ſancta declinat, nec *Bernard.* miſeri potuerunt vana veris, æterna caducis, ſpiritualia temporalibus, ſumma imis: vt pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſunt ſuper terram. Et Auguſt. *Auguſt.* Si habet animus in quo oblectetur extrinſecus, ſine ſpiritualibus delicijs manet intrinſecus. Hoc eſt reuera quod adeò inſigni verbo glorioſus ait Hieronymus: *Hieron.* Si carni, inquiens, quodlibet abſcindimus, mox in ſpiritu, quod delectat, inuenimus. Si exterior euagatio clauditur, interior ad Deum acceſſus aperitur, Nam quò anima minùs extra ſe ſpargitur, eò per ſpiritualem profectum ampliùs ad ſuperna erigitur. Vt itaque ſpiritualium ſupernaturaliúmque bonorum digniſſimam illam nobilitatem valeas, ſpirituſancto irradiante, ſalubriter contemplari, temporalia & terrena hæc paruipẽde, calca, relinque. Quia, vt Beda fatetur, Qui pręſentibus & caducis delectantur, diuina atque cœleſtia nequeunt contemplari. Qui verò ea tanquã

vmbram & puluerem duxerit, velociùs ad ſpiritualia poterit eleuari. Et nunc, ô dilecte, quoniam diutias, honorem & gloriam diligis, non tibi dicere audeo vt diuitias, honorem, gloriámque nullatenus optes, ſed ne fallaces diuitias, mundanum honorem, gloriámque humanam deſideres, ſed ſpirituales virtutum diuitias cupias, diuinum honorem & gloriam quoque cœleſtem toto cordis affectu requiras. Et verè ditiſſimus eris præ omnibus mundum amantibus. Ideò dicit Hieronymus: Solæ veræ diuitiæ ſunt, quæ nos virtutibus diuites reddunt. Si ergo diues eſſe cupis. veras virtutum diuitias ama. Si culmen honoris quęris, ad cœleſte regnum feſtina. Si gloriam dignitatis deſideras, in ſupernam angelorem curiam aſcribi labora. Hoc eſt ſanè quod dicit Greg. Contemne diuitias, & locuples eris, contemne honores, & eris glorioſus, deſpice temporalem quietem, & habebis æternam Facile contemnit omnia propter Deum, qui ad ſui ipſius peruenit contemptum. Qui hæc fecerit, dicere poterit cum diuino Apoſtolo, Omnia detrimentum feci, vt Chriſtum lucrifaciam.

Hieron. *Gregor.* *Philip. 3.*

Prono

Prouocatio ad mundi contemptum, ex eo quòd ipſemet Chriſtus verus homo & Deus perfectus in propria perſona hoc ipſum conſuluit.

ART. XIIII.

GEns abſque conſilio eſt, & ſine prudẽtia. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Iuxta Philoſophum, addiſcentem oportet credere: Et, *Philoſo.* Eſaia teſtante, Si non crediderimus, non *Eſa.7.* intelligemus. Ideò autem Salo. dicit: Fili *Prou. 1.* mi, audi diſciplinam patris tui. Et iterum ait ſcriptura, Cùm videris ſenſatum, ſtatim euigila ad illum. Et item, Non te prætereat narratio ſeniorum, ſta, & ex corde coniungere ſermonibus ſapientum. Si ergo ſapientibus viris eſt præbendus auditus, ſi eorum verbis credendum eſt, & acquieſcendum eorum conſilijs, nónne incomparabiliter plus credere, conſentire, & acquieſcere congruit ſoli ſapienti Deo, qui eſt ipſa in ſe ſubſiſtens, idealis, ſeparata, æterna ſapientia? Quoniam ipſemet ergo Deus verus, Dei patris vnicus filius, propter nimiam ſuam charitatem qua dilexit nos, deſcendit in mundum, noſtram naturam hypoſtaticè ſeu ſuppoſitaliter aſſumendo, hominibus viſibiliter apparendo, cum eis conuerſando, veſcendo, loquendo, congruentiſſimum eſt vt

eius conſilia diligentiſſimè audiamus, eiſque (ſi res ipſa permittit) acquieſcamus. Porrò Chriſtus (vt conſtat ex dictis) mundi contemptum multipliciter & affatim conſuluit, præmia pollicendo, ſubſidium promittendo, ſeipſum exemplum præbendo, Quod & ſancti apoſtoli & euangeliſtæ clariſſimè docuerunt. Eius ergo conſilio acquieſce, præſertim cùm ſit ipſe via & veritas, qui optimè nouit viæ noſtræ diſcrimina, & quid nobis magis expediat. Cùm ſummè nos diligat, pro quorum ſalute dignatus eſt mori, certiſſimum eſt, quod fideliſſima eius ſint conſilia Efficere ergo eius ſaluberrimam in omnibus aſſequendo doctrinam, vt tãtò beatiùs atq; iucundiùs videar eum in patria, quantò nunc pleniùs credis & acquieſcis ei in via. Denique ſi angelus de cœlo deſcendens tibi viſibiliter appareret ac diceret, Ecce Dei voluntas ſeu conſilium eſt, vt mundum contemnas & ordinem intres, nónne mox acquieſceres? Nunc autem nõ angelus, nõ legatus, ſed ipſemet Deus Deorũ, creator angelorum, dominus vniuerſorum, aduenit, tibi quoque conſilium dedit de mundi
Mat. 19. contemptu perfectioniſque ſtatu. Quod nãque adoleſcenti illi diuini, qui ab exordio iuuentutis ſuæ omnia mãdata decalo-

gi cuſtodiuit, conſulendo dixit ſaluator, Vnũ tibi deeſt: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veniens ſequere me. & habebis theſaurũ in cælo. Hoc idem conſulit tibi, qui fortè mandata diuina ab initio iuuentutis tuæ non obſeruaſti in omnibus. Forſitan dices: Nunquid omnes poſſunt religionem intrare, aut mundum omnino relinquere? Stulta eſt iſta obiectio, conueniens ſtultis & mundanis & vitioſis hominibus. De quibus Salomon loquitur, Stultorum infinitus eſt numerus. Sancti quoque doctores tali obiectioni pleniſſimè reſponderunt, quoniam aliter iudicium eſt de eo quod requiritur ad conſeruationem indiuidui, & de eo quod requiritur ad conſeruationem ſpeciei. Manere autem ſeculo & generare, terrámque colere, nõ ad indiuidui, ſed ſpeciei conſeruationem exigitur. Ideò non oportet vt vnuſquiſque id faciat, nec excuſare ſe debet quiſpiam à perfectionis ſtatu aggrediendo, dummodo aliter idoneus fuerit. Porrò ſi tu religionem intraueris, nunquid ob hoc mundus deficiet? Nunquid propter te derelinquetur terra, aut transferentur rupes de loco ſuo? Sapientiſſimi ergo conſiliarij, qui eſt magni conſilij angelus, acquieſce conſiliis, vt te-

Eccle. 1.

ipſum ab infinitis periculis excutere poſſis, viámque compendioſorem, tutiorem, & tranquilliorem, ac magis meritoriam ambulare, donec gaudiũ domini Dei tui merearis intrare.

De mundi contemptu, exemplo Christi.

ART. XV.

Ioan. 8. Locutus eſt Ieſus, Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Quemadmodum Leo papa ſcitiſſimè aſſerit, Tota victoria ſaluatoris, qua & diabolum ſuperauit & mundum, humilitate eſt conſepta, humilitate confecta. Chriſtus

Bernar. inſuper, ſicut ait Bernardus, in omnibus id elegit, quod carni moleſtius eſt, & quod humilitatem magis prætendit. Nam & pauperem matrem elegit, de qua medio hyemis, medio noctis, alieno in loco vel in ſtabulo, voluit naſci. Natus quoque inuolutus eſt pannis, & in præſepio inclinatus. Inſuper cùm eſſet diues & ſuperditiſſimus, ceu verus, ſummus, omnipotens Deus, propter nos factus eſt pauper, & adeò pauper, vt dicat: Volucres cæli nidos habent, & vulpes foueas, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Quantas verò à Iudæis paſſus eſt

perſe

perſecutiones euangeliſtę teſtantur. Iam ſi quidem dixerunt ei dæmonium habet. & inſanit homo vorax, potator vini, amicus publicanorum. In principe dæmoniorum eijcit dæmones. Non eſt hic homo à Deo, & nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. Nunquid interficiet ſemetipſum? Iam volebant eum præcipitare, iam lapidare, tandem turpiſſima eum morte peremerunt. Sed quid in omnibus his egit innocens Dei agnus, filius patris æterni: Patiẽtiam habuit, reddidit bona pro malis, verbum ſalutis loquebatur ingratis, pro crucifixoribus exorauit, tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit Coram Pilato inſuper & Herode falſiſſimè accuſatus nihil reſpondit. Factus eſt Deo patri obediens vſque ad mortem Seipſum dedit pro nobis oblationem & hoſtiam. Vulneratus eſt propter peccata noſtra, catenúſque in cruce diſtentus, diris clauis confixus, vt dinumerarentur omnia eius oſſa. Sícque oportuit Chriſtum pati, & intrare in gloriam ſuam. Quid ergo nobis incumbit, ſi veri Chriſtiani, & de numero ſaluandorum eſſe optamus? niſi vt Chriſti paupertatẽ vtcunque eius humilitatẽ, patientiã, charitatẽ ſectemur, proprium cor-

Ioan. 10.
Mat. 11.
Eſaia 54.
Mat. 15.

pus per opera pœnitentiæ caſtigemus, carnem noſtram cum vitijs & concupiſcentijs crucifigamus, arctam viam cum ſolicitudine & timore incedere feſtinemus, non vincamur à malo, ſed malum in bono vincamus, nulli malum pro malo reddamus, non in delicijs miſerabilem carnem noſtrã alamus, nulli leuitati, vanitati, aut iocis locum præſtemus. Quod qui egerit, mundum feliciter ſpernit, ſeipſum laudabiliter vincit, diſcitque à Chriſto quòd mitis eſt & humilis corde. Præ omnibus quippe oportet, vt tota conuerſatio noſtra in vera humilitate fundetur. Propter quod Leo papa ſapientiſſimè loquitur, Tota inquiens, Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina nõ in ſapientia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtit, quam dominus Ieſus ab vtero matris vſque ad ſuppliciũ crucis pro omni fortitudine & elegit & docuit. Ex his conſtare opinor quàm verùm ſit, quod ait Cyprinus: Tota vita hominis Chriſtiani, ſi ſecundùm euangelium viuat, crux eſt atque martyrium. Et itidem veraciter dicit Chryſoſto. Chriſtianus nemo rectè dicitur, niſi qui Chriſto moribus conformatur. Itaque, mi dilecte, ſi Ieſum Chriſtum

Cypria.

Chryſoſt.

ſalua

ſaluatorem noſtrum eſſe cognoſcimus ac dominum, erubeſcamus ei non conformari. Verecundemur delicatè, molliter, atque carnaliter viuere humano fauore & laude gaudere, propria commoda quęrere, vano superbóve corde incedere. Vita noſtra media eſt inter vitam angelorum & pecorũ. Si ſecundùm carnem viuimus, beſtijs cõparamur, Si ſecundùm ſpiritum, Angelis ſociamur. Quòd ſi ſpiritualibus vitijs ſubiaceamus, elationi, ambitioni, vanę glorię, vanitati nefariæ, non iam brutis, ſed dæmonibus copulamur, præſertim cùm ſpiritualia vitia, loquendo in genere carnalibus ſint vitijs grauiora. Vis ſcire quis verè Chriſtianus dicatur? Auguſtinum audi dicentem: Ille verè Chriſtianus eſt, qui omnibus facit miſericordiam, qui nulla mouetur iniuria, qui alienum dolorem ſentit vt proprium, cuius menſam nullus pauper ignorat: qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo & Angelis glorietur, qui terrena contemnit, vt poſſit habere cœleſtia, qui miſeris ſuccurrit & condolet: alieniſque fletibus ad fletũ mouetur. Itaque emũdemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, & Chriſtum regem noſtrum per vitam timoratam & fructuoſam viriliter imitemur. Omnem *Auguſti.*

iram, indignationem, animoſitatem, carnalitatem penitùs deteſtantes, quatenus conuerſi efficiamur vt paruuli.

De his quæ nos ad mundi contemptum inducere debent, ex parte noſtri. Et primo quòd conſideratio periculorum noſtrorũ ad hoc inducit.

ART. XVI.

Galat. 3. VIgilate itaque omni tempore, orãtes vt digni habeamini fugere omnia quæ ventura ſunt mala, & ſtare ante filium hominis. Iam dictum eſt de his, quæ ad mundi contemptum inducunt ex parte Dei. Reſtat nunc loqui de his, quæ ex parte noſtri ad hoc ipſum inducere debent. Cùm ergo in medio laqueorum poſiti ſumus, & hoſtibus vndique circunuallati, atque domeſtico hoſte, videlicet propria carne contra ſpiritum concupiſcente circundati. Imo, ſecundùm Apoſtolum, Non eſt *Luc. 12.* nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus aëreas poteſtates ſeu dæmones: Non quòd non ſit nobis aliqua colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed quòd maior ac principalior colluctatio noſtra eſt contra dæmonum tentamenta, qui ſunt infatigabiles, callidiſſimi & crudeliſſimi æmuli noſtri, animarum noſtrarum ruinã & condemnatio

tio

tionem auidiſſimè cupientes. Hinc conſtat quòd diris atque innumeris circumuallamur periculis. Quid ergo conſultius, quid tutius ſiue ſalubrius, niſi locum refugij quærere, vrbem munitam intrare, locum tranquillũ expetere, in quo inueniãtur tot adiutores, quot cohabitatores, omnes ſpiritualibus armis armati, & ad bella contra peccata promptiſſimi: Quis verò eſt locus iſte, & ciuitas hæc, niſi congregatio deuotorum, quorum eſt in Domino cor vnum, & anima vna, quorum vnuſquiſque verbo, oratione, exemplo, alium trahit ad meliora, qui virtutibus pro armis vtentes, ſingulis vitiis ſingulas & congruas opponũt virtutes? Ecce enim quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quia, vt Salomon loquitur: Si vnus ceciderit fulcietur ab alio. Habent quoque quotidiana & optima medicamina & vnguenta (id eſt remedia) contra dæmonum tentamenta, vitiorúmque vulnera. Quæ vtique remedia ſunt, quotidiana confuſio, ſuperioris increpatio, inſtructio, conſolatio, obſeruantia regularis, ſacræ vigiliæ, abſtinentiæ, diſciplinæ, orationes continuæ, meditationes deuotæ. Denique ſicut vnus in ſæculo trahit alium ad peccata, ita in con

Pſal 132.

congregatione religioſa vnus allicit alium ad virtutes, Et ſicut ſecularis ſocietas maximè obeſt, ſic iſta maximè prodeſt. Propter quod Salomon dicit: frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas munita. Et Pſalmiſta, Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Hoc eſt quod iterum hortatur ſcriptura: Cum viro ſancto aſſiduus eſto. Et quemcunque cognoueris obſeruantem timorem domini, cuius anima eſt ſecundùm animam tuam. In ſeculo homo frequentiùs cadit, tardiùs ſurgit grauiùs in anima vulneratur, difficiliùsque ſanatur, deficit magis, proficit minus. Porrò in clauſtro ſeu congregatione deuota omnia iſta (vt docet Bernardus, & experientia certa demonſtrat) oppoſito modo ſe habent. Nam labitur rariùs, ſurgit velociùs, leuiùs in anima læditur, faciliúsque ſanatur, minus deficit & ampliùs creſcit. Conſidera conſideratione profunda qualitatem & quãtitatem, multitudinem & magnitudinem periculi tui. Certè ſi periculum iſtud de temporalium eſſet rerum amiſſione, de confuſione: vel afflictione, ſeu infirmitate tranſitoria, aut etiam de preſentis vitæ amiſſione ſeu morte corporali, quamuis duriſſima tolerabile eſſet, nec ita ſolicitarer pro te.

Prou. 8. *Pſal. 17.* *Bernard.*

Nunc

Nunc autem periculum iſtud eſt de ſummi, immenſi & incommutabilis boni Dei altiſſimi, & æternæ felicitatis irrecuperabili amiſſione, & item de ſempiternæ damnationis infernaliſque pœnæ adeptione. Si iſtud periculum non attendis, nec vehementer formidas, non habes illuminatos animæ oculos., nec viam claramque fidem, ſed mortuam & obſcurã. Nonne periculum iſtud incomparabiliter magis timendum eſt omni damno, confuſione, cruciatu, langore, aduerſitate & morte temporali? Itaque ſi in die iudicij tui particularis ac vniuerſalis vis eſſe ſecurus atque ſaluandus, noli nunc eſſe ſecurus, inaniter lætus & intimoratus, ſed formidoloſus, operoſus, ſolicitus. Quòd ſi feceris, tunc vtique tutus eris & ſaluus. Denique quoniam Salomone atteſtãte, Ignoramus *Eccleſ. 9.* an amore Dei digni ſimus an odio, ſed omnia in futurum reſeruantur incerta, debemus ſemper eſſe cuſtoditi & anxij coram Deo, ne eius odium & tam infinitum æternæ calamitatis incurramus periculum. Præterea quædam peccata ſecundùm doctores, vtpote vitia carnis, meliùs vitantur & ſuperantur per hoc, quòd homo elongat & abſtrahit ſe ab huiuſcemodi vitiorum materia. Quomodo ergo hæc

vitia

vitia eorúmque filias ſuperabis, non fugiendo eorum materias, ſed cum his qui talibus vitijs infeliciter ſeruiunt, commanendo, ſocialiter conuerſando, veſcendo, vndique deambulandum? Vt enim Hugo teſtatur, impoſſibile eſt quempiam peccata vitare, niſi peccatorum occaſiones deuitet. Qui ergo cum his qui ſpatioſam latámque perditionis ambulant viam quotidie conuerſatur, eiſque in veſtitu, cibo, potu, verbis, & iocis, ac cæteris leuitatibus conformatur, quomodo, inquam, grauiora illorum vitabit facinora. quomodo illis tam erroneè & latè incedẽtibus, ipſe in arcta via & recto permanebit itinere? Abſit vt tantæ te arbitreris perfectionis, vt hoc poſſis, cùm ſcriptum ſit Eccleſiaſtici decimotertio. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Et, Qui communicauerit ſuperbo, induetur ſuperbia. An non ſimili ratione, qui communicauerit luxurioſo, induetur luxuria? Auguſtinum audi, *Auguſti.* Vidi, inquit, cedros libani, de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quàm de ruina Hieronymi & Ambroſij, cecidiſſe. Breuiter dico? quantò iſta animæ tuæ pericula minùs perpendis, quantò in ſeculo ampliùs proſperàris, quantò carnem tuàm mox morituram delicatiùs nutris, quantò volun

voluntatis tuæ libertatem plus ſequeris, quantò temporis tibi conceſſi amiſſionem minus curas, quantó ampliùs nunc gloriaris, rides, vagaris, tantò veraciter miſerabilior es, grauiúſque deflendus. Et quantò propriam cæcitatem, iniquitatem, & negligentiam minus deploras, eò plus deplorandus es. Nunc itaque, amantiſſime frater, excute teipſum à tantis periculis, fuge hoſtem animæ tuæ, hunc mundum immundum. Conuertere conuerſione plenaria & perfecta ad Dominũ Deum tuum, relinque pro amore eius omnia bona mũdi, & dabit tibi omnes diuitias cæli.

Quòd contemnendus eſt mundus propter difficultatem conſequendi ſalutem in eo.

ART. XVII.

OMnis qui audit verba Dei, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam. Venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & fuit ruina eius magna. Sancti patres comparant mundum iſtum magno mari turbulento, tempeſtatibus pleno. Porrò ſecundùm Bernardum, tripliciter tendunt homines per mare hoc, ſeu mundum iſtum. Scilicet pon *Mat.7.* *Bernard.*

ponte, naui, vado Ponte tranſeunt, qui cō-pendioſiorem ſecuriorémque ſemitam e-legerunt: quemadmodum religioſi ſuo ſu-periori humiliter, & regulę ſuę ſtatutíſ-que ſui ordinis obediētes. Hi namq; pro-priam voluntatē (quæ ſola in inferno ar-debit) abnegāt & relinquunt, malentes re-gi & ſubeſſe, quā regere & præeſſe Hac via te cupio proficiſci, quę verè tutiſſima & nimis eſt meritoria. Per nauim tranſeunt viri virtuoſi: qui & alijs præeſſe, & exterio-ra diſponere cōpelluntur, quibus diuerſæ inquietudines oriūtur Vnde lignū, fœnū, ſtipulā (hoc eſt venialia) dicuntur colligere ſecundùm Thomam: Pro quibus venia-

Thomas.

libus ſubditi quotidie per frequentiſſimā cordis ſui eleuationē ad Deum ſatisface-re tenentur. Seculares verò tendunt vado, hoc eſt per mediū fluctuum huius maris: Ideò difficillimè & vix euadūt. Vnde ſignū difficultatis ſaluationis eorum, ſecundùm Hieronymum, eſt paucitas euadentium, &

Hieron.

multitudo pereuntium. Cùm enim ſeipſos negotijs ſeculi ſuperfluè implicēt, ſuoſque affectus tranſitorijs alligent, nec ea deui-tent, per quæ proceſſus ad Deum tarda-tur, aut penitùs impeditur: ſed vanita-tum inquietiſſimæ tumultuationi adhæ-reant, patet quòd quaſi per medium

aqua

aquarum ſine vehiculo gradiãtur. De hoc Hugo in libro ſuo de vanitate mundi pulchrè & notabiliter ait, hoc modo. Conſidera mundum hunc vniuerſum propter mutabilitatem ſuam, quaſi diluuiũ quoddam decurrentium aquarum, & amatores mũdi, quaſi naufragos quoſdam, qui merſi in pelagi huius profundo, deorſum rapiuntur, & feruntur in præceps. Deum quoque, apud quem omnia immutabili æternitate conſiſtunt, contemplare, quaſi ſurſum in ſummo. Mundum verò quaſi deorſum in imo. Deinde conſidera humanum animum velut in medio collocatum, qui conditionis ſuæ excellentia mutabilitati mundi ſupereminet, & ad diuinæ naturæ immutabilitatem nondum pertingit. Si ergo animus hominis his, quæ deorſum tranſeunt, ſe per amorem vel cupiditatem immerſerit, ſtatim per infinitas diſtractiones rapitur, & à ſeipſo quodammodo diuiſus diſſipatur. Tantò autem ampliùs in vnum colligitur, quantò magis ima terrenáque deſerens cogitatione ac deſiderio ſurſum leuatur, donec omnino immutabilis ſit, cùm ad illam vnam ſummam atque immutabilitatem diuinam peruenerit. Denique cùm animus hominis ſe per terrenorum amorem deor-

Hugo.

ſum inclinat, in fluctibus ſæculi naufragatur, mutabilibúſque admixtus inter labẽtia defluit, gemino quoque ſalutis periculo, & per affectũ infimorum profundè demergitur, & per occupationem plurimorũ latè diſſipatur. Si verò ſurſum ab amore præſentium, per deſiderium ſe erexerit æternorũ, cogitationéſq; ſuas ad ſeipſum collegerit: iam quodammodo in rerũ fluctibus ſupernatat, & cuncta trãſitoria tanquam ſubter labẽtia calcat. Sic igitur animus hominis ſeipſum quaſi in tuto reponat, ſe ſupra ſe ad Deũ leuando, ad ſeipſum quoq; intra ſe redeundo: quatenus per cõſiderationem prædictam ſupra mundum erectus, pericula mundi aſpiciat: & ſe illa quodammodo euaſiſſe gaudeat. Hoc autẽ eſt arcã cordis, ſeu ſpiritualem nauem intrare: cuius adminiculo fluctus huius ſæculi, quibus iactamur, feliciter euadamus. Calca igitur & contemne trãſitoria, & caduca, & ecce de diluuio emerſiſti. Cõſidera demùm & iugiter meditare cæleſtia tuæ redemptionis ſacramenta, diuinæ pietatis beneficia tibi impenſa, & arcam cordis, ac nauem præfatam intraſti. Deinde mundus conuenientiſſimè comparatur campo latiſſimo, crudeliſſimis latronibus pleno, in quo plurimi iugulantur, pauciſſimi ve-

rò euadunt non ſine vulneribus multis. Et quod deterius eſt, campi huius ambulatores ſe mutuo tradunt in manus latronum, dũ vnus alium ad vitiorũ inducit ruinam, per quam diabolicam incidit in manum. Si ergo, dilecte mi, non auderes proficiſci per campum hominibus latrocinantibus temporalem mortem inferentibus abundantem, quomodo audes per mundi abrupta, & ſæculũ iſtud nequam deambulare, in quo tot à demonibus ſuppeditantur, & ſempiterna ſupplicia illabuntur? Inſuper comparatur hic mundus ſyluæ incẽſæ, cuius penè omnes arbores comburuntur. Nunc enim videmus, quomodo charitas Dei in hominum animabus refriguit, quomodo amor mundi inualuit, quomodo ignis cõcupiſcentiæ feruor ſuperbiæ, flamma auaritiæ homines incẽderunt, ita quòd pene omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. De carnis exquiſita ſuſtẽtatione, non de animæ puritate & cordis cuſtodia ſunt ſoliciti. Potiùs quærunt præſentis vitæ commoda, quàm gehẽnæ æterna euadere præacerba tormenta. Quomodo ergo nõ curas hãc ſyluã ſine mora exire, ne comburaris in ea igne prauitatis & culpæ. Poſtremò ad tantũ lapſum nunc deuenit eccleſia in vulgo & clericis, quòdque

deflendum eſt magis, etiã in religionibus multis, vt ipſa eccleſia comparetur meritò ciuitati antiquæ, maiori ex parte collapſę, deuictæ, deſtructę, in qua vndique hoſtibus patet ingreſſus. Non ergo ſecurũ eſt habitare in vrbe huiuſmodi, ſed ad loca cõfugiendũ munita, quemadmodũ inſecurum eſſet manere in clauſtro regularibus obſeruãtiis deſtituto. Si inſuper fragilitatẽ noſtrã ritè pẽſemus, quàm proni ad mala, & tardi ad bona, quæremus locũ ſaluti animæ aptiorẽ, occaſiones peccãdi vitãtes.

Excitatio ad mundi contemptum, ex conſideratione profectus inde naſcentis, & ex deſiderio veræ ac diuinæ perfectionis.

ART. XVIII.

Pſal. 44. AVdi filia & vide, & inclina aurẽ tuam & obliuiſcere populũ tuum & domũ patris tui, & cõcupiſcet rex decorẽ tuum. Verba hæc quamuis ad literam exponantur de eccleſia, quæ eſt ſponſa Chriſti vniuerſalis, vel de virgine glorioſa, quæ eſt ſponſa Chriſti ſingularis, moraliter tamen exponũtur de qualibet anima deuota, quę eſt ſponſa Chriſti particularis. Omnis nãque anima, ſecũdum Auguſtinũ, aut Chriſti ſponſa eſt, aut diaboli adultera. Ait ergo ſanctus propheta vnicuique animę fideli, Obliuiſcere populũ tuũ, & domũ patris

tui

tui. Hoc eſt, terrena iſta pro Deo cõtemne, cognatos, propinquos, & omnem carnalem affectũ relinque, vt tota tua affectio ſit ad Deum, ſpiritualibus bonis diteris, omni virtute & gratia adorneris. Quò enim mundana magis perfectè & promptè contempſeris, eò cæleſtibus bonis copioſiùs fulcieris. Hinc Gregori. Pulchrè, inquit, à creatura amorem retrahit, qui in creatorem omnis pulchritudinis fontem, cordis paſſibus tendit. Si ergo, ô anima Chriſtiana, hæc feceris, concupiſcet rex regum, Dominus vniuerſorum Chriſtus vnigenitus Dei, decorem tuum, id eſt, interiorem tuum ornatum, reformationem internam ſapientiæ tuæ, claritatem, charitatis ardorem, omniúmque virtutum tuarum fulgorem, dicétque tibi illud ex Cãticis, Quàm pulchra es amica mea & decora. Imo te tam pulchram & ſplendidã diliget. te cæleſti lumine, & fructibus ſpiritus ſancti fœcundabit, te ſibi æternaliter ſociabit, vt ad libitum ipſo dulciſſimè atque pleniſſimè perfruaris, in quo totius beatitudinis vera plenitudo conſiſtit. Nimirum deliciæ Dei ſunt eſſe cum anima tali, eámque quotidie exuberãtiori gratia decorabit, pijſſima viſitatione exhilarabit. Tãti igitur profectus intuitu, tantæ nobilitatis affectu cõtemna-

Greg.

Cant. 4.

Prou. 8.

mus ex corde hunc mundũ vaniſſimum & omne variabile indigens & caducũ, à Deo altiſſimo abſtractiuum. Quippe quod noſtrũ nequit ſatiare, & cõtentare felicitatis affectum, Aug. id ſic proteſtante: Ad imaginem Dei creata rationalis anima cæteris omnibus occupari poteſt, repleri non poteſt. Capacem enim Dei, quicquid Deo minus eſt, nõ replebit Et rurſus: Domine (inquit) feciſti cor noſtrum propter te, & inquietum eſt, donec perueniat ad te. Atqui ſatis iã dictum eſt quòd anima noſtra quo magis in terrenis diſtenditur, tẽporalibus occupatur, mundanis afficitur: eo minus occupatur, colligitur & afficitur circa Deũ. Vt ergo indeſinẽter queat occupari in Deo per cõtẽplationẽ ſyncerã, dilectionem feruẽtẽ, meditationẽ profundã, orationẽ frequẽtẽ, laudẽ, & gratiarum actionẽ præcordialẽ, auertamus eã ab vniuerſis quæ mundi ſunt, & diuinæ libertati eã cõtinuo ſubſternamus, & applicemus. Sic etenim mirabiliter creſcet in gratiã Dei, hãc verã, Deiformẽ ac nobilem perfectionem, omnibus bonis ſeculi huius incõparabiliter deſiderabiliorẽ ac præſtãtiorem ſic impẽſe amemus, & conſeruemus, vt eius deſiderio & amore mundum, & quæ mundi ſunt, integerrimè contemnamus, tanquã nihilum

Auguſt.

& ina

& inane. Neque putemus nos aliquid magnum peragere, ſi pro tam diuinis & ſuper naturalibus bonis terrena & infima relinquamus. Sed Deo humiliato ſpiritu gratias decãtemus, quòd corda noſtra docuit, illuminauit, erexit, ad deſerendum & cognoſcendum vanitatem, & vilitatem omnium mundanorum. Verè ſiquidẽ beati ſunt, quos tu Domine ita docueris, ad mundi contemptum induxeris, ad ſpiritalis vitæ perfectionẽ promoueris. Nónne, mi frater ingenioſe, obtenebratam tibi mentem habere videtur, qui his lectis, auditis, & cognitis ad mundi deſpectum non prouocatur, ad deiformẽ perfectionẽ prætactam nõ inflammatur? Noli ergo amore minorum amittere maxima. Noli plus oblectari in creaturis, quàm in creatore. Noli mũdo tenaciùs inhærere, quàm Deo. Ecce mundus tranſit & concupiſcentia, vanitas, & gloria eius. Qui autẽ facit voluntatem Dei, manet in æternum. *Pſal. 9.*

Quòd quatuor nouiſſimorum intenta conſideratio ad mundi contemptum eminenter inducit.

ART. XIX.

MEmorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis. Nõ iam dũtaxat lapidei; ſed & ferrei cordis eſt, cùm ad Dei timorem & mundi contemptum, ad vitæ *Eccle. 7.*

emendationẽ,ad mẽtis cuſtodiã, nec horror diei mortis, nec diuini iudicij pauor, nec infernalium tormẽtorum ſempiterna acerbitas, neque cęleſtis patrię infinita fœlicitas incitãt & perducũt. Si credis, imò cũ ſcias te moriturum, & horã prorſus ignoras: noueris quoque poſt hanc vitã nõ eſſe ſtatum aut tẽpus merẽdi, cur vllo momẽto benè agere prætermittis? cur aliquam horam infructuoſam pertrãſis? cur in tali ſtatu eſſe præſumis, in quo mori non audes?

Eccle. 9. Fac ergo dilecte, quod Salo. ait: Quicquid manus tua poteſt, inſtanter operare. Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſciẽtia erunt apud inferos, quò properas. Non

Eodem. impleatur in nobis quod denuo loquitur Salo. de negligentibus & iniquis: Sicut capiuntur piſces hamo, & aues laqueo, ſic capiuntur homines tẽpore malo, cùm eis extemplò ſuperuenerit. Mortis ergo horrorẽ diuini iudicij expaueſcendum diſtrictiſſimumq; diſcrimẽ, ardẽtis gehẽnæ metum ab oculis cordis tui elongari nequaquam

Hieron. permittas. Dicit namque Hieronym. Nihil ſic reuocat à peccato, quàm frequens memoria mortis. Et ſicut ait Chryſoſto.

Chryſ. Fallax eſt hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pœna in-

Ambr. terminabilis. Denique (vt refert Ambroſius)

ſius)etiam Plato aſſeruit, Omnem ſapientum vitam eſſe meditationē mortis. Præmeditemur ergo quotidie quod ſumus futuri. Qui ſe iugiter penſat moriturum, ſpernit præſentia, & ad futura feſtinat. Idcirco autem Deus latere nos vitæ voluit finem, diémque mortis noſtrę eſſe nobis ignotū, vt dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur, & tantò quiſque ſit feruentior in operatione, quantò magis incertus eſt de vocatione. Noli lacrymarum cauſam tripudiando peragere, & mortis tuę negotium ridēdo exequi inconſultè. Cùm ſurgis diluculò, non putes ad veſperum te peruenturum. Cùm ad quieſcendū te in lecto poſueris, non de auroræ præſumas aduentu. Sícque facillimè ab omni te refrænabis affectu mundano & vitio. Aduerte quòd citò adueniet hora, vt ex hac vita ad ignotam tranſeas regionem, moxque tum metuēdiſſimo tribunali ſummi Dei te oportebit adſtare. Tunc tempus omiſſum & neglectū infructuosè recuperare non poteris, nihilque te iuuare aut conſolari valebit eorum, quæ nunc inordinatè diligis, iniuſtéque agis. Tunc dolebis te tam intimoratè vixiſſe, omiſiſſe tot bona, & commiſiſſe tot mala. Nunc autem pariter pœnitētiā agamus di-

gnã. Sic modò Chriſtũ iudicẽ veneremur, vt tunc ab ipſo reuerẽter ſuſcipiamur. Sic iã propter peccata noſtra triſtemur, vt tũc ab ipſo æternaliter cõſolemur. Præterea ſi diuini iudicij diſtrictionẽ perpendis, omnẽ ſæculi vanitatẽ protinus deſpicis, atque ad vitã pœnitẽtialẽ occurris. Etenim in hora iudicij ardebit mũdus igne cõflagrationis: qui & reprobos tũc exuret. Chriſtus in aëre reſidebit: vniuerſi ordines angelorũ aſtabũt, viſibiliterque patebũt, & omnes ciues cæleſtes. Iacebũt reprobi in terra, quã amauerunt cũ horrẽdis ſuis corporibus, obſcuris, grauiſſimis, quæ tũc deformiora, horribilioraq; erũt, quã tũc qñ pro media parte in monumentis à vermibus erunt corroſa. Aderit vniuerſitas dęmonũ, & omne genus humanũ. Tũc ſingulorũ vita ſingulis innoteſcet, vt oẽs ſimul iuſtiſsimũ eſſe Dei iudiciũ recognoſcãt. Quid tũc anxietatis, quid pœnę, quid intolerandæ miſeriæ metu impijs, ſe in ęterna inferni tormẽta mox ꝓijciẽdos vidẽtibꝰ? Statim nãq; ꝓlata ſẽtẽtia: *Matt. 25.* Ite maledicti in ignẽ æternũ: terra os ſuum aperiẽs deglutiet eos corruẽtq; in profundiſsimũ lacũ inferni, ĩ quo ęternaliter detinebũtur cõcluſi. Huius iudicij imaginatio terreat te & me, quomodo terruit S. Hier. *Hieron.* Quotiẽs (inquit ipſe) diẽ illũ cõſidero, toto cor

corpore cõtremiſco. Siue enim comedo, ſiue bibo, ſiue aliquid aliud facio, sẽper videtur turba illa terribilis ſonare in auribus meis: ſurgite mortui, venite ad iudicium. Rurſus ait idem doctor ſanctiſſimus Iudicaturo Domino, lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora feriet: potẽtiſſimi quondã reges nudo latere palpitabunt, adducetur cũ ſuis ſtultus Plato diſcipulis. Tunc Ariſtotelis argumenta non proderunt, cùm venerit ille filius pauperculæ quæſtuariæ iudicaturus fines terræ. Tunc à dextris erunt peccata nos accuſantia, à ſiniſtris dæmonũ infinita turba accuſare prõptiſſima, ſubtus horrendum chaos inferni, ſupra aperti ſciſſique cęli, in aëre iudex iratus, foris mundus ardẽs, intus cõſciẽtia vrens, vbi etiã iuſtus vix ſaluabitur. 1. Pet. 3.
Heu miſer peccator ſic deprehenſus, quo fugiet? impoſſibile erit latere, & intolerabile apparere. Hæc videntes damnandi turbabuntur timore horribili, ingemiſcentes præ anguſtia ſpiritus, & dicentes: Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen nõ luxit nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis. Potius mi dilecte, nũc eligamus cũ electis mundi delicias abhorrere, pœnitentiæ opera exercere, Deo cum debita reuerentia, timore, & puritate ſeruire, Sapien. 5.
quàm

quàm tantā calamitatē incurrere. Pręterea quicūque pœnas inferni diligēti profūdáque mēte reuoluit, omnē ſęculi vanitatē & laudē atq; peccata proculdubio abhorrebit. Quid enim eſt in carcere infernali, in medio ignis feruidiſſimi, in lacu tā miſerabili ſine ſpe liberationis æternaliter claudi, ineffabiliter cruciari, innumerabilibus pœnis affligi? Vt enim Gre. profitetur, Erit in inferno intolerabile frigus, inextinguibilis ignis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cędētium, horrida viſio dęmonum, cōfuſio peccatorum, deſperatio omniū bonorū, odiū omnis boni honeſti, incōuertibilis auerſio à bono ſummo, & inauertibilis ad bona caduca conuerſio. Quoniam licet in inferno ſit ſtimulus pœnitudinis, nulla tamen erit ibi correctio volūtatis, à quibus ita culpabitur iniquitas ſua, vt nullatenus poſſit ab ea diligi vel deſiderari iuſtitia. Et quid opus eſt de iſto agmē verborum inducere? Tu ipſe oculis fidei tibi deſcribe profundiſſimū lacū, omni miſeria plenū, omni tēpeſtate, clamore, vlulatu, deſperatione pleniſſimū, æſtuātiſſimo igni feruētē, doloroſiſſimis habitatoribus abundātē. Conſidera diligenter quid ſit in lacu tali æternaliter cruciari, in igne tā æſtuoſis flagrāte incendijs

Gregor.

Digitized by Google

diis ſine fine torqueri, horribiliſſima dæmonum & omniũ damnatorũ viſione, ſocietate, calamitate affligi. Lacus iſte infernus eſt, qui in lib. Iob appellatur terra tenebroſa & operta mortis caligine, terra miſeriæ, tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Nã & vltra reliquas interminabiles pœnas inferni, eſt quoque in eo tota turbulentiſſima, pœnaliſſima, & inæſtimabilis inordinatio. Nónne tibi infelices prorſus & pluſquã atque quatérque infelices videntur, qui propter huius vitæ breuiſſimas libertates, oblectationes illicitas, vanitates mundanas, trãſitorias affectiones, diuitias, proſperitates, tã inexplicabilẽ merẽtur, & illabũtur miſeriã ſine fine perdurãtẽ: Egredere itaque & relinque latam ſæculariũ viã ad iſtam infelicitatem ducentem, & arctã viam amplectere, fructuosè, timoratè, & reuerenter coram Deo ſublimi viuendo. *Matt. 7.*

Quòd ad contemptum mundi potiſsimùm nos inducere debet gloria beatorum.

ART. XX.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Sicut doctores cõcorditer docẽt, charitas Dei vita eſt animæ. Ideò ſine charitate nil eſt meritoriũ,

nil

nil Deo acceptũ, vel ad æternæ beatitudinis adeptionem proficuum. Omnis itaque actio, vitę noſtrę, omnis cogitatio affectio, loquutio, operatio, afflictio Deo accepta & meritoria eſſe non valet, niſi ex charitate procedat elicitiuè imperatiuè ſeu directiuè. Vnde qui ex ſolo timore ſeruili, ſeu pœnæ formidine plorant, cõfitentur, & pœnitent, nil merentur. Itaque opus bonũ fieri debet zelo iuſtitiæ & charitatis affectu, nũ ſeruili timore. Propter quod dicit Apoſt.

1. Cor. 13 Si linguis Angelorum loquar & hominũ, charitatẽ autem non habuero, nihil mihi

Gregor. prodeſt. Et Gregor. Tunc ſolùm Deo vera obſequia reddimus, cũ eum propter amoris fiduciã non timemus, cùm nos ad opera bona affectus, nõ metus, dirigit, quod de timore ſeruili ſumendum eſt, quo pœna principaliter formidatur, de quo ait Ioannes, Timor non eſt in charitate. Quamuis, itaque (ſicut nunc patuit) ad mundi contemptum debeamus induci cõſideratione mortis & iudicij atque pœnarum inferni: tamen omnino magis ac fortiùs ad hoc ipſum induci debemus conſideratione & amore beatitudinis ſempiternæ, ſeu

Thom. gloriæ electorum. Quæ ſecundùm Thoma, eſt quodammodo infinitæ dignitatis, cùm ſit immediata fruitio boni immenſi

Dei

Digitized by Google

Dei glorioſi & ſancti. Porrò cùm iſta fruitio omnino ſit ſupernaturalis, ad eam pertingere nõ valemus, niſi per ſupernaturalia media, quæ ſunt gratia gratificans, virtutes theologicæ (ſcilicet fides, ſpes, charitas) ſeptemque dona ſpiritus ſancti. Et quo media iſta perfectiora, & exuberantiora in nobis extiterint, eo cuncta mundana & tẽporalia vehemẽtiùs aſpernamur, eorũque vanitatẽ, vilitatẽ, fallaciã, clariùs ſpeculamur, & ad beatitudinẽ paradiſi cęleſtis affectuoſiùs aſpiramus, abundãtiùs propinquamus, atque celeriùs & inceſſabiliùs ambulamus vel potiùs currimus: imò & omne opus Dei nũc prõptiùs delectabiliúſque exequimur. Deſiderio itaque felicitatis & gloriæ electorũ viriliter omne quod Deo placet agamus, mundum promptiſſimè relinquamus, cuncta caduca vt ſtercora arbitremur. Quoniam Auguſt teſtante, Tanta eſt pulchritudo iuſtitiæ, tãta iucunditas lucis æternę (hoc eſt incõmutabilis veritatis, & ſapientiæ increatæ) vt etiam ſi non liceret in ea ampliùs quã vnius diei hora vna manere, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis & affluentia temporalium rerum rectè & meritò ſpernerentur. In ciuitate etenim Dei, & patria electorum, lex eſt charitas, rex veritas,

Philip. 3.
Auguſt.

ritas, pax, felicitas, vita, æternitas. Iam nūc accinge teipſum dilecte, & ſubtiliter intuere quanta ſit beatorum felicitas, quāta iucunditas, Deum clarè & immediatè videre. Nónne quò aliquid pulchrius eſt, eò delectabilius eſt ipſum clarè videre? Cùm ergo Deus excelſus, ſi eſſentialiter, totaliter & incircunſcriptibiliter pulcher, ſanctus, purus, ac ſplendidus, imò pulchritudo veraciter infinita, idealis, ſeparata, æterna, perfecta, ſimplex, & incōmixta, omnis creatæ pulchritudinis, decoris, puritatis, & claritatis cauſa fontalis, & ratio exemplaris, præ cūctis & ſingulis infinitum decora, & ſuperpulcherrima: cōſtat profectò quòd Deum tā ſpecioſum clarè & per ſpeciē intueri, ſit delicioſiſſimū, delectabiliſſimum, glorioſiſſimū, omnē delectationē & gloriā ineffabiliter incōparabilitérque excellens. Præterea quò aliquid melius, dulcius, perfectiúsque in ſeipſo conſiſtit, eò eius eſt fruitio iucundior. Cùm ergo Dominus Deus noſter omnipotens, adorandus & felix, ſit in ſeipſo præſtantiſſima, pura, incircunſcriptibilis, & incomprehenſibilis bonitas, infinita dulcedo, & ens ita perfectum vt quicquid ad entis ſeu eſſendi, vel eſſe plenitudinē, nobilitatem ac eminentiā pertinet, ei cū infinita perfectione & excel-
lentia

Digitized by Google

lentia cõpetat, conſtat quòd eius immediata fruitio ſit prorſus ex omni parte ſuauiſſima & ſuperdulciſſima. Propter quam quidem adipiſcendam infinita aſpernatione ſpernēda ſunt omnia gaudia, honores, laudes, & proſpera mundi. Conſidera ergo vt vales, quale gaudium erit videre æternam diuinitatis eſſentiam, quemadmodū ipſa æterna ſit, à nullo facta, nec creata, neque dependens, ſed ſibi ex ſe in ſe, & per ſe omnino ſufficiens, incircunſcriptibilem, admirabilem, & incomprehenſibilem Deum facie ad faciem lucidè intueri, & in eius fontali ſapientia totius vniuerſi ordinem & decorem, omnémque veritatem, & multa ſecretiſſima ſpeculari. Frui quoque hoc bono imměſo, & id iugiter poſſidere, atque in ipſo quicquid deſiderabile eſt & pulchrum habere, itémque diuina ſapientia tam exuberanter irradiari, à diuina bonitate tam copiosè repleri, vt tota capacitas intellectus, & omne deſiderium voluntatis penitùs ſatientur, & contenta reddantur: guſtare inſuper diuinæ pacis dulcedinem, creatoriſque amore prorſus abſorberi, in Deum transformari, ei perfectè aſſimilari, eúmque iugiter in ſe cōplecti, neque ab eis amplexu, amore, aſpectu, vnquam poſſe auelli, videre inſuper *1.Cor.13.*

Digitized by Google

viſione beatiſſima & interna ſummæ tri-
nitatis emanationē ad intra, quomodo fi-
lius emanet à patre, & ſpiritus ſanctus ab
vtroque, quomodo perſonæ hæ adorandæ
ſint, vnum in eſſentia, & tres in ſuppoſitis,
quæ earum mutua cōplacentia, fruitio, ne-
xus, amor & gloria. diuinæ ſiquidem, & in-
creatæ perſonæ amore prorſus immenſo
ſe inuicem diligunt, cū infinita ſe inuicem
jucunditate aſpiciunt, cum interminabili
dulcedine ſe mutuo perfruuntur, & ipſæ
duntaxat ſe plenè, & comprehenſiuè no-
ſcunt, ſeu cōtemplantur. Gaudebunt ergo
electi ſupra ſe de Dei viſione, infra ſe de
cœleſtium corporum, & aliorū corporaliū
creaturarum pulchritudine & decore, in-
tra ſe de corporis & animæ glorificatione,
extra & circa ſe de angelorum & homi-
num prædeſtinatorum aſſociatione. Ibi ſe-
uera erit candor lucis æſtualis, vernalis a-
mœnitas, abundantia autumnalis, & re-
quies hyemalis. Illic Deus ſine fine vide-
bitur, ſine faſtidio perfruetur, ſine fatiga-
tione laudabitur. Ibi Deus erit rationi ple-
nitudo lucis & veritatis, voluntati multi-
tudo pacis ac ſuauitatis, memorię conti-
nuatio æternitatis, atq; immobilis ſtabili-
tatis. O vita vitalis, dulcis, amabilis, ſem-
per memorabilis, in qua ſumma ſecuri-
tas,

Digitized by

tas,ſecura trãquillitas, tranquilla iucunditas,iucunda felicitas,felix æternitas, æterna beatitudo,cui Deus laudatio.Ibi affluẽtia diuitiarum,influẽtia deliciarum, cõfluxus honorum. Huius beatitudinis deſiderio anima tua,ô chariſſime, inflammetur, pro ea,quicquid poteſt, efficaciter operetur, ea frequentiùs mẽte pura nunc meditetur. Noli teipſum propter ea, quæ mundi ſunt,exponere periculo amittendi hanc gloriam. Poſtremò tãta eſt dignitas gratię in præſenti & glorię in futuro,vt quamuis certi eſſemus nos poſſe eas in mundo potiri,tamen amore creſcendi, ac proficiendi in eis,meritò omnia pro Deo relinqueremus. Det tibi clementiſſimus Deus intellectum,vt iſta verè ſapienter cum guſtu intelligas, conſiliíſque ſalutis ſalubriter, atque celeriter acquieſcas. Metuẽda & incomprehenſibilia nimis ſunt iudicia domini Dei noſtri: Nempè quòd vni gratiam infundit,non alteri,cauſa occulta eſſe poteſt, non iniuſta, vt aſſerit Auguſt. Verùm ego indignus indeſinenter viſcera miſericordiæ Dei imploro, quatenus in te miſericordiam vndique ſuam mirificet. *Auguſti.*

Quòd inquietudo, labor & afflictio, mundi amorẽ concomitantes, ad mundi contemptum meritò inducere debent. ART. XXI.

Digitized by Google

Eccl. 20. HOmini bono dedit Deus ſapiētiã & ſcientiam & lætitiã: Peccatori autē afflictionem,& curam ſuperfluam. Iam de mundi contemptu tractatum eſt, tam ex parte Dei quàm noſtri. Nunc ergo de eodem incumbit loqui ex parte ipſius mundi, qui ſi bene conſideretur, continet in ſeipſo vnde contemnatur. Primò autem occurrit ad hoc, quòd mūdi amatores varijs inquietudinis turbis, afflictionibus, atque laboribus infeſtantur, ita vt mundus, in quo cōſolationem requirunt, plus pœnæ & amaritudinis quàm delectationis ingerat eis. Cùm enim ſint à ſummo & ſimpliciſſimo bono (in quo ſolo pax vera, verúmque gaudium habetur) auerſi, in temporalibus & terrenis diſperguntur, neque in aliquo vno ſtabiliti, per diuerſa feruntur. Ex quibus multiplicibus affectionibus, ſeu animæ paſſionibus afficiuntur, nunc delectatione, nūc mœrore, nunc amore, nūc odio, nunc deſiderio, nunc faſtidio, nūc timore, nunc deteſtatione. Non etenim per rationis iudicium ſeu cenſuram, norunt animæ paſſiones ad æqualitatē redigere, atque in omni euentu in quadã tranquillitate cōſiſtere, ſed ad inſtar brutorū impetū paſſionum ſequuntur ſecundùm, ſenſualitatis, ſenſitiuiq; appetitus impulsū. Vnde nō diu in

Digitized by Google

in eadem diſpoſitione perdurant. Præterea ſecundũ Philoſophum, homo contemplatiuus, atque theoricus in ſeipſo materiã bonarum delectationũ habet, cùm plenus ſit theorematibus diuinorum iucundus, hoc eſt ſcientialibus ac ſapientialibus rerũ notitiis, in quibus ſpiritualiter oblectatur, nec extra ſe in ſenſibilibus delectationẽ requirit Indocti autẽ carnales, ſiue mũdani talẽ delectationẽ non ſciunt, nec intra ſe ſynceræ delectationis materiam habent. Ideò forinſecus quærunt lætari, in quibus non ſemper iucunda & proſpera, ſed frequenter aduerſa occurrũt, & triſtia, in quibus ſæpenumero affliguntur. Multò magis igitur homo deuotus & ſpiritalis, in quo gratia ornat, iuuat, perficítque naturã, intra ſe continet, vnde ſpecialiter delectetur in Deo, etiã in aduerſis. Mũdani verò, & vitioſi, nũc iram, nunc triſtitiam, nũc inuidiã, nunc indignationẽ, nunc timorem (quæ ſunt paſſiones pœnales, ac amariſſimæ) habent, in quibus non animam tantùm, ſed & corporalem, naturalémque vitam plurimum lædunt. Nunc ſiquidem inani lætitia reſoluũtur, vana ſpe dilatantur, prauo deſiderio extendũtur: inde gaudent, vnde triſtandum eſt, inde triſtantur, vnde gaudere oportuit: id expectant, quod *Philoſo.*

fugiendum eſt, id fugiunt, quod verè vtile eſt, expectatione dignum. Itaque ſiue delectentur, ſiue triſtentur, infelices ſunt, & pœnas futuras merentur, & tanto quidem grauiores, quanto magis inordinatæ ſunt affectiones eorũ. Vnde de glorianté, & delectãte non rectè, ſed inaniter, & mundanè
Apo. 18. Dominus ait, Quãtum glorificauerit ſe, & in deliciis fuerit, tãtum date illi tormẽtum
Auguſt. & luctum. Inſuper Auguſt. teſtante: Animus inordinatus ſibiipſi eſt pœna. Cùm ergo (vt dictum eſt) in amatoribus mundi affectiones ſint inordinatæ, præpoſteræ, &
Sap. 55. peruerſæ, conſtat quòd ſibimetipſis ſint graues ſæpe, atque pœnales. Propter quod fatẽtur: Ambulauimus vias difficiles. Laſſati ſumus in via iniquitatis, viam autem domini ignorauimus. Hinc denuò ſcri-
Iob. 15. ptũ eſt: Sonitus terroris ſemper in auribus impij. Et cùm pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur. Quòd ſi interim fortè lætentur, lætitia eorum ſit eis in perditionẽ. Porrò animus ordinatus, animus trãquillus & deuotus, ſibiipſi iucundus & dulcis eſt. Vnde ſecundũ Hieronymũ, clauſtra, in quibus charitas regnat, ſunt paradiſus Dei in terra,
Eſa. 66. Sed & ſuper quietum, & humilẽ requieſcit ſpiritus ſanctus. Simili modo iuxta quendam Sapien. Vir eruditus ſuauis eſt animæ ſuæ.

Digitized by Google

ſuæ,Eruditus,inquã, eruditione virtutibus decorata.Hinc vtique quãuis deuotę, trãquillę, quietæ,ordinatęque menti nõ eſſet alia merces repoſita, quam ſuauitas iſta, interna pacis dulcedo, ſynceritáſque conſcientiæ puræ,& conſolatio ſancta, quam quotidie experitur in ſemetipſa, dignum, & ſuperdigniſſimum eſſet,ſtudere virtutibus,ordinationi internæ vacare, vanitatibus ſęculi renunciare. Ad hoc eſt,quod ait Gregorius:Illud eſt verũ,& ſummum gaudium,quod nõ de creatura,ſed de creatore concipitur.Quod cùm acceperis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror eſt,omnis ſuauitas dolor,omne dulce amarum eſt, omne decorum fœdum, omne poſtremò, quod delectare poteſt,moleſtum eſt Et iterum,Nihil,inquit in hac vita laborioſus, quã terrenis deſiderijs æſtuare,& nihil in ea quietius, quã nihil huius mundi appetere. Verùm,vt idem adhuc docet Spiritales diuitiæ,cùm nõ habeãtur, in faſtidio ſunt,ſcilicet inexpertis Et ideò forſitã, mi dilecte, ad ſpiritalis conuerſationis diuinas ſacras, ſyncerimáſque delicias minùs alliceris, minùs feſtinas,quoniã eas nõdum (vt reor) expertus es. Sed crede in hoc ſancto & magno Grego, & ſpiritalem vitam mun-

Gregor.

Idem.

Digitized by Google

do relicto, apprehendere iam feſtina. Et
2.Pet. 2. ſpero, quod guſtabis quàm dulcis Domi-
nus, quàm magna multitudo dulcedinis
eius, delectaberiſque in multitudine pacis
Chriſti, quæ omnem ſenſum exuperat, quã
mundi amatores guſtare nõ valẽt, quoniã,
Pſal. 30 vt apud Prophetam habetur: Non eſt pax
Philip.4. impijs, dicit Dominus. Porrò ſi iuxta Ari-
ſtot. & Platonem, Philoſophia, ſeu conſi-
deratio philoſophica, admirabiles habet
delectationes admixtas, quarum amore
etiam Plato perhibuit delectationes carna-
les atque mundanas eſſe ſpernẽdas. Quod
vtique Plato fecit: quia, vt refert Auguſti-
nus in libro de vera religione, Plato in
virginitate permanſit. Si itaque hoc ita eſt,
quomodo non multò ampliores delecta-
tiones theologica conſideratio habet ad-
mixtas, illa quę amatoribus mũdi nõ con-
uenit, ſed his potiſſimũ, qui pro Dei amo-
re omnia relinquẽtes, quietam, & ſolitariã
vitã ducũt, omnipotẽtique Deo cum omni
cordis cuſtodia iugiter obſequuntur, lau-
dibus eius inceſſabiliter vacare optantes,
quẽadmodũ ſcriptum eſt, Cãtabo Domino
in vita mea, Pſallã Deo meo, quãdiu ſum.
Denique: ſicut dici ſolet, quis in honore
ſine dolore, in prælatione ſine tribulatio-
ne, in ſublimitate ſine vanitate: cùm dicat
Grego

Digitized by

Gregorius: Quantò quis honoribus dignitatum plus ſublimatur, eò grauioribus põderibus oneratur. Omne, quod hîc eminet, plus mœrore afficitur, quàm honore lætetur, plus caſum dãnationis minatur, quã vitam mereatur beatam. Exiguo enim cõceditur miſericordia. Potẽtes potẽter tormenta patiuntur. Nam & iudicium grauiſſimum in his, qui præsũt, fiet. Idcircò dicit Chriſoſtomus: Quis prelationem, vel curam animarum deſiderat: niſi qui non timet iudiciũ Dei? Magna ſecuritas animæ, nihil concupiſcẽtiç ſæcularis habere. Vilis quoque, & miſera ſeruitus, ſæcularibus negotijs, Deo relicto, inſiſtere, quanquã nõ nullis mundanis perſonis graue ſit, nõ occupari in talibus, quoniã non nouerunt ſe occupare in diuinis, ſanctiſq; actibus. Anima autem ſine occupatione & amore eſſe non poteſt. Idcircò, quo minùs circa Deum occupatur, atque afficitur, eo plus in terrenis & vanis effunditur. Deníque, teſte Bernardo, Diuitiarum amor inſatiabilis, longe plus deſiderio torquet, quàm vſu ſuo hominem ipſum refrigeret. Labor enim ſecundùm Valerium, eſt in acquirendo, timor in poſſidendo, dolor in amittendo. Sed & aurum illum plus cruciat, apud quẽ largiùs inuenitur. Vt ergo mente quieta

Gregor.

Sapien.

Bernard.

Valer.

Deo queas ſeruire tumultuantia mundi negotia, corporales delicias, fallentes diuitias fuge, ſoli Deo adhęre, vt ipſe ſit gaudium tuum & requies, cantéſque veraciter cum Pſalmiſta, In Deo ſalutare meum & gloria mea, Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt. Temporalibus verò gaudent, qui bona diuina, cœleſtia & æterna deſiderare non norunt.

Quòd diſpendium ſpiritualis profectus, ſeu amiſſio temporis ex mundi amore prouenient, ad deſpectum mundi inducere debet.

ART. XXII.

Pſal. 61. Vigilate, neſcitis enim quando Dominus venit (ſerò, an media nocte, an galli cantu) ne, cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes, Videte, vigilate, & orate. Quantum Deum, vitáque futuram in patria diligimus, tantũ ea, quæ nos à diuinitatis vnione, æternæq; beatitudinis adeptione impediunt, vitare debemus. Quid autẽ eatenus impedit nos ab his, ſicut diuitiæ, atque delitię, mũdi honores, vanitates, proſperitateſq; ſęculi? Quibus homo intẽtus nõ ſolum ſibi tẽpus ad pœnitẽdum cõceſſum miſerabiliter perdit, & infructuoſè expendit, ſed inſuper in multa quotidie vitia incidit, peccata committit, Dei non meminit, debita quoque omittit, & innumera

Digitized by Google

merabilia ſalutis impedimenta incurrit. Hinc in Euãgelio loquitur Chriſtus. Quã difficilè, qui diuitias habent, regnũ Dei intrabũt. Diuitię ſiquidẽ iã poſſeſſæ, difficulter ſpernũtur, & terrena arctiùs diliguntur adepta, quã conſtringũt cupita. Hinc certè qui multiplicãdis diuitiis incũbũt, alterius vitæ gaudia quærere negligũt. Cúmque ſoliditatẽ perẽnitatis non pẽſant, exilium tãquã patriã amãt, ac reputãt. Denique amator ſæculi quãto plus Dei obliuiſcitur, tanto plus à Deo relinquitur: & eius anima induratur. Hinc autẽ cõtingit, quòd nulla, quæ Dei ſunt, veraciter diligit, ſuperna nõ concupiſcit, ac pro hoc miſerabili mundo quanto quotidie peior efficitur, tãto ſecurior redditur. Cũq; vnde ſit lapſus nó aſpicit, nec futura ſupplicia expaueſcit, quantũ ſit lugendus, ignorat. Quo enim malis, & vanis magis adhæret, eo minus recognoſcit bona, quæ perdit: & magnam putat felicitatẽ mundanã: nũc ad votum florere nõ formidans, nec præuidẽs ſempiterna ſupplicia, quæ cogetur mox ſuſtinere, Solus ille cõſpicit nihil eſſe, quod floret iniquis, qui ab amore ſæculi abſtulit greſſum mẽtis. Cùm ſiquidẽ æterna retributio cogitatur, præſens gloria, q̃ ſit nulla, cognoſcitur. Qui autem cor in præſentibus fixit, futura impio *Mar.* 10.

Digitized by Google

le eſt, inquit, ignem inflammari in aqua, ſic impoſſibile eſt cordis compunctionem vigere in delicijs. Cõtraria enim ſunt, & mutuo ſui peremptoria. Pręterea tẽporis mobilitatem perpẽde, & noli illud in vanitatem expendere, infructuosè tranſire, vitiosè deducere. Sed ſanctorum patrum audi doctrinam dicentium, Nemo noſtrũ parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile, nec aduertit inſipiẽs, quid amittat. Licet fabulari, dicũt, donec hora pertrãſeat. O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitẽtiam, ad obtinendam gratiam, ad acquirendam gloriam miſeratio conditoris indulſit. Donec pertranſeat tempus, in quo diuinam propitiare debueras pietatem, properare ad angelicam ſocietatẽ, ſuſpirare ad amiſſam cœleſtem hęreditatẽ, aſpirare ad promiſſam felicitatem, excitare tuam remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem. Atqui ſecundùm Bernardum, nil Bernard. pretioſius tempore, & nihil nunc vilius reputatur. Tranſeunt dięs ſalutis, & nemo recogitat. Nunc ergo, mi chariſſime frater, omni ſero, ſeu hora, qua te compones quieti, reuolue in animo quomodo diem expẽderis, quid mali cõmiſeris, quid boni

omiſe

omiſeris, quanta bona facere potuiſti, ſed neglexiſti, quomodo Deum inhonoraſti, quomodo dęmoni peccãdo placuiſti, quomodo animã tuã lęſiſti, & angelo tuo diſplicuiſti, quãtum appropinquaſti inferno. Tunc autẽ de bonis peractis Deo gratias age. De malis toto doleas corde, emendationem propone, eámque diligenter proſequere. Conſidera nunc, quòd peccatores, qui iam tempus in mundi vanitate expendunt, in hora diræ mortis quærunt vnius diei, vel horæ inducias ad pœnitendum, quã & nunc mallent potiùs accipere, quam maſſam auri tam magnã, quãtus eſt mundus ſenſibilis. Recordare quòd in die iudicij omne tempus tibi impẽſum requiretur à te, qualiter ſit expenſum vſq; ad momẽtum & oculi nictum. Sit ergo in corde cogitatio bona, in ore lectio ſacra, in manibus operatio virtuoſa, vt, quotieſcunque inimicus acceſſerit: inueniat te armatum. Quem enim otioſum inuenerit, tentare nõ ceſſat. Quòd ſi tam malum eſt otium, quanto peius eſt vitioſum negotium?

De contemptu mundi, & temporalium, ex conſideratione vanitatis, & mutabilitatis, & fugacitatis, ſeu breuitatis eorum, præſentiſque vitæ.

ART. XXIII.

Laus

LAus impiorũ breuis eſt:& gaudiũ hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cœlos ſuperbia eius,&caput eius nubes tetigerit: quaſi ſterquilinium in fine perdetur: velut ſomnium auolás nõ inuenietur,tranſiet quaſi viſio nocturna. Si futuræ felicitatis , æternæq́; vitę æternitatẽ, ſoliditatem,veritatẽ , & incorruptibilitatẽ ritè penſamus , puto quòd mundus iſte & pręſens vita temporaliſque gloria nobis ex corde vileſcent,nec in rebus mundanis affectum ſpargemus , quin potiùs ſempiterna gaudia , & inuariabilia bona nobis in patria præparata,auidiſſimo corde quęramus. Cùm enim anima noſtra immortalis ſit,& propter ſplendorem intellectus omni materiali natura ſublimior,nequaquã incorruptibilibus, materialibus, aut trãſitoriis quieſcere debet, ſed immortali , inuariabili, ac ſimpliciſſimo Deo pura mẽte intendere. Non ergo pręſentẽ vitã, ſed futurã principaliter diligamus,omnẽ tranſitoriã delectationẽ,temporalẽ honorem,& laudem humanam pro diuinitatis cæleſtiſque beatitudinis dilectione ex corde contemnamus. In tãtũ enim Deo placemus,& futuræ beatitudini propinquamus,quantũ ab omni laudis, & gloriæ tẽporalis , atque mundanę vanitatis affectu ceſſamus, vt dicit

cit Gregorius.Soli enim Deo debetur honor & gloria,à quo omne bonũ procedit. Nobis autẽ cõfuſio vultus, qui toties Deũ
1. Tim.1. offendimus, inhonoramus, negligimus. Non itaque licitũ eſt nobis gloriari in nobiſmetipſis,aut inanẽ complacentiã in no-
2.Cor.10 bis habere,ſed, ſicut dicit Apoſtolus, Qui
1. Ioa.2. gloriatur,in Domino glorietur. Ecce mũ-
Iacob 4. dus trãſit,& cõcupiſcentia eius. Et quæ eſt
2. Reg. vita noſtra in ſęculo iſto,niſi fumus, & va-
14. por ad modicum parẽs, qui mox exterminantur? Omnes ſicut aqua in terram dilabimur. Terra ſumus,cinis,& puluis,putredo & vermis: cùm autem mortuus fuerit homo, hæreditabit ſerpentes, & vermes. Denique quid eſt vita præſens, niſi continuus, atq; celerrimus curſus ad mortem? Inceſſabiliter enim aliquid vitæ noſtræ
1.Pa.29. abſcinditur.Ideóq; Dauid ait: Dies noſtri ſicut vmbra ſuper terrã, & nulla eſt mora.
Eſa. 38. Et Ezechias piiſſimus:Præciſa (inquit) eſt velut à texente vita mea. Dum adhuc ordirer, ſuccidit me. Et itẽ beatiſſimus Iob,
Iob.7. Memento mei Domine, quia ventus eſt vita mea.Imò nihil eſt duratio vitæ huius
Ibidem. reſpectu æternitatis, ſicut Iob loquitur. Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies
Chryſoſt. mei.Hinc dicit Chryſoſtomus:cẽtũ ſi placet annos demus deliciis,adde& alios cẽ-
tum,

tum,ſi libet,adde & decies centũ,quæ erit ex his ad æternitatem compenſatio? Nonne omne tempus vitæ huius, quo delicijs frui videmur, & indulgere vanitati, quaſi noctis vnius ſomnus ad æternitatis comparationem videtur? De hoc dicit Hieronymus: Si haberes ſapientiam Salomonis, pulchritudinem Abſalonis, fortitudinem Samſonis, diuitias Crœſi, poteſtatẽ Octauiani, quid hæc proderunt tibi, cùm ſtatim caro dabitur vermibus, & anima tua dæmonibus? Porrò, vt aſſerit Auguſtinus, Adam ſi adhuc viueret, & hodie moreretur, quid illi vitæ longitudo profuiſſet? Hæc nunc, amantiſsime, profundè perpende. Qui enim hæc modò attendere negligũt, certè vel ſero, & infructuosè cum reprobis dicent in die iudicij: Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactãtia, quid cõtulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens. Denique tunc reuelabunt cæli iniquitatem, & vanitatem amatorum huius mundi, & terra aduerſus eos conſurget. Tunc manifeſtum erit peccatum eorum cum iis, qui dixerunt Deo, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum

Hieron.

Digitized by Google

nolumus. Tunc pugnabit pro Deo contra eos orbis terrarum. Luent omnia, quæ fecerunt, nec conſumentur. Iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum ſuſtinebunt. In diē enim perditionis ſeruatur malus, & ad diem furoris ducetur, & de furore omnipotentis bibet. Hæc mentem tuam perterreant, à mundo aduertant, Deo coniungant. Prætereà in hoc innoteſcit vanitas mundi, quòd proſperitas, & lætitia eius cū ingenti auiditate expectatur, & cùm venerit, teneri non poteſt, ſed tranſeunt omnia & euolāt cuncta. Præterit iſte dies, neſcitur origo ſecundi, an labor, aut requies. Sic tranſit gloria mundi. Ideò Auguſtinus inquirit: Quid vis, vtrum amare temporalia, & trāſire cum eis, an Chriſtum diligere, atque cū eo æternaliter viuere? Si quidē teſte Hieronymo difficile, imo impoſſibile eſt, vt præſentibus quis & futuris fruatur bonis, vt & hîc ventrem, & ibi mentem impleat, vt à delicijs ad delicias tranſeat, vt hîc & in futuro glorioſus appareat. Mundanorū autē, & temporaliū rerū contemptibilitas eluceſcit ex hoc, quòd frequenter Deus dat eas abundantiùs hoſtibus ſuis ſeu reprobis quā electis. Electus verò ex fine cōſiderat nihil eſſe, quod tranſeunter, ſecularitérque delectat. Ea propter dicit

cit Hieronymus: Feſtina conſolatio bonorum, eſt conſideratus finis malorum. Dum ſiquidem ex reproborum interitu conſpiciunt malum, quod euadūt, leue arbitrantur, quicquid in vita hac patiuntur. Ecce chariſſime quanta fallacia ſæculi, & quāta cæcitas amoris eius. Dum enim libenter & iucūdiſſimè moratur in mundo, diúque viuere ſperat, ac in futurū multa diſponit, repentè & improuisè mori iubetur, & vniuerſa, quæ vitiosè dilexit, in momento relinquere. Vnde Chriſtus, Lucæ duodecimo, refert, Diuitē ſic ſibiipſi loquutū, Anima, habes multa bona repoſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autē paraſti, cuius erunt? Veras ergo, & ſpirituales diuitias congregemus, quæ nos in hora mortis nō deſerant, ſed coram Deo appareant, nóſque virtutibus ſpecioſos conſtituant. In his diuitiis potes quotidie benè proficere, ſic vt talis profectus tibi verè ſalubrior ſit, quàm ſi omnes mundi diuitias poſſideres. Nullū igitur temporis ſpacium vanè expendas. Nec ſolū opto te occupari in bonis, ſed in melioribus, vt ſemper inquiras viciniora ſaluti, & Deo vicinior fias, ſicque reuerēter & verè nobiliter corā

Ibidem.

Hebr. 5.

diuini vultus præſentia cōuerſeris. Cogita, atque recogita quietē & pacē puri cordis, delectationem animæ Deum contemplantis, ſecuritatem, & ſpem mentis Deum amanti, ſcies quòd talibus intendere, ſit deiformiter viuere, quòdque cæcus ſit, qui aliis deditus eſt. Nónne omne creatum eſt defectiuum, & omne trāſitoriū inquietum? Breue quoque, & modicum eſt, atque mutabile, quod tempori ſubiacet. Idcircò mundi amator nil firmum, aut ſtabile habet, ſed leuis eſt ipſe, & inconſtans, tanquā in vertigine poſitus, cùm non in ſolo Deo, ſed in omnibus vanis & trāſitoriis delectationē efflagitat, nunc iſtud, nunc illud affectans, nunc quod amabat, faſtidiēns: nunc aliud nō deſideratum cōcupiſcēs. Iuſtus verò, & Dei amator, trāquillus, vniformis, & ſtabilis perſeuerat tāquam immobili fundamento Deo æterno fundatus. Propter
Prou. 10. quod Salomon loquitur, Quaſi tempeſtas trāſiens impius nō erit. Iuſtus autem quaſi fundamentum æternum. Inſuper amato-
Auguſt. ribus mundi condolēs Auguſtinus exclamando alloquitur eos: O amatores mundi, quid laboratis? cur vos ipſos affligitis circa nihil, cùm creatorem omnium poſſidere poſſitis? Quid ampliùs quæritis, quid ſufficit homini, cui conditor ipſe nō ſufficit?

Digitized by Google

cit? Si enim omne bonum facilè habere valetis (ſcilicet Deum) cur nitimini plena miſerijs poſſidere. Maiórne eſſe poterit ſpes veſtra in mundo, quàm vt amici ſitis mundi? ibi quid nō fragile? quid non caducum? quid non mutabile, plenúmque periculis, per quæ ad maiora, & ſempiterna pericula peruenitur? De vanitate quoque vitæ mūdanæ dicit Hieron. O vita non vita, ſed mors, vita fallax, & onuſta triſtitijs, imbecillis, & vmbratica, nunc flores, & ſtatim areſcis, vita priuans, cui ines, vita fragilis, vita momentanea, & caduca, quæ quanto plus creſcis, tanto magis decreſcis. Cùm plus procedis, plus ad mortem propinquas. O vita plena laqueis, quot in mundo laqueas homines, quot per te iam ſuſtinēt infernalia tormenta! O quàm beatus, qui tuas cognoſcit fallacias, quàm beatior, qui de tuis non curat blanditijs vanis! quàm beatiſſimus, qui benè priuatus eſt! *Hieron.*

Quòd contemnendus eſt mundus, & ea quæ mūdi ſunt propter eorum malitiam & continuā læſionem, quam ſuis amatoribus ingerit.

ART. XXIIII

TOtus mundus in maligno poſitus eſt, nónne malignitate plenus, & maligno ſubiectus, ſeu dæmoni ſubditus eſt mundus? De quo idē ait: Omne quod eſt in *1. Ioan. 5.* *1. Ioā. 2.*

mũdo,concupiſcentia carnis eſt,aut cõcu-
piſcentia oculorũ,aut ſuperbia vitæ.Iniqui
2.*Pet*.2. nãq; vt Petrus docet,ſunt ſerui corruptio-
nis,& peccati. A quo enim quiſque ſupera-
tus eſt,huius & ſeruus eſt: Qui autẽ eſt ſer-
uus peccati, eſt vtiq; ſeruus diaboli. Vnde
de impijs loquitur Paulus,Reſipiſcãt à la-
queis diaboli, à quo captiui tenentur ad
2.*Tim*.2. ipſius volũtatẽ. Hinc Chriſtus in Euãgelio
dæmonẽ nominat principem huius mũdi,
nõ vtique machinę mũdialis, ſed hominũ
mundanorum,qui à Deo auerſi in terrenis
depreſſi ſunt. De quibus Hiere. ait ad do-
minũ:Recedentes à te,in terra ſcribentur.
Cõtra quod Chriſtus ait electis, Gaudete,
& exultate, quoniã nomina veſtra ſcripta
ſunt in cælis. Denique ſecũdũ expoſitionẽ
venerabilis Bedæ, in præinductis verbis
Ioannis per ea, quæ in mundo ſunt, & per
Ioann. 2. mundũ intelliguntur homines,qui inordi-
nato amore incolunt mundũ.Iſti non ha-
bent niſi concupiſcentiam carnis, cõcupi-
ſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ.
His etenim vitiorum vocabulis omnia vi-
tiorũ genera cõprehendit Ioannes. Cõcu-
piſcentia ſiquidem carnis eſt, omne quod
ad voluptatẽ & delicias corporis pertinet.
Concupiſcentia oculorũ eſt omnis curio-
ſitas,quæ fit in diſcẽdis nefarijs artibus, in
con

Digitized by Google

cõtemplandis ſpectaculis turpibus, vel ſuperfluis, acquirendis tẽporalibus rebus, vel cognoſcendis, carpendiſq; vitiis proximorũ. Superbia vitę, cùm ſe quis iactat in honoribus. Mundus itaque plenus eſt malis. Quid enim faciunt homines ſæculares ſecundũ mundum viuẽtes, quàm diuerſis ſe cõtendunt implicare peccatis? ſuaſq; animas confodere vitiorum vulneribus, & cõcupiſcentiarum ſagittis, in tantum vt non ſentiant ea? Impletum videmus in Eccleſia illud Oſeę capite quarto: Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum eſt homicidium, furtum, adulterium, mendacium inundauerunt. A minori quoque (inquit alius Propheta) vſque ad maiorem, omnes auaritię ſtudent. Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt dominus. Et paſtores pręuaricati ſunt. Non latet ad quãtam ruinam deuenit Eccleſia penè in omni ſtatu, gradu, & ordine. Porrò ſi Chriſtiani nunc viuerent ſicut olim, non eſſet tanta neceſſitas fugiendi à mundo. Verùm ſicuti nunc vt plurimũ viuitur, ſumma difficultas eſt benè viuere, ſeu mortalia peccata declinare in mundo, pręcipuè his, qui manuali opere non occupantur, ſed abundant diuitiis, & cum ſęcularibus conuerſantur: Fraudes, ambitio, in- *Hiere. 6.*

 uidia,

uidia, voluptas, & omnia mala ſuper terrã diffuſa sũt. Cogitat vnuſquiſq; quomodo ſubſtãtiã ſuã multiplicet. Nemo qualiter animã ſuam ſaluet. Timent ne paupertatẽ incurrant. Nónne autẽ, vt ne in gehẽnæ ſupplicia incidant? Mundus eſt fornax vitiorum, quã mundani ſeptẽplici (ſeptem videlicet principaliũ vitiorũ) igne ſuccendunt, & in ea cõburunt ſeipſos, & ſuos collegas. Vbi in tantum excęcãtur, vt pericula ſua, quamuis audita & nota, nõ vitent nec metuant, ſed tanquã phrenetici, & inſani periculis ſuis exultant. Eos quoque, quos ſimilibus non cernunt inuolui periculis, inſenſatos reputant & inſanos. Hinc Sen. ait: Quoties inter homines fui, minor homo redij. Et Alanus, Ad mala facta malus ſocius ſocium trahit. Et ſic fit malus & nequam, qui ante bonus fuit. Denique ſicut populus Iſraël non valebat ab Ægypto recedere, niſi diuino adiutus auxilio, ſic nemo à ſæculo iſto poteſt auerti, niſi diuinæ miſericordiæ tactu, & munere adiuuetur. Defectus tamen non erit ex parte Dei, dũmodo, quod in ſe eſt, fecerit homo. Mundus hic comparatur deſerto, per quod filij Iſraël proceſſerunt ab Ægypto ad terram promiſſionis. In quo quidem deſerto tot occurrerunt obſtacula, quòd ex ſexcentis

Dani. 3. *Seneca.* *Alanus.* *Exod. 12.*

Digitized by Google

centis numeratis millibus duo duntaxat, *Deut.* I.
ſcilicet Caleb & Ioſue, perducti ſunt ad terram promiſſionis. O quãtũ gaudet modò diabolus, omnes in procliuio, & ſordibus vitiorũ conſpiciens. Terrenis inhiant homines, terrena ſapiunt, Deũ, & mandata eius nõ curãt, terribilia Dei iudicia audiẽtes, nõ obſtupeſcũt, ſed tanquã fabulas audiunt, omnia ſine cauſa fiunt nobis. Duritia noſtra nõ mitigatur. Sed nunquid Deus iuſtitiã ſuam relinquet, aut peccata inulta deſeret, aut verba, quæ de futuro iudicio, ac debitis pœnis prædixit, falſificari permittet? Præterea qui terrenarũ rerũ ſuperatur amore, in Deo nequaquã delectatur. Nullus autẽ permanet diu abſque delectatione. Qui ergo in ſpiritualib⁹ nõ lętãtur, ad mundana ſolatia ſe infundunt, ſicq; vitiorũ multitudine obruuntur. Hinc Augu. *Auguſt.*
Beatus eſt, inquit, domine, qui amat te. qui autẽ te non amat, mundũ amat, vitijs ſeruit, nunquã quietus, nunquam ſecurus, ſed diſtractus atq; diſperſus eſt per varias mũdi curas, vanitates, & pompas. Porrò quòd ſæculi voluptates cõtemnis, aut dęmonum laqueos euadis, felix es. Felix anima, quę delectationib⁹ huiuſmodi oblectatur, in quibus nulla turpitudine inquinat᷑, ſed veritatis ſerenitate purgatur, quã ita delectat lex

Dei, vt vitet laſciuias mundi. Verũ, quandiu dulceſcit nobis iniquitas, amara eſt æquitas, & cui dulcis eſt mundus, nõ ſapit Chriſtus: ſed guſtato ſpiritu Dei, deſipit omnis caro. Porrò multiplici vitiorũ deformitate inficitur, qui mundo huic mẽte obſequitur: & qui nihil de diuina dulcedine ſapit, terrenis deſideriis ſordidari non metuit. Et ſi hi à peccatis puri eſſe non queũt, qui pro Dei amore mundũ ſpernẽtes, & religionẽ intrãtes in cæleſtibus conuerſantur: quibus peccatorum ponderibus prægrauãtur, qui in medio mundi, ſine ſolicitudine & timore Dei, mũdi vanitatibus inſiſtere non verentur? Quid eſt eorum viuere niſi peccata? Sæculi lætitia eſt impunita nequitia. Sed quod reprobi delectationẽ exiſtimãt, virtuoſi electi pœnam diffiniunt, penſantes animã inde æternaliter diſperire, vnde contingit carnẽ ad tempus ſuauiter viuere. Vlulate, & flete miſerabiles ſæculi amatores, qui corpus ante tempus, animamq́; necatis, dum vitiis gulę, atque luxuriæ immoderãter, viliterq́; ſeruitis. Inde enim procedunt infirmitates, & mors repentina. Gaudete, & iucundamini nunc in hoc breuiſſimo tẽporis veſtri ſpatio, vt poſtmodũ cum diabolo æternaliter lugeatis. Epulemini, & inebriamini, vt poſt modi

Gregor.

Digitized by Google

modicum cũ diuite, qui epulabatur quotidie ſplẽdidè, æternum inferni incẽdiũ ſortientes, guttã aquæ frigidæ poſtuletis, nec tamẽ recipere valeatis. Cur ferro, & ſaxis duriora ſunt corda veſtra, cùm pro his infeliciſſimis mũdi caducis ſolatiis), vaniſq; delicijs nõ perpẽditis neque timetis imminere vobis illam horrendã Chriſti ſententiã: Ite maledicti in ignẽ æternum? Fortè dicetis, Clemẽs eſt Deus, nec vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Et quacunque hora peccator ingemuerit, omnium peccatorum eius nõ recordabitur amplius. Sicut per Ezechielem promiſit. Si *Eze.18.* ergo vel in puncto mortis ingemiſcat peccator, ſaluabitur. Fateor, vera ſunt hęc, imò incõparabiliter magnitudo pietatis diuinæ mentis noſtræ capacitatẽ excedit, cùm ſit verè immẽſa. Quod patet in hoc, quòd peccãtes tam diu ſuffert, tam lõganimiter, vt conuertantur, expectat redeuntes, tam miſericorditer recipit, tam citò indulget conuerſis, tantam gratiam influit eis, ac ſi nunquam peccaſſent. Nónne infinitæ pietatis eſt opus hoc? Sed nõ minor eſt æquitas quã eius pietas. Et quos diutiùs, vt pæniteat præſtolatur, & tolerat, non conuerſos grauiùs deteſtatur & punit. Quod autem propheta ait de gemitu peccato-

ris

ris, intelligendum eſt vtique de gemitu ex vera contritione procedente. Vera autem contritio ex vera Dei dilectione procedit, & ex odio culpæ, atque affectu iuſtitiæ Et
Hieron. ſicut teſtatur Hiero. neceſſaria eſt pœnitentia, ſiue contritio, quę adæquet crimina aut certè excedat. Cui cõſonat illud Chry-
Chryſ. ſoſtomi: Compunctio eſt, quæ facit animã horreſcere purpuram, optare cilicium, amare lacrymas, fugere riſum. Cùm ergo hæc ita ſe habeant, qualis eſſe poteſt contritio, & gemitus eius, qui in articulo mortis confitetur, & pœnitet, quoniã ampliùs viuere ſe non poſſe perpendit, imo ſi diutiùs ſe victurum conſideret, confeſſionem differret. Formidandum videtur, quòd ex timore ſeruili, & fide informi, ac proprij commodi nudo intuitu contritio & gemitus illi naſcantur. Nec eſt vera contritio, ſed quædam attritio. Qui autẽ ſalubriter confitetur, & pœnitet, oportet vt doleat de peccato, inquantum eſt peccatum & Dei offenſiuum, ſeu diuinæ ſanctitatis, ac ma-
2. Mac. 9. ieſtatis inhonoratiuũ. Hinc 2. Mach. Antiochus legitur pœnituiſſe, nec tamen miſericordiam inueniſſe. Simile ſcribit Apo-
Heb. 12. ſtolus ad Hebræ. de Eſau, Non inuenit, ait, pœnitentiæ locum, quãquã cum lacrymis inquiſiſſet eum. Nullus ergo vana ſpe, & ſtulta

ſtulta perſuaſione fallat ſeipſum. Dicit nāque Hieronymus, Hoc teneo, hoc verum puto, quòd ei non bonus eſt finis, cui mala ſemper fuit vita, qui dum ſanus & validus fuit, Deum offendere non expauit, ſed in mundi vanitatibus vixit. Precioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius, ait Pſal. mors verò peccatorum peſſima. Hinc quoque teſtatur Anſel. Percutitur hac vltione peccator, vt moriēs obliuiſcatur ſui, qui viuus & ſanus oblitus eſt Dei. Et Auguſt. Non poteſt malè mori, qui benè vixit, vix benè moritur, qui malè vixit. Veruntamen de nullo eſt deſperandum, ſed peccator etiā in extremis ad pœnitentiam eſt hortādus: Interdum nāque fortaſſe cōtingit, quamuis rariſſimè, vt, qui tempore ſanitatis pœnitere neglexit, tunc pœnitendo miſericordiam impetret. Nihilominus ſtultiſſimus eſt omnis viuēs, & incolumis, qui ſe tanto cōmittit diſcrimini. Agamus ergo, quod tutius eſt, pœnitendo, & vitam corrigēdo quotidie, dum ſani conſiſtimus, cum propheta deuotiſſimè deprecātes, Ne proiicias me, domine, in tēpore ſenectutis cùm deficiet virtus mea, ne derelinquas me: Ecce enim nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis, vt dicit Apoſtolus.

Hierom. *Pſa.70.* *1.Cor.15.*

De nobilitate Deiformi animæ ſanctæ Deum feruenter

feruenter amantis, & ineſtimabili vilitate animæ induratæ ſed peccatricis.

Cant. 9. ART. XXV.

QVæ eſt iſta velut aurora conſurgens pulchra vt luna, electa vt ſol? terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Quemadmodum ait Ioan. Nunc filij Dei ſumus, & nondũ apparuit, quid erimus. Scimus quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei (ſcilicet Deo) erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt, hoc eſt clarè, & immediatè per ſpeciẽ. Viſio autem intellectualis fit per formam, ſeu ſpeciem intelligibilem, quę ſit ſimilitudo rei intellectæ. Nec poteſt ſimilitudo illa rẽ plenè repræſentare, niſi fuerit ipſi rei adæquata. Omnis autem forma, ſimilitudo, & ſpecies creata à plena repræſentatione diuinæ eſſentiæ occumbit, diſtat, & deficit infinitè. Idcircò ſecundùm Thom. Deus videtur in patria, per hoc quòd ipſa diuina eſſentia vnitur mentibus beatorum loco intelligibilis formæ, nõ per inhæſionem, ſed aſſiſtentiam, ita quòd diuina eſſentia eſt quod, & quò in beatifica viſione. Porrò viſio iſta ſuperdigniſſima, eſt penitus ſupernaturalis, quã Philoſophi omni menti creatæ, etiam ſubſtãtiis ſeparatis impoſſibilem eſſe putabant. Vnde, vt eam obtineamus, indigemus multis ſupernaturalibus donis, mediis, atque auxiliis. Et primò

1. Ioan. 3.

Thom.

primò datur nobis à Deo benedicto gratia gratum faciens,quæ ipſam intellectualis,ac rationalis naturæ eſſentiam ornat & perficit,atque in eſſe ſupernaturali diuino,& ad promerendum vitam æternã idoneo ſtatuit.Inſuper charitas,qua Deus, proximúſque amatur , ſupernaturaliter, purè, gratuitè nobis à ſpiritu ſancto infunditur: ſed & fides quoque , & ſpes. Hæc charitas inhabente præponderat amori totius vniuerſi:ita vt plus diligat Deũ,quàm vniuerſa creata , imò minimus gradus charitatis facit Deum plus toto vniuerſo amari. Aliter homo nõ eſſet in ſtatu ſalutis, prout Thom. pulchrè deducit. Præterea ſecũdùm doctores , quicunque habet charitatem,& gratiam iam præfatam,habet etiam ſeptem dona ſpiritus ſancti , ſaltem ſecundùm aliquem gradum,ceteráſque virtutes infuſas charitati,& gratiæ connexas. Quo autem in charitate , & gratia magis profecerit,eo in donis& virtutibus ſublimiùs creſcit. Denique tanta eſt dignitas , atque excellẽtia horum ſupernaturalium bonorum,vt nec comprehendi facilè,nec explicari poſſit. Nulla quippe naturalis perfectio, forma, decor , aut claritas eis poteſt æquari:non tantũ neque tã pulchrè ornat lux cæleſtis ſuſtantiã ſolis & lunæ , quantum

tum gratia decorat eſſentiam animæ. Nec ſol tantùm venuſtat regionem celeſtẽ, quã tum charitas Dei venuſtat animæ volũtatẽ. Sed nec ſeptem planetę tãtum ornãt orbes cæleſtes, quãtum ſeptem dona ſpiritus ſancti ornãt atque clarificant animæ vires, Neque vniuerſitas denique ſiderum tãtum decorat ac perficit firmamẽtum, ſeu ſphęram octauam, quantum vniuerſitas cæterarũ virtutũ dignificat, ornat, & perficit animam. Quemadmodum iuxta philoſophũ beatitudo potiùs cõſiſtit in actu quam habitu: Sic apud Theologos magis perfectio conſiſtit in actibus virtuoſis quàm in ipſis habitibus. Nobiliorum quoque habituum nobiliores ſũt actus. Cũ ergo præhabita gratiæ bona, ac dona, ſint habitus tã præſtantes ac ſummi, nónne nobiliſſima, deiformis atq; prelucida tibi videtur anima Chriſtiana, quæ horũ habituum actibus iugiter occupatur, quæ tam ſpiritualiter, ſupernaturaliter, ac deiformiter cõuerſatur, Deum tam eminenter colit, & veneratur: cuius vtique cõuerſatio eſt in cælis? Hinc nimirum anima talis eſt Dei filia, amica, & ſpõſa, ſecretorum cęleſtium cõſcia, Deo familiaris, conformis in affectu, ac intima hæres Dei, cohæréſque Chriſti quæ reuelata facie gloriã Dei contemplans, in eadem transfo

Philoſ. *Philip. 3.*

Digitized by Google

trãsformatur imaginem à claritate in claritatem. Quia in faſtidium verſa ſunt ei omnia iſta mũdana, caduca, carnalia, humana ſolatia, laudes, honores, & põpæ ſæculares, & quicquid diſplicet Deo: quicquid verò nouerit Deo placere, hoc toto affectu amplectitur. Denique ſecũdũ Philoſophos, motus ſortitur dignitatem, nomen, & ſpeciẽ à termino ad quẽ. Actio quoque dignificari ſolet à dignitate obiecti, atque materiæ, circa quã. Quanta ergo eſt dignitas & gloria eius, cuius motus & actus, vita, intentio verſantur iugiter circa Deum excelſum, & terminãtur in ipſum, quẽ conſtat dignitatis eſſe immenſæ, vniuerſique alijs in infinitum præminere? Hæc, frater amande, ſic breuiſſimè tãgo, vt te ad veræ, atque diuinæ nobilitatis, hoc eſt, ad ſanctæ ac religioſæ conuerſationis, ad ſacratiſſimæ perfectionis amorem inducam, excitẽ & accendã. Quod vt ardentiùs appetas etiam de peccatricis animæ vilitate, peruerſitate, & deformitate modicum dicam. Hæc itaque cùm ſit per peccatũ mortale à Deo auerſa, ſpiritaliter mortua eſt, nec agit aliquid gratum Deo, aut meritorium vitæ æternæ. Hęc bona tranſitoria, ſenſibilia, mũdana, viliſſima ſummo, ęterno, perfecto, infinito, & incõmutabili bono Deo ve-

ro, omnipotēti,ac ſupergterioſiſſimo præfert,(in quo quidem Deum maximè inhonorat.) In caducis & vani ſibi finem conſtituit,nec finaliter in creatore quieſcit,ſed ei prorſus ingrata [illegible], ei non curans adhærere,ſubdi,parere: dæmonibus aſſimilatur, vitiis famulatur, Deo odibilis, angelis diſplicens,ſeipſam inceſſabiliter lædens, deturbans, damnādamq́ue faciens. Quo plus in terrenis ac tranſitorijs,atque carnalibus delectatur,eo viliùs viuit,eò infelicior eſt. Quò plus mundi vanitatibus gaudet,eo ſe coram Deo contemptibilius habet, cùm non ſit timorata, neque ſolicita Deo obedire, debitáque reuerentiam in omnibus exhibere. Denique per actus virtuoſos, & ſanctos, & per diuinæ dilectionis affectus Deo præcipuè aſſimilamur. Per paſſiones verò,vanitates, & vitia diſſimiles ei efficimur. Similitudo autem eſt cauſa amoris, quemadmodū diſſimilitudo odij & rancoris, ſed & perfectio creaturæ, præſertim rationalis & intellectualis, eſt creatori proportionabiliter aſſimilari. Quantò igitur virtutibus inſigniores efficimur, tantò Deo ſimiliores ſumus, clariores & intus ſpecioſiores, quantò verò magis peccamus,tantò domino Deo noſtro diſſimiliores, odibiliores,turpioreſq́ue ſumus: quod

reuera

reuera ignobiliſſimũ, atque miſerrimum. Magna eſt ergo (vt vides) inter animã virtuoſam & vitioſam differentia, atque diſtãtia. Vnde etiã ſecundùm Philoſophum: Homo contemplatiuus eſt amantiſſimus Deo, iniuſtus verò, & vitioſus decies millies deterior bruto. Quod vtiq; ex diuerſitate remunerationis eorũ clariſſimè innoteſcit. Virtuoſam ſiquidẽ cõſtituit in cœlo empyreo, dans ei ſeipſum in præmium, & omnia ſua communicans ei per immediatam, beatificámque vnionem cum ipſo Vitioſam verò à ſe in æternum repellit, dæmonibus tradit, in inferno conſtituit, ſempiternis pœnis addicit Nunc ergo, dilecte, diſcerne inter hæc duo, & quod meliùs iudicas, elige & obſerua. Noli teipſum eatenus vilificare, vt dæmonũ, & peccati inueniaris mãcipiũ. Fac modicũ propter Deum, & propter huius breuiſſimæ, ac incertiſſimæ vitæ diuitias, delicias & honores: noli pręmemoratam deuotæ animæ dignitatem, decorem, deificationem negligere, ſed timoratè & cuſtoditè coram altiſſimo viuere, præſertim cùm per vnum peccatũ mortale omnia ſupernaturalia gratiæ dona perdantur, & anima ad inſtar diaboli turpis, peruerſa, inordinata efficiatur.

De quibuſdam mundi vanitatibus euitandis,

videl. riſu, ludis, iocis, choreis & aleis, & verbis inanibus. ART. XXVI.

Luc. 6. VÆ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Per væ ſolet in ſacra ſcriptura æterna damnatio deſignari. Si itaque Chriſtus ridentibus æternã pœnam

Eccleſ. 1. minatur, quis in hac vita poteſt eſſe ſecurus? leuis, iocoſus eſt damnandus, & reprobus, qui cùm ſit ſine timore Dei, iuſtificari nõ poteſt. Denique ſi penſamus quantis vallamur periculis, quantis circundamur laqueis, quantis dilaniamur omni die peccatis, quàm imperfectè & irreuerenter Deo ſeruimus, item quot quotidie mala fiunt in ſæculo, quomodo Deus inhonoratur, quã multi quotidie pereunt, quantis periculis, pœnis, ſeu vitijs cognati, amici, & benefactores noſtri viui, ſiue defuncti expoſiti ſunt, habebimus potiùs cauſam plorandi quàm ridendi. Hoc conſiderauit ſanctus ille Eremita, qui, cùm fratrem quẽdam vidiſſet ridentem, ingemiſcens dicebat: Coram cœlo, & terra rationem reddituri ſumus in die iudicij, & tu rides? Hinc

Eccleſ. 7. Salomon ait: meliùs eſt ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij. Et rur-

Eccl. [illegible] ſus: Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtrà deciperis? Veruntamen non quilibet riſus eſt tam magnum peccatum,

tum,ſed de riſu conſuetudinario, vel illo, qui ex lętitia penitus inordinata procedit, loquitur Chriſtus. Vnde & Iacobus ait diuitibus: Riſus veſter vertetur in luctum, & gaudium in mœrorem. Proinde ludere, & iocari Chryſoſtomus reprobat, quamuis interim honeſtus ludus excuſetur, dum ex rationabili cauſa & pia agitur intentione. Sed ad aleas ludere tertio Decretalium clericis præcipuè inhibetur. De choreis quoque dicit Chryſoſt. Vbi ſaltatio, ibi diabolus, neq; enim ad hoc dedit nobis Deus pedes, vt cum camelis ſaltemus: ſed vt cum angelis chorum faciamus. Inſuper ſi grata mente reuoluis, quomodo filius Dei pro tua ſalute in cruce brachiis extenſis ſuſpenſus eſt, quomodo pro te alba veſte, & purpurea ſit illuſus, imo nudatus atque in cruce nudus leuatus, & variis modis deriſus eſt, ſpero quòd neque in choreis neq; in veſtibus curioſis, pretioſis, põpoſis, neq; in laudibus hominum delectationem habebis, ſed omnia vana hæc deſpicies & vitabis. Praetereà ad oris cuſtodiam admonet Salom. dicẽs: Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam cuſtodit, ab anguſtiis animam ſuam. Et denuò: Vidiſti hominem volocem ad loquendum, ſtultitia magis ſperãda eſt, quàm illius correctio. Hinc dicit Greg.

Iaco. 4.

Chryſoſt.

Prou. 2.

Prou. 21.

Gregor.

verba incauta, verba vana citò polluunt mentem. Hoc procedat ex labiis, quod aures non polluat audientis. Vanus ſermo vanæ conſcientiæ index eſt. Qualis ſermo oſtenditur, talis animus comprobatur. Qui otioſa verba non deprimit, citò ad noxia

Seneca. tranſit. Hinc Seneca dicit: Qualis vir, talis oratio, id eſt ſermo. Imago etenim cordis eſt ſermo oris. Quòd ſi verba otioſa, & vana ſic reprobantur, quid de verbis ſcurrilibus, lubricis pungitiuis, detractoriis, malitioſis & inuidis ſentiendum videtur? Poſtremò terreat & à ludis auertat te, quod ſanctus Cyrillus Epiſc. Hieroſolymitanus recitat, chariſſimũ ſuum nepotem ſibi poſt mortẽ apparuiſſe atque dixiſſe, quòd eſſet æterna condemnatus morte, eo quòd in

Cyrillus. ludis immoderãter delectabatur, nec inde dignè pœnituit. Erat autem, vt ſcribit Cyril. iuuenis ille tãta pulchritudine, eloquẽtia, & morum decore ornatus, vt ab vniuerſis miro amaretur affectu. Hoc imprime tuæ memoriæ, frater chariſſime, terrificum ſane exemplum.

Contra ſuperfluitatem diuitiarum, & quare ſuperfluitas ſit in culpa, præſertim in clericis.

ART. XXVII.

Eccle. 10. AVaro nihil eſt ſceleſtius. Nil eſt iniquius, quã amare pecuniam, hic enim animam

Digitized by Google

animam ſuam habet venalem. Certum eſt, corporalia ad ſpiritualia ordinari tanquam ad finem. Aliter autē amatur, atque appetitur finis, & aliter media, quæ ordinantur ad finem. Finis nāque per ſe ipſum appetibilis eſt, & amandus, quemadmodum ſanitas in medicinali facultate. Media verò in quantū proficiunt, ſeu vtilia ſunt ad finē, vt per ea finis conuenientiùs adipiſcatur, aut conſeruetur. Diuitiæ ergo ad ſpiritualem animarū noſtrarū profectū finaliter ordinantur. Porrò profectus & perfectio animæ in actu virtutum conſiſtit. Eſſentialiter quidem in actu charitatis & ſapientię (ſcilicet in cōtemplatione, & dilectione diuinorū:) Diſpoſitiuè verò in actib. virtutū moralium In tātū ergo diuitię licitè habētur, appetuntur, amātur, in quātum neceſſariæ ſunt ad corporeæ huius vitæ ſuſtētaculum, & vtiles ad ſobriū vſum alimētorum, ac veſtium, per quem vſum aptificatur anima ad actus contemplationis, delectationiſq; diuinæ. Si autē plus appetuntur, auaritia verè committitur, quæ eſt inordinatus appetitus tēporalium rerū ſeu diuitiarū: éſtque ex ſuo genere peccatum mortale, & eſt cōtraria iuſtitiæ ſecundùm Tho. Interdum verò propter imperfectionē paruitatémq; actus à mortali excuſatur. Quid autem ex

his cōſequens ſit, non oportet me inferre, ne forſitan non credatur. Sed audiamus ſummos ſanctiſſimóſque doctores. Augu. & Baſi. dicunt: Nō minoris eſt criminis habēti tollere, quā cùm poſſis & habes, indigentib⁹ denegare. Eſurientiū panis eſt, quā tu detines. Nudorum indumentum, quod includis. Miſerorum redēptio & abſolutio, pecunia quā in terra abſcondis. Tantorum ſcias te inuadere bona, quātis poſſis prętare, & nō vis. His cōſonat illud Hier. Quicquid ampliùs quàm nobis opus eſt, à Deo accepimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum eſt, noſtris cupiditatib⁹ vel vanitatibus reſeruamus, quāti pauperes in locis, vbi nos ſumus, paupertate, aut nuditate mortui fuerint, nouerimus, nos de animabus illorum in die iudicij rationē daturos Hinc dicit Ambroſ. Qui diuitiarum ſeruus eſt, cuſtodiat eas vt ſeruus. Qui autem ſeruitutis iugum diſcuſſit, diſtribuit eas vt dominus Hæc autē omnem Chriſtianū cōcernūt. Nunc inſuper ad clericos deſcēdendum. In primis atque ſolenne iam eſt, quod S. Ber. cuidā ſcribit canonico. Quicquid, inquiens, pręter neceſſariū victū ac ſimplicē veſtitū de altari retines, tuū nō eſt, furtum eſt, rapina eſt, ſacrilegiū eſt. Vnde denuò ait, Res pauperū non pauperi

Hieron.

Ambroſ.

Bernard.

Digitized by Google

peribus datæ ſacrilegij crimen eſſe digno-ſcitur. Sanè patrimonia pauperum ſunt facultates eccleſiarum, & ſacrilega pauperibus crudelitate ſubripitur, quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, nõ vtique poſſeſſores, vltra victum accipiũt & veſtitũ. Nec enim ordinauit Deus his, qui de Euãgelio viuunt, de Euangelio quærere diuitias, vel ornamẽtum, ſed viuere ex eo, vt videl. ſint cõtẽti alimẽta corporis, nõ gulæ irritamẽta & libidinis incentiua, & quibus tegãtur, non quibus ornentur, accipere. Hæc tibi, chariſſime, ardua ſatis ſcio videntur. Sed addam hoc quod te forſan terrebit, arduiſſimúmque parebit. Ecce glorioſus doctor Eccleſiæ ſanctus Hieronym. dicit, Clericus qui de bonis ſuis ſubſtẽtari poteſt, ſi acceperit quod pauperũ eſt, ſacrilegium perfectè cõmittit, atque per abuſionem talium iudicium ſibi manducat & bibit. Si eges, & accipis, das potiùs quã accipis. Si autẽ non eges & accipis, rapis Vides, chariſſime, ſtatus tui pericula, de quibus mox pleniùs dicam ex verbis Ber Porrò cùm clerici & ſacerdotes, atque prælati noui teſtamenti ad ſpecialem cordis obligentur mundiciã, & vt vulgò ſint exemplares, indecentiſſimũ profectò, omniſque damnationis pleniſſimũ eſt, vitijs carnis (in quibus eſt ma- *Hieron.*

xima turpitudo. ſcilicet gulæ ſiue luxuriç) deſeruire. Quòd ſi delicatè & molliter viuant, ventrem cibo oculum ſomno, mentem inani lætitia impleant, molli in ſtratu quieſcant, inutilibus verbis iocis & riſibus vacent, nunquid arctam viam ſalutis incedunt? Non vtique. cùm S. Luc. dicat: Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ vobis diuitibus qui habetis conſolationem veſtram. Terreat te, quod in miraculis ſancti Hieronymi legitur, quemadmodum Romæ quidam Andreas nomine presby. cardinalis, cum poſt mortem miraculosè ad corpus redijſſet, perhibuit ſe aliter fuiſſe damnandum propter ſuperfluitatem ſuã in cibis & veſtimentis, niſi Hiero ſibi miſericordiam impetraſſet, ita vt rediret ad corpus & pœniteret. Poſtremò ſi penſes ad quantam ſobrietatem & mediocritatem in veſtibus atque pecunijs multi etiam philoſophorum ſeipſos dederunt: miraberis, vt opinor, de guloſitate, de curioſitate & auaritia Chriſtianorum, non modò vulgi, ſed etiam clericorum. De hoc Plato in Phædro, Tullius quoque & Seneca, atque Marco. multa ſcripſerunt.

Luc. 7. *Exempl.*

Quòd nihil periculoſius quàm hoc ſeculo tẽporaliter proſperare, nec à Deo paternè caſtigari.

ART. XXVIII.

Diſci

DIſciplinā Domini, fili mi, ne abiicias, & ne deficias, cùm ab ipſo corriperis. Quem enim diligit Deus, caſtigat & quaſi pater in filio cōplacet ſibi. Exigit æquitas Dei, vt ſicut nullum bonum præterit irremuneratum, ſic nullum malum tranſeat impunitum. Porrò electi in mundo hoc ſine peccatis ſaltem venialibus nō viuunt. In multis enim offendimus omnes. Si dixerimus, quia peccatū non habemus, noſipſos ſeducimus. Septies inſuper iuſtus cadit in die. Hoc itaque ad clemētiſſimā diuinæ prouidētiæ pertinet dilectionem, ac bonitatem, vt hominem in hac vita pro exceſſibus eius corrigat, ne in futuro duriùs puniatur, Prætereà correctio iſta, ſeu caſtigatio Dei, qua hominem prædeſtinatum in ſæculo iſto paternè exercet, & viſitat, non ſolùm proficua eſt ad delēda peccata commiſſa, ſed etiā à præſentibus retrahit, atque ad vitandum futura diſponit, dum occaſiones peccandi remouet, terret, cautúmque efficit. Vexatio quippe, ſecūdū Eſaiam, dat intellectum, & qui virgam expertus eſt, ampliùs metuit. Facit quoque hominē ſua peccata humiliter recognoſcere, atque dolere. Propter quod Dominus loquitur. Caſtigo te, ne tibi videaris innoxius. Rurſúsque Hieremias: Caſtigaſti me Domi

Domine, inquit, & eruditus ſum. Denique caſtigatio iſta diſponit ad gratiã ampliorẽ in via, maximámque, ſi patienter feratur, mercedem ſortitur in patria. Hinc itaque Deus ſuos electos in vita hac multipliciter corrigit, arguit, & emendat, quẽadmodũ aſſerit: Ego quos amo, arguo, & caſtigo. His igitur eluceſcit, quòd illi qui nunc hoc modo nõ viſitãtur à Deo, ſed impunitè præuaricari ſinuntur, licet multis, & magnis, grauiſſimiſq; ſubiacẽt vitiis, nihilominus proſperãtur, ad altiora cõſcẽdũt, & ad libitũ viuunt, non ſint de ſorte, & numero electorum ſed reproborum, præſertim
Iudit. 8. cũ ſcriptũ ſit: Omnes, qui placuerunt Deo per multas tribulationes tranſierunt
Pſal. 30. fideles. Et Pſalmiſta: Multę, inquit, tribulationes iuſtorũ. Itaque quòd peruerſi, & reprobi non caſtigantur paterna nunc à Deo correctione, eſt propter eorum demerita, quibus ſic irã Dei incurrũt, vt nõ corripiat eos in vita præſenti, quatenus æterna recipiant in futuro tormenta inferni. Propter quod de reprobis & ingratis ait Pſal-
Pſal. 80. miſta: Dimiſi eos ſecundũ deſideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus ſuis. Denique de hac temporali impiorũ proſperitate, atque iuſtorum multiplici afflictione ſancti Prophetæ, imperfectis condeſcen

ſcendentes,ſeu morē gerentes,per modum admirationis loquuntur ad dominū. Vnde Hier.Iuſtus quidē,inquit,tu es Domine, ſi diſputem tecum. Veruntamē iuſtè loquar ad te.Quare via impiorum proſperatur,& benè eſt omnibus,qui pręuaricantur in te? *Hier. 12.*
Et ſanctus Iob: Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt,confortatíq; diuitijs, & non eſt virga Dei ſuper illos?Nempe de hac re ſolent imperfecti mirari, & quaſi à ſeruitio Dei auerti, dum ſe conſpiciunt tribulari. Perfecti autem taliter non mirātur,neque mouentur, ſcientes quòd Deus propter cauſas iam tactas electos affligit, reprobos verò relinquit. Hæc ideo chariſſime ſcribo, vt te cautum ac timoratum efficiam: quatenus tanto plus verearis inter reprobos computari, quanto te conſpicis ampliùs proſperari,impunitè peccare, aduerſa non perpeti, corporis commodis gloriari,magiſque ad libitum conuerſari, quanto inſuper te vides magis placere hominibus, & laudari,honorari,ſeu acceptari ab eis.Quia ait Pſal. Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Nónne horribile verbum eſt hoc? Et quidem Apoſtolus idem quoque teſtatur, dicens: Si hominibus adhuc placerem, Chriſti ſer- *Iob. 12.* *Pſal. 52.* *Galat. 1.*

nus

uus non eſſem. Et ipſe ſaluator: Væ, cùm
Lucæ 6. benedixerint vobis homines. Hinc ſcitè
Auguſt. profectò Auguſtinus ait, Periculoſior eſt hic mundus blãdus quàm moleſtus,& magis cauẽdus eſt,cùm ad ſe allicit,& diligit, quàm cùm ſe admonet cogitq; cõtemni:
Gregor. imò ſecundùm Gregoriũ,hos eligit Deus, quos deſpicit mundus. Hinc eſt etenim, quod idem Apoſtolus Paulus Corinthijs
1.Cor.1. ſcribit:Videte,(inquiens) vocationem veſtram,fratres:quia non multi ſapientes ſecundùm carnem,non multi potentes, non multi nobiles ſunt inter vos, ſed quæ ſtulta ſunt mũdi,elegit Deus, vt cõfundat ſapientes. Et quę infirma ſunt mundi, elegit Deus,vt cõfundat fortia: & ignobilia mũdi & cõtemptibilia ecce elegit Deus. Non ergo delectet te,frater,inter magnos &diuites ſæculi huius, inter carnales, & intimoratos eſſe,& viuere, ſed melioribus, & doctioribus te ſemper cõiunge,vt ſapiẽtia virtutibúſque proficias, ne ſimul cum hoc mundo damneris,ſed inter ſanctos,& ele-
Hieron. ctos ſors tua cõſiſtat,Etenim ſi credis Hie. ſcito quòd de mille potẽtibus,& diuitibus mũdi vix vnus inuenitur aptus regno Dei. Ora Deum, vt ſic te corrigat in præſenti, ne te poſtmodum cõdemnet in æternum. Neque enim melior es S.Hieremia in vte-
ro

Digitized by Google

ro matris ſanctificato, qui ait, Corripe me, Domine. Veruntamen in iudicio, & non in furore, ne fortè ad nihilum redigas me. Nã & Paulus teſtatur, Si extra diſciplinã eſtis, ergo adulteri, & non filij eſtis. O dilecte, nihil tibi puta nociuius, quã inter intimoratos vanos, prauámque ſocietatem conſiſtere, nil è diuerſo ſalubrius, quàm inter pios, timoratos, atque deuotos manere. Noli affectionem ſequi, ſed rationem. *Hebr. 8.*

Quòd non vitat peccata mortalia, qui non curat ſolicitè vitare venialia. Et de amico fideli, ac familiari habendo, qui timoratus ſit.

ART. XXIX.

SI nõ in timore Domini tenueris te inſtãter, citò ſubuertetur domus tua. Timor Dei retrahit à peccato. Propter quod Salomon loquitur, Qui timet Deum, nihil negligit. Ille ergo in Dei timore ſe tenet, qui inſtanter, qui indeſinẽter ſolicitus eſt, ne Deum offendat, aut damnationem incurrat, aut peccet. Porrò domus noſtra, de qua fatur allegata ſcriptura, cor noſtrum eſt, in quo per cogitationem & affectionẽ manemus. Hæc citò ſubuertitur incidẽdo peccatum mortale, quo omne ſpiritale ac meritorium etiã aufertur, & peccãs ſpiritaliter moritur, ſi nõ in timore Dei inſtanter perſeueremus. Ex quo quidem innoteſcit

ſcit eum nõ vitare mortalia, qui tota diligentia nõ apponit vitare venialia,atq; minora: Nam & ipſa veniali ũ effrænata conſuetudo ſecundùm Auguſtinum à mortali nõ excuſatur. Venialia namque ad mortale diſponunt, charitatis feruorẽ dirimunt, gratiæ incremẽtum impediunt. Hinc ſancti patres affirmant, Qui modica negligit, paulatim euacuatus decidit. Si ergo, mi frater, vis eſſe in ſtatu ſalutis, in ſtatu charitatis & gratiæ (hoc eſt, extra peccatum mortale & ſine cauſa damnationis ęternę) nõ ſolùm ſatagas maiora vitare facinora, ſed & minora, alioquin mortuus es coram Deo, cuius ſententiam cùm non audierit ouis errat omnino. Peccatum verò mortale eſt plus adhærere, delectari, & affici rebus huius mundi creatis, & caducis, quàm Deo. Hinc dicit Hieronymus, Mens Chriſto dedita ſic cauere debet minora, quomodo maiora peccata, ſciens de omni verbo otioſo rationẽ reddendã. Vnde ait Gregorius: Dum parua nõ cauemus, in magna prolabimur. Qui itaque quotidie vanitati indulget, ridendo, fabulando, iocãdo, hinc inde vagando, & talia in conſuetudinem deducendo, nec quotidie pœnitendo, quomodo putandus eſt à mortali immunis? Nemo palpet, fallat, negligat ſemetipſum.

Auguſt.

ipſum. Denique ſicut [illegible] pater noſter Ioan. Caſſianus [illegible] ad [illegible] dum laqueos dæmonũ, [illegible] negligentiã, & torporem, [illegible] ac proficiendum in bonis, in omni virtute & gratia maximè confert habere [illegible] familiarem, timoratum, expertum, [illegible] tũ ac iuſtũ, cui audeat homo omnia ſua ſecreta fiducialiter pãdere, [illegible] liis inſtrui, exhortatione [illegible] iuuari. Horum enim amicitia in bono, honeſto fũdata fortis & efficax [illegible]. Propter quod ſancti patres dixerũt, [illegible] re ſic deliberari ac [illegible] fraudẽ, tẽtationẽ diaboli, [illegible] cor ſuum viro [illegible], ac [illegible] feſtet, ne virus dęmonis [illegible] inficiat, & occidat. Hinc ſcriptũ eſt, Amicus fidelis protectio fortis. Qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio: & non eſt digna ponderatio auri & argẽti contra bonitatẽ fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitę, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, inuenient illum. [illegible] co ait ſcriptura: Beatus qui inuenit amicũ fidelem. Cùm enim ſit homo naturaliter animal ſociale ſecundũ Philoſophum, naturale eſt, vt ab altero adiuuetur [illegible]

his cōſequens ſit, non oportet me inferre, ne forſitan non credatur. Sed audiamus ſummos ſanctiſſimóſque doctores. Augu. & Baſi. dicunt: Nō minoris eſt criminis habēti tollere, quã cùm poſſis & habes, indigentib⁹ denegare. Eſurientiũ panis eſt, quã tu detines. Nudorum indumentum, quod includis. Miſerorum redẽptio & abſolutio, pecunia quã in terra abſcondis. Tantorum ſcias te inuadere bona, quãtis poſſis prȩſtare, & nō vis. His cōſonat illud Hier. Quicquid ampliùs quàm nobis opus eſt, à Deo accepimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum eſt, noſtris cupiditatib⁹ vel vanitatibus reſeruamus, quãti pauperes in locis, vbi nos ſumus, paupertate, aut nuditate mortui fuerint, nouerimus, nos de animabus illorum in die iudicij rationẽ daturos Hinc dicit Ambroſ. Qui diuitiarum ſeruus eſt, cuſtodiat eas vt ſeruus. Qui autem ſeruitutis iugum diſcuſſit, diſtribuit eas vt dominus Hæc autẽ omnem Chriſtianũ cōcernūt. Nunc inſuper ad clericos deſcẽdendum. In primis atque ſolenne iam eſt, quod S. Ber. cuidã ſcribit canonico. Quicquid, inquiens, prȩter neceſſariũ victũ ac ſimplicẽ veſtitũ de altari retines, tuũ nō eſt. furtum eſt, rapina eſt, ſacrilegiũ eſt. Vnde denuò ait, Res pauperũ non pauperi

Hieron. *Ambroſ.* *Bernard.*

peribus datæ ſacrilegij crimen eſſe digno-ſcitur. Sanè patrimonia pauperum ſunt facultates eccleſiarum, & ſacrilega pauperibus crudelitate ſubripitur, quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, nõ vtique poſſeſſores, vltra victum accipiũt & veſtitũ. Nec enim ordinauit Deus his, qui de Euãgelio viuunt, de Euangelio quærere diuitias, vel ornamẽtum, ſed viuere ex eo, vt videl. ſint cõtẽti alimẽta corporis, nõ gulæ irritamẽta & libidinis incentiua, & quibus tegãtur, non quibus ornentur, accipere. Hæc tibi, chariſſime, ardua ſatis ſcio videntur. Sed addam hoc quod te forſan terrebit, arduiſſimúmque parebit. Ecce glorioſus doctor Eccleſiæ ſanctus Hieronym. dicit, Clericus qui de bonis ſuis ſubſtẽtari poteſt, ſi acceperit quod pauperũ eſt, ſacrilegium perfectè cõmittit, atque per abuſionem talium iudicium ſibi manducat & bibit. Si eges, & accipis, das potiùs quã accipis. Si autẽ non eges & accipis, rapis Vides, chariſſime, ſtatus tui pericula, de quibus mox pleniùs dicam ex verbis Ber Porrò cùm clerici & ſacerdotes, atque prælati noui teſtamenti ad ſpecialem cordis obligentur mundiciã, & vt vulgò ſint exemplares, indecentiſſimũ profectò, omniſque damnationis pleniſſimũ eſt, vitijs carnis (in quibus eſt ma- *Hieron.*

xima turpitudo. ſcilicet gulæ ſiue luxuriç) deſeruire. Quòd ſi delicatè & molliter viuant, ventrem cibo oculum ſomno, mentem inani lætitia impleant, molli in ſtratu quieſcant, inutilibus verbis iocis & riſibus vacent, nunquid arctam viam ſalutis inceLuc. 7. dunt? Non vtique, cùm S. Luc. dicat: Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ vobis diuitibus qui habetis conſolationem veſtram. Terreat te, quod in miraculis ſan-

Exempl. cti Hieronymi legitur, quemadmodum Romæ quidam Andreas nomine presby. cardinalis, cum poſt mortem miraculosè ad corpus rediјſſet, perhibuit ſe aliter fuiſſe damnandum propter ſuperfluitatem ſuã in cibis & veſtimentis, niſi Hiero ſibi miſericordiam impetraſſet, ita vt rediret ad corpus & pœniteret. Poſtremò ſi penſes ad quantam ſobrietatem & mediocritatem in veſtibus atque pecunijs multi etiam philoſophorum ſeipſos dederunt: miraberis, vt opinor, de guloſitate, de curioſitate & auaritia Chriſtianorum, non modò vulgi, ſed etiam clericorum. De hoc Plato in Phædro, Tullius quoque & Seneca, atque Marco. multa ſcripſerunt.

Quòd nihil periculoſius quàm hoc ſeculo tẽporaliter proſperare, nec à Deo paternè caſtigari.

ART. XXVIII.

Diſci

DIſciplinā Domini, fili mi, ne abiicias, & ne deficias, cùm ab ipſo corriperis. Quem enim diligit Deus, caſtigat & quaſi pater in filio cōplacet ſibi. Exigit æquitas Dei, vt ſicut nullum bonum præterit irremuneratum, ſic nullum malum tranſeat impunitum. Porrò electi in mundo hoc ſine peccatis ſaltem venialibus nō viuunt. In multis enim offendimus omnes. Si dixerimus, quia peccatū non habemus, noſipſos ſeducimus. Septies inſuper iuſtus cadit in die. Hoc itaque ad clemētiſſimā diuinæ prouidētiæ pertinet dilectionem, ac bonitatem, vt hominem in hac vita pro exceſſibus eius corrigat, ne in futuro duriùs puniatur, Prætereà correctio iſta, ſeu caſtigatio Dei, qua hominem prædeſtinatum in ſæculo iſto paternè exercet, & viſitat, non ſolùm proficua eſt ad delēda peccata commiſſa, ſed etiā à præſentibus retrahit, atque ad vitandum futura diſponit, dum occaſiones peccandi remouet, terret, cautúmque efficit. Vexatio quippe, ſecūdū Eſaiam, dat intellectum, & qui virgam expertus eſt, ampliùs metuit. Facit quoque hominē ſua peccata humiliter recognoſcere, atque dolere. Propter quod Dominus loquitur. Caſtigo te, ne tibi videaris innoxius. Rurſúſque Hieremias: Caſtigaſti me

Domi

Domine, inquit, & eruditus ſum. Denique caſtigatio iſta diſponit ad gratiã ampliorẽ in via, maximámque, ſi patienter feratur, mercedem ſortitur in patria. Hinc itaque Deus ſuos electos in vita hac multipliciter corrigit, arguit, & emendat, quẽadmodũ aſſerit: Ego quos amo, arguo, & caſtigo. His igitur eluceſcit, quòd illi qui nunc hoc modo nõ viſitãtur à Deo, ſed impunitè præuaricari ſinuntur, licet multis, & magnis, grauiſſimiſq; ſubiacẽt vitiis, nihilominus proſperãtur, ad altiora cõſcẽdũt, & ad libitũ viuunt, non ſint de ſorte, & numero electorum ſed reproborum, præſertim cũ ſcriptũ ſit: Omnes, qui placuerunt Deo per multas tribulationes tranſierunt fideles. Et Pſalmiſta: Multę, inquit, tribulationes iuſtorũ. Itaque quòd peruerſi, & reprobi non caſtigantur paterna nunc à Deo correctione, eſt propter eorum demerita, quibus ſic irã Dei incurrũt, vt nõ corripiat eos in vita præſenti, quatenus æterna recipiant in futuro tormenta inferni. Propter quod de reprobis & ingratis ait Pſalmiſta: Dimiſi eos ſecundũ deſideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus ſuis. Denique de hac temporali impiorũ proſperitate, atque iuſtorum multiplici afflictione ſancti Prophetæ, imperfectis condeſcen

Iudit. 8.

Pſal. 30.

Pſal. 80.

Digitized by Google

ſcendentes,ſeu morẽ gerentes,per modum admirationis loquuntur ad dominũ. Vnde Hier. Iuſtus quidẽ,inquit,tu es Domine, ſi diſputem tecum. Veruntamẽ iuſtè loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur,& benè eſt omnibus,qui pręuaricantur in te? Et ſanctus Iob: Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt,confortatíq; diuitijs, & non eſt virga Dei ſuper illos? Nempe de hac re ſolent imperfecti mirari, & quaſi à ſeruitio Dei auerti, dum ſe conſpiciunt tribulari. Perfecti autem taliter non mirãtur,neque mouentur, ſcientes quòd Deus propter cauſas iam tactas electos affligit, reprobos verò relinquit. Hæc ideo chariſſime ſcribo, vt te cautum ac timoratum efficiam: quatenus tanto plus verearis inter reprobos computari, quanto te conſpicis ampliùs proſperari,impunitè peccare, aduerſa non perpeti, corporis commodis gloriari,magiſque ad libitum conuerſari, quanto inſuper te vides magis placere hominibus, & laudari,honorari,ſeu acceptari ab eis. Quia ait Pſal. Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Nónne horribile verbum eſt hoc? Et quidem Apoſtolus idem quoque teſtatur, dicens: Si hominibus adhuc placerem, Chriſti ſer-

Hier. 12.
Iob. 12.
Pſal. 52.
Galat. 1.

uus non eſſem. Et ipſe ſaluator: Væ, cùm
Lucæ 6. benedixerint vobis homines. Hinc ſcitè
Auguſt. profectò Auguſtinus ait, Periculoſior eſt hic mundus blādus quàm moleſtus,& magis cauēdus eſt,cùm ad ſe allicit,& diligit, quàm cùm ſe admonet cogitq; cōtemni:
Gregor. imò ſecundùm Gregoriū,hos eligit Deus, quos deſpicit mundus. Hinc eſt etenim, quod idem Apoſtolus Paulus Corinthijs
1.Cor.1. ſcribit:Videte,(inquiens) vocationem veſtram,fratres:quia non multi ſapientes ſecundùm carnem,non multi potentes, non multi nobiles ſunt inter vos, ſed quæ ſtulta ſunt mūdi,elegit Deus, vt cōfundat ſapientes. Et quę infirma ſunt mundi, elegit Deus,vt cōfundat fortia: & ignobilia mūdi & cōtemptibilia ecce elegit Deus. Non ergo delectet te,frater,inter magnos & diuites ſæculi huius, inter carnales, & intimoratos eſſe,& viuere, ſed melioribus, & doctioribus te ſemper cōiunge,vt ſapiētia virtutibúſque proficias, ne ſimul cum hoc mundo damneris,ſed inter ſanctos,& electos
Hieron. ſors tua cōſiſtat,Etenim ſi credis Hie. ſcito quòd de mille potētibus,& diuitibus mūdi vix vnus inuenitur aptus regno Dei. Ora Deum, vt ſic te corrigat in præſenti, ne te poſtmodum cōdemnet in æternum. Neque enim melior es S.Hieremia in vte-

ro

ro matris ſanctificato, qui ait, Corripe me, Domine. Veruntamen in iudicio, & non in furore, ne fortè ad nihilum redigas me. Nã & Paulus teſtatur, Si extra diſciplinã eſtis, ergo adulteri, & non filij eſtis. O dilecte, nihil tibi puta nociuius, quã inter intimoratos vanos, prauámque ſocietatem conſiſtere, nil è diuerſo ſalubrius, quàm inter pios, timoratos, atque deuotos manere. Noli affectionem ſequi, ſed rationem. *Hebr. 8.*

Quòd non vitat peccata mortalia, qui non curat ſolicitè vitare venialia. Et de amico fideli, ac familiari habendo, qui timoratus ſit.

ART. XXIX.

SI nõ in timore Domini tenueris te inſtãter, citò ſubuertetur domus tua. Timor Dei retrahit à peccato. Propter quod Salomon loquitur, Qui timet Deum, nihil negligit. Ille ergo in Dei timore ſe tenet, qui inſtanter, qui indeſinẽter ſolicitus eſt, ne Deum offendat, aut damnationem incurrat, aut peccet. Porrò domus noſtra, de qua fatur allegata ſcriptura, cor noſtrum eſt, in quo per cogitationem & affectionẽ manemus. Hæc citò ſubuertitur incidẽdo peccatum mortale, quo omne ſpiritale ac meritorium etiã aufertur, & peccãs ſpiritaliter moritur, ſi nõ in timore Dei inſtanter perſeueremus. Ex quo quidem innoteſcit

ſcit eum nō vitare mortalia, qui tota diligentia nō apponit vitare venialia,atq; minora: Nam & ipſa venialiū effrænata con-
August. ſuetudo ſecundùm Auguſtinum à mortali nō excuſatur. Venialia namque ad mortale diſponunt, charitatis feruorē dirimunt, gratiæ incremētum impediunt. Hinc ſancti patres affirmant, Qui modica negligit, paulatim euacuatus decidit. Si ergo, mi frater, vis eſſe in ſtatu ſalutis, in ſtatu charitatis & gratiæ (hoc eſt, extra peccatum mortale & ſine cauſa damnationis ęternę) nō ſolùm ſatagas maiora vitare facinora, ſed & minora, alioquin mortuus es coram Deo, cuius ſententiam cùm non audierit ouis errat omnino. Peccatum verò mortale eſt plus adhærere, delectari, & affici rebus huius mundi creatis, & caducis, quàm Deo. Hinc dicit Hieronymus, Mens Chriſto dedita ſic cauere debet minora, quomodo maiora peccata, ſciens de omni verbo otioſo rationē reddendā. Vnde ait Gregorius: Dum parua nō cauemus, in magna prolabimur. Qui itaque quotidie vanitati indulget, ridendo, fabulando, iocādo, hinc inde vagando, & talia in conſuetudinem deducendo, nec quotidie pœnitendo, quomodo putandus eſt à mortali immunis? Nemo palpet, fallat, negligat ſemetipſum.

ipſum. Denique ſicut illuſtriſſimus pater noſter Ioan. Caſſianus demõſtrat ad vitandum laqueos dæmonũ, nodos tentationũ, negligentiã, & torporem, itẽ ad proficiendum in bonis, in omni virtute & gratia: maximè confert habere amicum fidelem, familiarem, timoratum, expertum, eruditũ ac iuſtũ, cui audeat homo omnia ſua ſecreta fiducialiter pãdere, cuius poſſit cõſiliis inſtrui, exhortatione accendi, oratione iuuari. Horum enim amicitia in bono honeſto fũdata fortis & efficax eſt corã Deo. Propter quod ſancti patres dixerũt, Nulla re ſic deliberari ac deiici omnẽ falſitatẽ, fraudẽ, tẽtationẽ diaboli, quã vt quis totũ cor ſuum viro virtuoſo, ac prouido manifeſtet, ne virus dęmonis manẽdo incluſum inficiat, & occidat. Hinc ſcriptũ eſt, Amicus fidelis protectio fortis. Qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio: & non eſt digna ponderatio auri & argẽti contra bonitatẽ fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitę, & immortalitatis: & qui metuunt dominum, inueniũt illum. Itẽ alio quoque loco ait ſcriptura: Beatus qui inuenit amicũ fidelem. Cùm enim ſit homo naturaliter animal ſociale ſecũdùm Philoſophum, naturale eſt, vt ab altero adiuuetur. Cúmq;

Ioa. Caſ. *Eccle. 6.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Eccl. 25.* *Philoſo.*

Digitized by Google

homo non ſit bonus iudex ſuiipſius, expedit, vt alteri ad hoc idoneo cõſciẽtiã ſuam
Prou. 8. aperiat. Acquieſce ergo & huic Caſſiani conſilio, nec proprio vnquã ſenſui innitaris. Omnémque mundanorum hominum familiaritatem ac ſocietatem ſingularem vitare coneris, quia reuera vehementiſſimè nociua eſt animæ.

De modo orandi, & pſallendi, horíſque canonicis perſoluendis. ART. XXX.

Ioan. 4. SPiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eũ, in ſpiritu & veritate adorare oportet. Quãuis omne opus Dei reuerẽter, deuotè, atque ſolicitè exequi debeamus, (Maledi-
Hier. 48. ctus enim, qui facit opus Dei negligẽter,) illi tamẽ actus virtutũ, qui immediatè circa Deũ verſantur, cũ ampliori reuerẽtia, & ſingulari deuotione ſunt exercendi Porrò oratio, pſalmodia, adoratio, horarũ ſolutio ſunt actus virtutis, quæ latria dicitur. Quæ ſecũdùm Tul. eſt virtus Deo cultum, cæremoniamq; impẽdẽs. Itaque actus latriæ cũ ingẽti diligentia ſunt explẽdi. Ad quod requiritur primò diuinorũ obſeruãtia præceptorũ. Quoniã ſcriptum eſt, qui declinat aurẽ ſuã, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Et iterũ: Maledicti, qui declinãt à mãdatis tuis. Itaq; cõuerſatio cõformanda eſt orationi, & ſecundò cor per at-

tentionẽ Deo vniendum. Vnde de auerſis Eſa.29.
& inattentis Dominus per Eſaiam. Populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorum longè eſt à me. Et Sapiens quidã: Ante orationem inquit, præpara animã tuã, & noli eſſe ſicut homo tentans Deũ Hæc autẽ attentio præcipuè neceſſaria eſt, & eſſe debet in principio orationis, ac pſalmodiæ. Virtus namque principij in ſequentibus eſt relucẽs, & poſteriora à bono principio ſequuntur virtutem Prætereà cùm triplex ſit orationis effectus, videlicet mereri & impetrare, ac dulcis quædã refectio mentis, quam orans ſentit orando, ad primos duos affectus ſufficit præfata intentio in principio. Ad tertium verò requiritur cõtinuata & fortis attẽtio, ſecũdùm Thom. Imò ſecundùm Baſilium ſuper illud Pſal. Hic ſapiẽter, ſic dicẽtem: Quemadmodum guſtus corporis ſingulas buccellas, ſeu partes alimẽti diſcernit, guſtat, & maſticat, ſic interior animæ guſtus ſingulorum fœcundorum verborum pſalmodiæ ſenſum debet aduertere, & guſtare. Tertiò, vt actus prædicti perfectè ſoluẽtur, requiritur magna cordis cuſtodia, atque affectuoſa recollectio mentis in Deo. Propter quod abbas Agathon aſſerebat non eſſe laborem talẽ, vti eſt Deum orare. Talis autem ora-

Eccl. 19.

Agathõ.

tio,pſalmodia, perſolutioque horarũ efficaciſſima eſt ad impetrãdum à Deo omne, quod deſideramus ſalubriter. Hinc Chriſtus ait: Veri adoratores adorabũt, patrem in ſpiritu & veritate. Baſilius quoque: Diuinum, inquit, auxilium implorandum eſt non remiſsè, non mente huc illúcque vagante: quoniam talis nonſolùm non impetrabit, ſed Deum potiùs irritabit. Optimum proinde modum pſallẽdi docet Bernardus, dicẽs, Moneo vos, dilectiſſimi, purè ſemper, & ſtrenuè diuinis intereſſe laudibus. Strenuè quidem, vt reuerẽter, & alacriter domino aſſiſtatis, non pigri, nõ ſomnolenti, nõ oſcitãtes, nõ parcẽtes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, nõ fractis & remiſſis vocibus, ſed virili, vt dignũ eſt, ſonitu, & affectu ſpiritus ſancti voces depromentes. Purè verò, vt nil aliud dum pſallitis, quàm quod pſallitis cogitetis. Spiritus ſanctus etenim illa hora gratum nõ recipit, quicquid ei obtuleris, neglecto eo, quod debes. Pſalmodia non nimis feſtinanter promenda eſt. Porrò ſecundùm Hugonẽ, pro

Hugo. verbo omiſſo, repetendus eſt verſus, pro verſu pſalmus, pro pſalmo nocturnum: In actibus autẽ prædictis orãdi, atque pſallẽdi, debemus duo attendere, noſtram videlicet

cet miſeriã, & Dei miſericordiã, quatenus ex cõſideratione noſtræ miſeriæ, imperfe-ctionis, fragilitatis, atque malitiæ ad verã humilitatẽ prouocemur. Ex cõſideratione verò miſericordię, bonitatis, charitatiſque Dei, ad dilectionẽ Dei feruidã inducamur. Sicq; actus prædicti ex humilitate, & charitate procedant, & omnis vanitas in cantu vitetur, ſolíque Deo placere optemus: magis quoque delectemur in ſenſu quã modulatione verborum, magis in deuotione quã vocis fractione, ne quid petulantię admittamus: quoniam Auguſt. ſic ait: Cùm mihi accidit, vt me cantus magis quàm res quæ canitur, delectet, me pœnaliter peccare confiteor. Et tunc mallem non audire cantantem. Rurſúsque ait: Plus Deo placet latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorũ, quã cantus luxuriantiũ clericorum. Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, vbi cor fuerit mutum? Sicut enim vox ſine modulatione eſt quaſi vox porcorum, ſic omnino ſine deuotione eſt quaſi mugitus boum. Sic demùm & horæ legãtur, ſiue cãtentur diſtinctè cum debita attentione, reuerentia, & affectu, congruo loco, & tempore, ſine aliorum, impertinentiúmque verborum admixtione, ſine confabulatione, & riſus diſſolutione.

De celebra. miſſæ, cap. presby. cap. dolentes.

De vanitate mundi, & exemplari inductione ad hæc ſecundùm Hugonem. ART. XXXI.

Eccle. 1. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Vidi cuncta, quæ fiũt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus, ad intelligendũ mundanæ proſperitatis vanitatem

Hugo. exẽpla Hugonis inducam. Dic ergo mihi quid vides? Video proſperè nauigantes, quibus arrident tranquillitas maris, ſerenitas aëris, flatus ventorum: viros quoque in naui epulantes, diſcurrentes, & omni muſicorum genere iucundantes, in tantum vt aquis melodia reſultantibus, piſces vndique confluant, & iucundantibus lætitiã augeant. Iſtud ergo videtur mihi magna ac deſideranda felicitas: Sed noli nimis cito ferre ſententiam. Imo dic mihi, quid vides poſt hæc? Video vndique nigreſcere cælum, & acri ventorum concurſu nubes agitari, mare turbari, & intumeſcentibus fluctibus nauẽ cum nauigantibus mergi.

Luc. 6. Heu quid laudaui! heu breuẽ proſperitatem quanta calamitas eſt ſequuta! Adhuc dic mihi quid vides? Video mercatores pretioſiſſimas mercimonias ſecũ in camelis, & curribus deferentes, maxima lucra ſperantes, iucundè, atque alacriter incedẽtes Et videtur magna proſperitas. Quid vides

vides poſt hæc? Video exercitum armatorum improuisè vno impetu ſuper mercatores ruere, eósque terrere, ſpoliare, fugare, occidere. Heu breuem lætitiam quanta ſequuta eſt repentè miſeria! Adhuc dic mihi quid vides? Video domum diuitis affluentem cunctis diuitiis, patremfamilias gaudentem in filiis, familia copioſa, pecoribus multis, horreis plenis, ac vniuerſis deliciis. Et videtur magna felicitas. Quid vides in omnibus his? Nónne diues quanto plura poſſidet, tanto maiorē ſolicitudinem habet? Et cum ſolus portet ſolicitudinis pondus, aliis tamē magis quā ſibi proſunt, quę cupidè quęrit, vel auarè reſeruat. Timet ne parta deficiant, timet violentias potentum, ſuſpectam habet fidem familiarium. Adhuc dic mihi quid vides? Video nuptias celebrari, in quibus magnus ornatus, ſplendidus apparatus, grandis lætitia. Et videtur magnum bonum: quoniam ſine iniuria pudicitiæ per eas genus humanum conſeruatur, & coniugati vinculo dilectionis conſociantur. Et quare nō aſpicis mala, quæ ſequuntur? quā raro coniugatorū cōcordia, quanta ſolicitudo, quantus labor in prolis educatione, in domus diſpenſatione, quot ſuſpicionū, ac diſſenſionum occaſiones inter virum & coniugem oriā-

Digitized by Google

tur, quantus timor ne damnorum periculæ inſurgant, ne hoſtis inuadat? Adhuc dic mihi quid vides? Video ſcholas ſtudentiũ, in quibus diuerſi diuerſis facultatibus, ſiue ſcientiis ſunt intenti. Et videtur iſtud negotium cæteris eſſe iucundius, eo quòd ſapientiæ vacant. Non ſatis perpendis. Hi enim ſtulti viatores, qui ſic in rerũ creatarum inquiſitionibus occupãtur, quod Dei eſt, & creatoris ſui, obliuiſcũtur, & quæ ſalutis ſunt, nõ operãtur. Vnde quòd ipſi cæteris omnibus infeliciores ſint, teſtatur eorum conuerſatio, quia nihil neque inanius eſt, neque ſterilius. Fine quoque eorum nil infelicius eſſe poteſt, quoniam morientes ſpem ſalutis non habent, qui viuentes, & ſani per iter ſalutis incedere neglexerunt. Vani ergo, & omni prorſus fruge caſſi ſunt, qui, timore Dei poſtpoſito, ea omittũt, quę Deus requirit ab eis, ſine quibus ſaluari nequeunt, neque in his iugiter occupantur, quæ Deus ab eis nõ exigit, & quæ animarũ ſalutẽ magis impediunt quã iuuant. Nónne bona, proſperitatémque viæ præferũt bonis ac beatitudini patriæ, inhærentes præſentibus potiùs quàm futuris? Ideò ſanè reprobantur à Deo.

Ex dictis ſancti Bernardini de clericis.

ART. XXXII.

Quid

QVid eſt, quod dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa? Bern. Si ea intentione gradus eccleſiaſticos quęrit clericus, vt ſine ſæculo in ſanctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad dominum, ſuámque, ac proximorum operetur ſalutẽ, orationis ſtudio, aut verbo prædicationis deditus, rectè procedit. Natura autẽ modico eſt contẽta. Sed in his multi nõ ſolùm neceſſaria quærũt, ſed honorati incedere volunt, placere ſtudẽt hominibus, delectari, ſuperbire, & huic ſæculo conformari. De quibus conqueritur dominus, Ipſi regnauerunt, & nõ ex me: principes extiterunt, & nõ cognoui. Vniuerſos ſiquidem in eccleſiaſticis ordinibus honorẽ, diuitias, voluptatẽ, & quę ſua ſunt quærentes, non Deus aut charitas, ſed omnium malorum radix cupiditas introduxit. Quid iſtud temeritatis, quid inſaniæ eſt? Vbi timor Dei, vbi mortis memoria, vbi gehẽnę metus, & terribilis iudicij expectatio? Horum damnatio iuſta eſt. Væ tibi clerice, mors eſt in olla, mors in tuis delicijs, quoniã peccata populi comedis, sũptus eccleſiaſticos gratis te habere reputas. Cantando tibi proueniunt, ſed melius erat fodere, aut etiã mẽdicare. Peccata enim populi comedis (id eſt, oblata à populis pro expian-

Hiere. 11. *Bernard.* *Oſe. 8.* *1. Tim. 6.* *4. Reg. 4.*

Digitized by Google

dis eorũ peccatis)Quòd ſi propria peccata tibi minus ſufficere videntur, ſolicitus eſto tanquã rationẽ pro eis redditurus, dignos pro eis gemitus fundere, dignos agere pœnitentię fructus: alioquin tibi noueris illorum peccata imputanda, quæ modò inter delicias comedis. Paruipendis, atque diſſimulas tanquã nihil attinentia tibi. O iudiciorũ Dei abyſſus multa! O terribilis
Luca 23. Deus in conſiliis ſuper filios hominũ! Fruſtrà incipiẽt miſeri dicere montib. Cadite ſuper nos, & collibus, operite nos Veniẽdo autem ante tribunal Chriſti audietur cõtra eos populorum grauis querela, accuſatio dura, quorũ vixere ſtipendiis, nec diluerũt peccata. Quid tibi, ô inſipiens, deliciæ ſapiunt, diuitiæ oblectant, quibus mercaris tam graue iudicium, tã duræ temetipſum obligas rationi? Vniuerſa enim vſque ad nouiſſimum quadrantem exigentur à te.
Matt. 5. Sed eſto, ſurgis ad vigilias, vadis ad miſſas, horis chorum diurnis nocturnisq; frequentas. Benè facis, ſic eccleſiæ præbendam gratis non accipis. Dignum eſt, vt qui altari ſeruit, de altari viuat. Viuat, inquam, non ſuperbiat, nõ luxurietur, neq; ditetur, nec in vanitate aut ſuperfluitate diſpergat, nec varia, griſeáque pellicea à collo & manibus diuerſificata deportet. Præterea ait

aït S. Bernar. Quid ſibi vult, quòd clerici *Bernard.*
aliud eſſe, aliud videri volunt? Nēpe habitu milites, queſtu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant vt milites, *1. Cor. 10.*
nec euangelizant vt cleric. Cuius ordinis ſunt, cū vtriusque eſſe cupiunt, vtrunq; deſerunt, vtrunq; cōfundunt? Vnuſquiſq;, inquit, in ſuo ordine reſurget. Iſti in quo? An qui ſine ordine peccauerunt, ſine ordine peribunt? Aut ſi ſummè ſapiens Deus veraciter creditur à ſummo vſque deorſum nihil inordinatum relinquere, vereor non alibi ordinandos, quàm vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. O miſe- *Iob 10.*
randam ſponſam (puta eccleſiam) talibus creditam paranymphis: qui nō amici ſpōſi (videlicet Chriſti) ſed æmuli ſunt: & auratis ſtudent, qui ſibi ac aliis tabernacula in cælo parare debuerant. Porrò cū impudentia frontoſa ſic cor hominis obdurauit vt non paueat, vt non horreat, non contremiſcat, ea iam deſperatio eſt. Quid enim homo horū conſcius ſibi malorum, quaſi iuſtitiam fecerit, diuino ſe vultui ſiſtere nō veretur, tanquam domeſticus intrat, exit, magiſtrum ſalutat, genua flectit, oſculatur ore ſacrilego, doloſè agit, ſed in conſpectu Dei. Odibilis planè Deo frontoſa *Pſal. 9.*
temeritas, & impudentia execranda. Propter

pter quid enim irritauit impius Deum, non expaueſcens Deum omnia inquiſiturum? Hinc Deus nō arguit, nō flagellat, nō vlciſcitur modò adinuentiones eorū, ſed poſtea in æternum. Inſuper ſecūdum Bern. Inſolētia clericorum vbique terrarum turbat eccleſiam, & moleſtat, alienis laboribus locupletanturꝙ, comedunt fructus terræ abſque pecunia, & prodit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Mens quippe aſſueta delicijs, nec exculta diſciplinis, multas contrahit ſordes. Væ væ, in domo Dei inuenimus idololatras, qui diligunt munera, & ſuo vētri deſeruiunt, in quibus regnat auaritia, quę idolorum eſt ſeruitus, & in multis eorum inuenitur fornicatio, qui puritatis auctori, impuro corde, & corpore cōtaminato ſeruire præſumunt, nō formidantes iudicium Dei, Sic audēt circumire altaria, & pſalmos frequentare, quorum laus execrabilis, & oratio fit in peccatū. Deniq; à ſingulis hominū vſurpant clerici quod delectat. Habent enim ſingula quæque hominum genera aliquid laboris, & aliquid voluptatis. Sed aduertere eſt prudentiam clericorum, & mirari quemadmodū nouo inter hæc officio diſcernentes, & ab inuicem ſequeſtrātes, id ſolum quod delectat diligunt & amplectuntur, quod moleſtum

Bernar.

Colo. 3.

Prou. 26.

leſtum eſt, fugiunt & declinant. Cum militibus enim ſuperbiæ faſtũ, amplã familiã, apparatus equorum, & ſimilia cõplura frequantans. A mulierculis verò ornatos thalamos, & balnea, omnẽque mollitiẽ, & gloriã veſtium, rubricatáſque mariũ pelles à collo pendentes mutuãtur cautè omnino loricæ pondus, & inſomnes in caſtris noctes, incertáque diſcrimina præliorũ, muliebrem quoque verecundiã, & diſciplinã, aut ſi quid ſexus ille laboris habere creditur, declinantes. Sudant agricolæ, putant & fodiunt vinitores, & clerici, qui inter hæc torpent otio, accedente fructuum tẽpore, innouari ſibi horrea iubẽt, & promptuaria eorum plena ſunt. Vtinam non prę illis, vtinã vel cum illis delicatiſſimo cibo & potu veſcãtur. Negotiatores circumeũt mare & aridam in labore corporis, & periculo vitæ perituras ſibi diuitias cõgregãtes, dura ſunt hæc. Caueant ea prudentes noſtri vid. clerici. Præterea dulces capiant ſomnos (ne dicam ſtratis laſciuiant ſuis) & nihilominus abundare cunctis volunt diuitiis. Quid fabros, quid cæmentarios, cęteroſque huiuſmodi operarios numerare neceſſe eſt? Victũ ſibi multo labore quęrunt, clerici madẽt deliciis, diuitiis affluũt ocioſi. Cùm reſurgere cœperint homines

vniuſ

vnuſquiſque in ſuo ordine, vbi putas generatio iſta iocabitur? Si ad milites diuerterint, exufflabunt eos eo quòd minimè ſecum laborē aut pericula tolerauerunt. Sic agricolæ, ſic negotiatores, & ſinguli quique ordines à ſuis eos finibus arcebunt, vt pote qui in labore hominũ non fuerunt.

Pſal. 72. Quid ergo reſtat, niſi vt, quos omnis ordo repellit pariter, & accaſat, eum ſortiantur locũ, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? *Iob. 10.* Curritur paſſim ad ſacros ordines, & angelicis ſpiritibus reuerenda myſteria apprehendunt homines ſine reuerentia, & conſideratione, et ã hi, in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur ſuperbia ſedet iniquitas, principatur luxuria. Ingrediũtur cum his maniculis tabernaculũ Dei viuentis, iudicium grauiſſimum accepturi. Tales non placant Deum, ſed magis irritãt. Heu quis in principio naſcentis eccleſiæ putaſſet, aut credidiſſet ſtatũ clericorum ad tantam ruinã venturũ? *Bernard.* Inſuper Bernard. clericos admonens, Parcite, inquit, ô fratres, parcitè animabus veſtris, parcite ſanguini, qui pro vobis effuſus eſt: horrendum cauete periculũ, ignem æternum, qui paratus eſt: declinate, fugite de medio Babylonis, & ſaluate animas veſtras: Conuolate ad vrbes

refugij,

Digitized by Google

refugij, id eſt, ad clauſtra, vt poſſitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriã fiducialiter præſtolari. Non pœnitentiæ auſteritas ipſa vos terreat: quoniam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad præteritam culpã, quæ remittitur, non ad præſentem conſolationis gratiam, quæ immittitur, non ad futuram gloriam, quæ promittitur vobis. Iſta, mi frater chariſſime, breuiter cõmemoranda putaui, vt ſtatus tui periculoſa ſapienter conſideres, tutiorémque viam arripias, & Deo altiſſimo omni cum diligentia, puritate, atque feruore die ac nocte inſeruias. *Rom.8.*

De cõtẽptu mũdi ſecundũ Philo. ART. XXXIII.

CVm gentes, quæ legem nõ habent, ea quę legis ſunt, faciũt, ipſi ſibi ſunt lex. Vt Chriſtianorum, præſertim clericorum, ac religioſorũ, vitã carnalem ducentium, & cor mundanum habentium, confuſio, vilitas, atque peruerſitas clariùs innoteſcant, modicè tangam, quantum ipſi etiam philoſophi ſola naturali ratione inducti, talẽ abominati ſunt vitam. Ecce Plato in Phædro, inter cætera ait: Non eſt philoſophi ſtudere circa eſcarum, potuum, & venereorũ voluptates. Philo. in honorant veſtimentorum pretio differẽtium poſſeſſiones *Rom.2.* *Plato.*

&

&c alios corporis ornatus, prout neceſſitas admittit. Intentio Philoſ. eſt minimè circa corpus eſſe, & maximè diſtare ab eo, ad animâque conuerti. Anima philo. inhonorat corpus, & præcipuè fugit ab eo, quærens ipſa ſecundùm ſeipſam fieri. Decies enim millena cõtẽplationem impedimẽta nobis ex corpore proueniunt propter ipſius neceſſitatem. Meditatio philoſo. eſt ſolutio, & ſeparatio animæ à corpore. Ridiculum eſt virum omni vita ſe præparantem ad mortem aduenιẽte ea, moleſtè eã ferre. Si quem videas grauiter ferre, cùm debeat mori, nullo modo erat philo. Quoties anima à corpore allicitur in hæc mutabilia, ipſa ſeducitur, & turbatur. Quoties verò anima per ſeipſam ſpeculatur, illicò differtur in ſyncerũ, ſempérque exiſtens immortale. Cùm in eodem fuerint anima, & corpus, natura præcipit corpori regi, ſeruire, ac ſubiici. Animę autem regere, ac dominari. Rectè philoſophantes ab omnibus, quæ ſecundùm corpus ſunt, cõcupiſcentiis abſtinent, nec ſunt pecuniarum inordinati amatores. Denique, teſte Hier. Socra. cõtempſit diuitias. Dioge. omnibus derelictis, elegit habitare in dolio. Tullius quoque, & Seneca contra pecuniarum, & voluptatum amorem acerrimè itidem ſcribunt. Sic itaque

Hiere. 12 q. 2. cap. gloria epiſ.

iſti

iſti naturalis legis inclinatione inducti propter ſolā naturalē felicitatem, aut ſciētialē profectum, omnia vitia iſta ſic contēpſerunt, atque tam arctā vitā aggreſſi ſunt: quanta damnatione digni ſunt impij Chriſtiani, qui legis ſcriptæ ac euangelicæ documentis inſtructi ſunt, ad quos ipſe Dei vnigenitus venit atque ſeipſum exemplū exhibuit, & nihilominus delicatam, vanam & diſſolutam vitā habere non erubeſcunt, vitijs carnis fœdantur, mundo inhærent, cœleſtium obliuiſcuntur, Deum toto corde venerari non ſatagunt? Noli, chariſſime, tam ignobilius conformari hominibus, ſed patrum ſanctorum ſectare veſtigia, vt tuo valeas complacere creatori, & offerre eidem florem tuæ ætatis, iuuentutem hanc floridā: quod Deo acceptiſſimū, & ſummè meritorium perhibetur, dicente ſancto Greg. In illa ætate quando flaueſcunt crines, niteſcit eburnea caro, oculorum gemmis roſea facies decoratur, valetudo corpori vires miniſtrat, Iuuenilis ætas longioris vitæ ſpatia repromittit, quando viget ratio & corporis ſenſus, dum auditus acutior, viſus promptior, inceſſus rectior, vultus iucundior, qui in hac ætate ſe domant, Deóque ſociant, præmium Ioannis expectant, imo ſecundùm Hug. tales offe- Hug.

Ioan. 8.

Gregor.

MM

runt Deo agnum immaculatum. Propter
Thren. 3. quod loquitur Hier. Bonum eſt viro, cùm
portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Nõ
ergo, chariſſime, tardes conuerti ad dominum,
& ne differas de die in diem, nam ſubitò
veniet ſuper te ira eius. Te totum offer
Deo in holocauſtum, & ipſe impendet
tibi ſe totum. Eſto verò magnanimus, &
mitte manum tuam ad fortia. Labora ſicut
bonus miles Chriſti, & contra hoſtes ani-
2. Tim. 2. mæ tuę pugna viriliter. Non enim coronatur,
Ibidem. niſi qui legitimè certauerit. Hęc omnia
conferre tibi dignetur propter bonitatem
ſuam immenſam, ad ſuipſius honorem &
gloriam, vniuerſorum creator, omnium
dominator, qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis
& benedictus.

De vita ſolitaria. ART. XXXIV.

Thren. 3. SEdebit ſolitarius & tacebit, quia leuabit
ſe ſupra ſe Deus noſter naturaliter
bonus (cuius eſſentia bonitas, cuius vita
immortalitas, cuius voluntas ęquitas, perhibetur)
cùm in ſeipſo ſummè quietus, ſãctus,
inuariabiliſq; cõſiſtat, purã atq; quietã
diligit mentẽ: illam vtiq;, quę à ſtrepitu
vitiorum, ab impetu paſſionum, à tumultu
quoque ſæculariũ abſtinens cogitationũ,
ac negotiorum, corde tranquillo, ordinato
ac libero intendit ſupernis vacans Deo
altiſſimo

Digitized by Google

altiſſimo ſupereſſentiali, immenſo, & ſuperbenedicto : qui eſt bonitas idealis, idea æternalis, veritas exẽplaris, ex cuius ſplendidiſſimo, ac indeficientiſſimo fonte æterno omnis emanauit pendétque perfectio. Ipſe ſiquidem dominus Deus noſter, Deus magnus & supergloriosus, ſolus omnipotens, ſolus adorandus, ſolus verus, perfectúſque Deus eſt, ipſum eſſe purum, plenũ, infinitum, fontale, vitale, ſuper ſapientiale, cauſaliſſimúmque conſiſtens. Itaque cùm cõtemplatio amoroſa, ſeu dilectio cõtemplatiua huius entis altiſſimi, ſimpliciſſimi ac beatiſſimi Dei, ſit ſumma, atque finalis humanæ mentis perfectio: Illa viuendi religio, quæ ad contemplationem hanc compendioſiùs prouehit, excellentiúſque perducit, videtur eſſe digniſſima, vtpote ad Deum aptiſſima via Hæc autem eſt ſolitariæ ordo vitæ, qui vtique conuenientiſſima continet media contemplationis theoricæ, dilectionis ſeraphicæ, perfectionis deificæ. Non enim anima vulgo permixta, mundanis rebus immerſa, humanis cauſas intenta, ſeu per diuerſa vagans diſperſa, poterit Deo ſublimi extaticè couniri, purè infigi, ſtabiliter copulari. Quoniam ego te, quàm dilectiſſime frater, ad vitam ſolitariã ſummoperè exhortor, con-

Luc. 4.

Digitized by Google

gruum reor tibi de hac vita conſcribere pauca, quatenus eius cognita qualitate, dignitate, dulcedine ac decore, ad eius amplexum magis feſtines. In primis itaque contuendum eſt, quid ſit finis ſolitariæ cõuerſationis. Cùm enim omnium religionũ ſeu ordinum ſit per paupertatẽ ſpontaneã, caſtitatem plenariã, obedientiam prõptam tanquam per funiculum triplicem (qui rũpitur difficulter) ad ſuperiores partes animæ (in qua ſummæ trinitatis imago expreſſa eſt) reformationẽ perfectã conſcendere, puta ad diuinorum ſpeculationẽ prçclaram, directionémque feruidam, atque in vtroque fixionem, in quantũ huic vitç poſſibile eſt, ſtabilitam, tamen ſolitariæ profeſſionis, ac vitæ intentio eſt ad contemplationẽ, ac dilectionem diuinorum tanto deiformiorem, puriorem, ſplendidiorem, ardentiorẽ, ac indiſſolubiliorem pertingere, quantò præ cæteris cunctis ordinibus ab hominibus ampliùs ſe elongat, peccandi occaſiones magis declinat, ab occupatione circa diuerſa pleniùs abſtinet. Diſtrictiora quoque, ſeu aſperiora media ad hunc finem aſſumit. Porrò cùm homo iuxta philoſophum, naturaliter ſit animal ſociale politicum, conſtat, quòd in ſolitudine efficaciter degere, ſit ſupernatura-
le,

ſe, diuinum, præſtantiſſimum, non humanum. Hinc optimè ait Philoſ. quòd homo ſolus eſt Deus, vel beſtia, hoc eſt diuinus, vel beſtialis. Nempe ſi dignè, ac fructuosè viuat in ſolitudine, eſt potiùs ſupra hominem, & quaſi Deus per participationem, quã homo, vt pote diuinis action b. iugiter occupatus. Omnis namque natura maximè imitatur, imo quodammodo transformatur in id, cuius actiones magis exercet, quēadmodum iracundi canes, & rapaces lupi vocantur. Sicut igitur Deus ſanctus, fortis, & immortalis ſeipſum æternaliter diligit, & ſpeculatur inceſſabiliter, ſeu inſpicit: ita & ſolitarius omni hora, quantũ poſſibile eſt, actualiter ferri debet in Deũ, per contemplationẽ ſynceram, dilectionémque ſtabilẽ, cęteris quoque actibus latriæ (ſcilicet laudibus Dei, orationi, cõpunctioni, lectioni, gratiarum actioni, & morũ cõuerſationi) fortiter inſiſtendo. Denique, ſicut in præinducto Hieremiæ eloquio tangitur, ad huiuſmodi vitã tria requiruntur atque cõcurrũt: videlicet ſolitarij ſeſſio, id eſt, ab exterioribus occupationibus, mundaníſque actibus quies. De qua dicit Apoſtolus: operam detis, vt quieti ſitis. Et eſaias: Si reuerſi, inquit, fueritis vt quieſcatis, ſalui eritis. Vel ſeſſio ſolitarij

Pſal. 138. eſt humiliatio eius de quo Propheta: Tu cognouiſti ſeſſionẽ meã, & reſurrectionem meũ. Secundum eſt taciturnitas. In qua deſignatur refrænatio linguæ ab omni ſermone inutili, & humano colloquio. Tertium eſt eleuatio eius ſupra ſeipſum, ſeu cordis erectio ad diuina. Ad quam diſponunt duo prætacta. Primum horum tangit Hieremias, dicens: Sedebit ſolitarius. Secundum, cùm ſubdit: Et tacebit. Tertium, cùm adiecit: Quia leuabit ſe ſupra ſe. Hæc equidem eleuatio eſt prędicta iam diuinorum contemplatiua, pura, ac feruens dilectio, quæ reformationem paſſionũ, expulſionémque vitiorum præexigit, & inſuper vnctionem à ſpiritu ſancto præcipuã, gnauam cordis cuſtodiã, atque mentalẽ ſtabilitatem requirit, omnem conſolationẽ mũdanã, repauſationẽ carnalem ac animi remiſſionẽ excludit: imo neceſſe eſt indeſinenter cum ſerioſo humillimæ mentis affectu viſcera diuinæ clementiæ, pro gratiæ incremento, conſeruatione, ac perfectione pulſare, ac implorare. Præterea vita iſta ex parte ſubiecti, atque obiecti digniſſima eſt, cùm ſit in ſupremis animæ viribus, intellectu & voluntate, & circa Deũ altiſſimum, ac diuina verſetur. Eſt quoque dulciſſima, Gaudium enim eſt diffuſio

animi

Digitized by Google

animi in conceptu boni. Et quo bonum hoc conuenientius, præſtantiúſque fuerit, & potẽtia ipſa apprehenſiua nobilior, ac vnio potentiæ in obiecto purior, atque intimior, eo erit delectatio maior. Cùm ergo incomprehenſibilis, adorandus, & ſupermirabilis dominus Deus noſter ſit omni menti creatæ, benè diſpoſitæ, conuenientiſſimus, optimus, atque digniſſimus, intellectus quoq;, & voluntas animæ rationalis ſit nobiliſſimæ ac diuiniſſimæ vires ipſius, cõtẽplatio etiã, & dilectio immediatè Deum attingant, palàm eſt, quòd in contẽplatiua dilectione Dei ſyncera ac feruida, magna valdè ſuauiſſimáque delectatio ſita eſt. Præſertim cùm iuxta Philoſophum, Philoſophia habet delectationes admirabiles ſibi admixtas Quid enim dulcius eſſe poterit in vita præſenti, quàm Deo omnipotẽti, fonti omnis decoris, mente adhærere tranquilla? Nam & animus ordinatus ſibiipſi dulciſſimus eſt. Et ſecura mens quaſi iuge cõuiuium. Vnde quãuis vita ſolitaria inſipientibus & imperfectis, eius dulcedinẽ fructum: atq; profectum nondũ expertis, laborioſa, & ardua ſit, præſertim cũ ſpiritualis conſolatio eius à Deo ſubtrahitur, proficientibus tamen, præſertimque perfectis, exercitatos ſenſus habentibus prorſus

dulciſſima eſt & iucunda. Quippe qui vitæ huius dulcedinē vbertim guſtarūt, & quātum in ea profecerint, non ignorant. Hinc quoque deificati, ac illuſtriſſimi viri, omni ſapientia, virtute & gratia decorati, item epiſcopali faſtigio ſublimati, amore ſolitariæ, ſeu clauſtralis vitæ, epiſcopatus ſuos relinquerunt, atq; in locis ſecretis ſolitariā vitam duxerūt. Inter quos fuerunt S. Greg. Nazianzenus Epiſcopus, S. Iuſtus Lugdunenſis Archiepiſcopus, S. Narciſcus Hieroſolymitarū antiſtes, S. Vulfranus, Senonenſium pōtifex, ſanctus Remaclus, & ſanctus Amandus Traiectēſis, quæ vrbs nunc eſt Leodienſis ſedes epiſcopi. Sed & Petrus quondā papa Celeſtinus quintus, nōne papatus altiſſimo apice derelicto, eremiticam vitā elegit & duxit? Quid enim interſit inter vitā ſolitariā, ſeu clauſtralē & pontificalē, quamuis ſanctam, ipſe de ſeipſo loquens teſtatur B. Papa Greg. in principio dialog. dicendo: Infelix animus meus pulſatus occupationis ſuæ vulnere meminit, qualis aliquando in monaſterio fuit, quomodo ei cuncta tranſitoria ſubter erant, quantum omnibus volubilibus eminebat, quòd nulla niſi cœleſtia cogitare conſueuerat, quòd corpore retentus ipſa iam carnis clauſtra contemplatione tranſcēdebat, quòd

quòd mortem quoque tanquam vitæ ingreſſum præmiúmque laboris amabat. At nunc ex occaſione curę paſtoralis ſecularium hominum negotia patitur, & poſt tã pulchram quietis ſuæ ſpeciẽ terreni actus puluere fœdatur. S. quoque Hieronymus quid in ſolitudine profecerit, ipſe teſtis ſibi eſt, de ſeipſo humiliter non iactanter hæc ſcribens: Ego, inquit, homunculus ſic abiectus, ſic vilis, adhuc viuens in corpore in deſerto, angelorũ choris ſæpè interfui, nihil de corporeis rebus per hebdomadas ſentiens, & diuinę viſionis intuitu poſt multorũ forte dierũ ſpatia prę ſcius futurorum, corpori reſtituebar. Quid ibi manens felicitatis habebã, inenarrabilis gaudij teſtis eſt Trinitas ipſa, quã cernebam, neſcio quo intuitu. Teſtes ſunt & ipſi beati ſpiritus, qui aderãt, teſtis eſt & conſcientia mea. Ecce, amantiſſime mi, quid cõfert Chriſti deuotiſſimis famulis ſolitaria vita. Quia, vt noſti, virtus vnita fortior eſt quàm diſperſa. Et rurſus, quo anima circa plura diffunditur, occupatur, diuiditur, eò debilior eſt ad vacandum vni illi ſimpliciſſimo atque altiſſimo, quod ſolum neceſſarium eſt. Idcirco ad mẽtis recollectionẽ, & cõfortationem in Deo, ad ſynceriſſimam cõtemplationẽ, omniſq́; gratiæ incremen-

tum, & ad habendã præcipuã in orando, & cætera bona agẽdo, deuotionem, confert, & prodeſt ſolitudo. In qua ſe homo coram Deo tanto liberiùs, fiducialibúſque effundit, quãto ſe à nullo hominum notari, aut cõſpici nouit. Ibi quoque anima religioſa à Deo conſolari, eiúſque colloquia meretur, quemadmodum per Oſeam Prophetã teſtatur: Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Denique ipſemet Chriſtus (cuius omnis actio noſtra eſt inſtructio) qui ſicut frequentia hominũ à perfectione impediri non potuit, ita nec ſolitudine adiuuari: nihilominus vt ſuo nos doceret exemplo, oraturus receſſit à populo,
Matt. 14 & montem cõſcendit, iuxta illud: Aſcendit in montem ſolus orare. imo iam paſſione inſtante, nõ ſolũ à beatiſſimo Apoſtolorum collegio, ſed à tribus inſuper familiariſſimis, chariſſimiſque diſcipulis abijt ſolus, in
Luc. 22. ſecreto orauit. Auulſus eſt (inquit) ab eis, quantũ iactus eſt lapidis, & poſitis genibus orauit. Propterea in ſtatutis ordinis noſtri habetur: Suauitates pſalmorum, ſtudia lectionum, feruores orationũ, exceſſus cõtẽplationum, baptiſmata lacrymarũ nulla re magis quàm ſolitudine poſſe iuuari. Hæc ergo eſt ſolitaria vita, in cuius præconiũ ſanctiſſimi patres hoc modo prorumpunt:
Digitized by Google

punt:O vita ſolitaria, ſeu eremitica, vita angelica,atque deifica,tu viuariũ animarũ ex cedro gemmarum cæleſtium, ſpiritalium curia ſenatorum,odor tuus cunctorũ aromatum fragrantiam ſuperat. Quicquid de te enunciatur, dignitati tuæ nullatenus adæquatur, quoniam lingua canis nequaquam exprimere ſufficit, quod de te ſpiritus inuiſibilis ſentit. Qui te nouerunt, te diligunt. Et qui te guſtauerunt, præconia tua concinũt. Bonum eſt viro, cùm te portauerit ab adoleſcentia ſua. Tu caſtra Dei, tu turris Dauid ædificata cum propugnaculis Mille clypei pendẽt ex te, omnis armatura fortium. Tu campus diuini prælij, ſpiritalis area belli, Angelorum ſpectaculum, paleſtra fortiter dimicantium. O cella mors vitiorum, fomentum virtutum, cæleſtis doctrinæ ſchola, artiúmque diuinarum diſciplina,tu paradiſus deliciarum, vbi roſæ charitatis igneo rubore flammeſcunt, & lilia caſtitatis niueo ſplendore cãdeſcũt,ac violæ humilitatis,dum imis cõtentæ ſunt,flatibus non impelluntur. Tu quoque,ô cella,es ſcala Iacob,quæ hominem vehis ad cælum, angelóſque ad humanum deponis colloquium. Tu cõciliabulum Dei,& hominum ſecretariũ in carne degentium,& ſpirituũ ſupernorũ, Dei

Thren.3. *Cant.4.* *Ibidem.*

&

& hominum colloquutoriũ,arcanum dulciſſimũ. Ecce quàm pulchra rerũ ſpecies, dum frater conſtitutus eſt in cella,nocturnas agit vigilias, & quaſi pro diuinis caſtris militares cuſtodit excubias Hinc cõtemplatur in cælo curſus aſtrorum. Hinc decurrit per labia eius ordo pſalmorum, mens ipſa diuini amoris calore ſuccenditur, ſtillántque per genas ex oculis lacrymę dulces,quibus anima deiformiter pulchrificatur. Tunc vita carnalis vileſcit, & mollibus iacentium in ſtratis, ac laſciuiẽtium delectatio,atq; pauſatio,quàm ſpernendæ ſint innoteſcit. O vita ſolitaria, vita felix, & ſancta,vita diuina, & libera, vita pura,atque angelica, tu ſplendor animæ, amica ſapientiæ,ornamentũ eccleſiæ, plenitudo gratiæ,conſummatio perfectionis, cuſtos quietis,& pacis. Te lex attollit,propheta miratur,vniuerſiq; inſuper, qui vitæ perfectioris cacumen ſortiti ſunt, tua pręconia norunt. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero te in principio lætitiæ meæ. Tu requies mea in ſæculũ ſæculi, hîc habitabo,quoniam elegi eam. Hãc igitur te vitã,chare mi frater,opto lætenter arripere,fructuosè tenere, felicitérque finire.

Pſal.36.
Pſa.137.

De honeſta conuerſatione clericorum.

ART.

ART. XXXV.

OBſecro vos in Domino, vt dignè ambuletis in vocatione qua vocati eſtis? Quoniã necdũ, chariſſime, decreuiſti chariſmata meliora ambulando ſtatum perfectionis arripere, totique mũdo, & propriæ voluntati perfectè abrenunciare: vt interim viuas vt oportet, decétque canonicũ, quid ad hoc requiratur, tibi breuiter pandam. Itaque in principio tertij decretaliũ inter cætera de clericis, ſeu canonicis ſcriptũ eſt, (Nẽpe quod ibi de clericis legitur certũ eſt ad canonicos præcipuè pertinere.) Clerici arma portantes, & vſurã exercẽtes excõmunicẽtur. Si quis ex clericis comã relaxauerit, anathema ſit. Monaſteria monialiũ ſi quiſquã clericus ſine manifeſta & rationabili cauſa frequẽtare prçſumpſerit, per epiſcopum arceatur. Et ſi nõ deſtiterit, ab officio eccleſiaſtico reddatur immunis, bona clericorũ veniant in commune, in vna domo veſcãtur, atque ſub vno tecto dormiant, ac quieſcant. Ludos, & ludibria in eccleſia nequaquã exerceãt. Vt clericorũ actus, & mores in meliùs reformentur, & cõtineantur, & caſtè viuere ſtudeant vniuerſi, præſertim in ſacris ordinibus cõſtituti, ab omni libidinis vitio præcauẽtes, quatenus in conſpectu omnipotẽ-

Ephe. 4.

De vita & ho. cl. c. ſi quis. De vita & hon. cle. c. clerici. & c. monaſte.

Digitized by Google

tis Dei puro corde, & caſto corpore valeãt miniſtrare. Ne verò facilitas veniç incẽtiuum tribuat delinquẽdi, ſtatuimus, vt, qui deprehẽſi fuerint incõtinentię vitio laborare, provt magis aut minùs peccauerint, puniantur ſecũdùm canonicas ſanctiones, quas efficaciùs & diſtrictiùs præcipimus obſeruari, vt quos diuinus timor à malo non reuocat, tẽporalis ſaltẽ pœna coërceat à peccato, videlicet vt ab officio ſuſpendãtur, & eccleſiaſticis beneficijs ſpolientur.

De vita & ho. cl. c. à crap. A crapula, & ebrietate omnes clerici diligẽter abſtineãt. Vnde vinũ ſibi temperent, nec ad bibẽdum quiſpiã incitetur, cùm ebrietas, & mentis inducat exiliũ, & libidinis prouocet incentiuũ. Vnde illũ abuſum penitus decreuimus abolendũ, quo in quibuſdã partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores. Si quis autẽ ſuper his ſe culpabilẽ exhibuerit, niſi à ſuperiori cõmonitus ſatisfecerit, ab officio, & beneficio ſuſpendatur.

De vita & ho. cl. c. clerici officia. Clerici officia, vel cõmercia ſæcularia nõ exerceant, maximè inhoneſta. Mimis, ioculatoribus, & hiſtrionibus nõ intendant. Tabernas prorſus euitent, niſi fortè cauſa neceſſitatis in itinere cõſtituti. Ad aleas, & taxillos nõ ludãt, nec huiuſmodi ludis interſint. Coronã & tonſuram habeant conuenientem, & ſe in officijs

ficijs eccleſiaſticis, & alijs bonis ſtudijs exerceant diligenter. Clauſa deferant deſuper veſtimenta nimia breuitate, vel lõgitudine nõ notãda. Pannis rubeis, aut viridibus manicis, ſotularibus conſutitijs, frenis, ſellis, pectoralibus deauratis, aut aliam ſuperfluitatẽ gerẽtibus nõ vtãtur. Fibulas, aut corrigias argento, ſeu auro ornatas nõ ferant. Nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Inhibendũ eſt, vt nullus ſacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, retineat. Si presbyter, diaconus, aut ſubdiaconus de quacũque fœmina crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primã, ſecundã, & tertiã admonitionẽ inueniatur fabulari, aut aliquo modo cõuerſari cũ ea, excõmunicationi ſubdatur, cũ clericis non permittantur mulierculę habitare, niſi fortè de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale ius nihil permittat criminis ſuſpicari. Ecce mi frater, ex his elicere vales, qualis aliquando fuit, & nũc quoque meritò eſſet conuerſatio canonicorũ, quã honeſta, religioſa, atque deuota. Proh dolor! ſtatus ille vehemẽter nimis prolapſus eſt. forſitã dices ea, quę dicta ſunt, ad ius poſitiuũ pertinere, & per cõſequẽs diſpẽſationi, præſertim ſummi põtificis, ſubiacere, nec te obligari ad ea. Fateor vtique, quòd dũ rationabilis

De cohabi. cle. & mu. c. 1. & c. ſi quis.

1. q. 7. ca. neceſſaria.

Digitized by Google

bilis cauſa eſt, diſpenſationem admittunt, & quamuis fortè, quantum ad aliqua iam per diſpenſationem amota ſunt (vt puta quo ad cohabitationem conueſcentium, & bonorum communitatem) non tamen quo ad alia multa: videlicet quo ad continentiam, ſobrietatem, mundanarum vanitatum ac ſuperfluitatum euitationem, in ſpiritualibus exercitijs diligentem occupationē, atque in eccleſiaſticis officijs debitam exercitationē. Poſtremò, vt certiùs tibi pateſcat, quāta exigantur ad hoc, quòd aliquis per diſpenſationem excuſetur corā Deo ab obligatione, & ab impletione legis, iuris, præcepti, ſtatuti, ſeu regulæ ſuo ſtatui cōuenientis, aliquid tibi de diſpēſatione conſcribā. Et quidē in primis certiſſimum eſt, quòd diſpenſandi poteſtas conſiſtit in ſummo pontifice, cæteriſq; prælatis, nō ſicut in Domino, aut principali principe, ſed tanquā in miniſtris, & inſtrumētalibus cauſis. Miniſter autē, & inſtrumentalis cauſa agere debet, atque moueri ſecundùm directionē atque voluntatem Domini, & principalis artificis. Itaque vt diſpenſatio valeat, & à culpa coram Deo excuſet, oportet vt ſecundùm Dei omnipotentis, ſummi legiſlatoris volūtatē, cōſenſúmque fiat, puta ex rationabili cauſa abſque iu-

1. q. 7. ca. ta. de præ bē. & di. c. expoſuiſti. & in glo.

ris iniuria, & veritat s iactura. Idcirco in ſecunda ſecūdæ, quæſt. lxxxviij. Thom. diſſeruit, quòd prælatus pro ſuo nō poteſt ſibitu diſpēſare, nec in manifeſtis malis eius diſpēſatio à culpa excuſat. Itaq; diſpenſando non debet poteſtate ſibi collata abuti: ſed ea fideliter vti ad aliorum profectum ſecūdùm finalem intentionem ſummi legiſlatoris, à quo eſt omnis poteſtas. Ideò namque dicit Apo. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Hìc iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Et denuo, Secundū poteſtatē, inquit, quæ data eſt mihi in ædificationem, & nō in deſtructionem. Denique ſecundùm Hoſtienſem, diſpenſatio eſt miſericors relaxatio rigoris iuris per eum, ad quem pertinet, canonicè facta. Et, vt ait Durandus ſ. per ſententias, Diſpenſatio importat amotionem obligationis iuris in caſu, quantum ad aliquem, vel aliquos: certumq; eſt, quòd hoc fieri nequeat ſine ratione idonea, & rationabili cauſa. Quæ ſecundùm doctores ponitur duplex Puta vrgens neceſſitas, & vera, euidénsq; vtilitas Propterea dicit Guilielmus Pariſienſis, A multis prudentibus dicitur quòd diſpenſatio eſt ius & nō iuris diminutio aut derogatio, ſeu eius in ali-

Thom.

1. q. vn. c. nec.

1. Cor. 4.

2. Cor. 13.

Hoſtien.

Duran.

1. q. vij. c. tali.

Gui. par.

quo læſio. Cauſa ſiquidē, propter quā diſpē-ſatio fit, facit proculdubio, vt iuſtū ſit quod indulgetur. Alioqui non diſpenſatio, ſed iuris diſſipatio eſſet. Et ex hoc alij trahunt quòd diſpenſatio aliud non eſt, quàm latē-tis, ſeu virtualis intentionis ipſius legiſlatoris expreſſio, ita quòd ſi legiſlator adeſ-ſet, ipſe, ſtante tali neceſſitate, aut vtilitate, ſic iudicaret agendum, imo ſic ageret. Vnde ſecundùm hoc per diſpenſationem mutatur materiale in lege, non legis formale, videlicet intentio legiſlatoris, quæ eſt principale in lege. Prælati ergo eſt diligē-ter conſiderare cauſam diſpenſationis ſecundùm rectæ rationis, & veræ prudentiæ diſcuſſionem. Alioquin nec ipſe eſſet culpa immunis, nec alius. Vnde S. Bernard. ſcribit Roberto monacho, qui de licentia Papæ tranſtulit ſe de ordine rigidiore Ciſtertienſium, ad ordinem Clunacēſium leuiorem, Non tibi fruſtrà quis blandiatur de diſpēſatione Apoſtolica, cuius cōſcientiā tenet ligatā diuina ſentētia. Hinc ergo ſecundùm doctores in lege aliqua poteſt, & debet fieri diſpenſatio propter compellentem neceſſitatem, aut veram, manifeſtámque vtilitatem quam veriſimiliter acceptaſſet, & approbaſſet legiſlator ſi ſibi occurriſſet. Alioquin diſpenſator poteſta-

Bernar.

1.q.7.c. tali.&c. neceſſe.

te tibi cōceſſa non vtitur, imo abutitur, in deſtructionē, nō in ædificationē. is quoque qui diſpenſationē requirit ſine neceſſitate aut vtilitate præfata, vel per falſi ſuggeſtionē, aut veri ſuppreſſionē, fallit ſeipſum, nec excuſatur à culpa. Hinc libro de conſideratione ſcribit Ber. ad Papā Eugenium: Nō ſum tā rudis, vt ignorē vos poſitos diſpenſatores ſed in ædificationē, nō in deſtructionē. Vbi vrget neceſſitas, excuſabilis eſt diſpenſatio. Vbi vtilitas prouocat, laudabilis eſt. Vtilitas dico communis; nō propria. Nā vbi nihil eſt horū, nō planè fidelis diſpēſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. His conſonant ſummorū pontificum, ſcripta, Gelaſij, & Leonis. Ait quippe Gelaſius Papa: Vbi neſſitas non eſt, inconuertibilia maneant ſanctorum patrum decreta. Et ſanctus Leo Papa: vbi neceſſitas nō eſt, nullo modo violentur ſanctorum patrum inſtituta. Ecce ex his potes penſare, frater amande, quando, & qualiter diſpenſatio à culpa excuſet, quàm rationabiliter ſit petenda, quā circumſpectè atque prudenter exhibenda. Per quid etenim ſtatus eccleſiæ eatenus corruit, & defecit, ſicut per cōſuetudinariam, circunſcriptam, ac leuem diſpenſationē? Ideò quantum tibi poſſibile eſt, eſto iuſti veriſque tenax. Et quę nūc ſcri

De te. ca. ca. ſuper. literis.

Bernard.

Gel. pa.

Leo pa.

pſi ad canonicos pertinere, quandiu in hoc ſtatu es, quãtum bono præuales, modò diligenter obſerues, vt per hoc gratiam merearis ampliorẽ à Domino, per quam meliora æmulando chariſmata, ſtatum perfectionis viriliter feliciterque arripias, ad honorem, laudem & gloriam creatoris adorandi, excelſi, ac immortalis, qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis, & benedictus. Amen.

De vanitate mundi, breuitatéque vitæ preſentis ex verbis beatiſsimi Auguſtini.

ART. XXXVI.

Prou. 29. DIes noſtri ſunt quaſi vmbra ſuper terram, Quemadmodum decimotertio de ciuitate Dei cap decimo, aſſerit Augu. Auguſt. ex quo quiſque in hoc corpore morituro cœperit eſſe, hoc inceſſanter in eo agitur. vt mors veniat. Hoc.n. Agit eius mutabilitas toto tẽpore vitæ huius: ſi tamẽ vita dicẽda eſt, vbi ad hoc viuitur, vt ad mortem perueniatur. Nemo quippe eſt qui nõ morti propinquior ſit poſt annũ, quã ante annũ fuit, & cras quã hodie, atq; hoc die quã heri, & paulò pòſt quã nunc. Quoniã quicquid tẽporis viuitur, de viuendi ſpatio demitur, & quotidie fit minus minúsq; quod reſtat: vt omnino nil aliud ſit tempus vitæ huius quàm curſus ad mortem, in quo nemo

nemo vel paululũ ſtare, vel aliquanto tardiùs ire permittitur: ſed pari motu omnes vrgentur, ac diuerſo impelluntur acceſſu. Neque enim, cui vita breuior fuit, diẽ celeriùs duxit, quàm ille, cuius longior extitit vita: ſed cùm æqualiter, & per æqualia ambo raperentur momenta, alter terminũ habuit propius, alter remotius. Aliud autẽ eſt viæ plus egiſſe, aliud tardiùs ambulaſſe. Qui ergo vſque ad mortẽ productiora temporis ſpatia agit, non lẽtiù pergit, ſed plus itineris conficit. Porrò ſi ex illo momento quiſq; incipit mori (hoc eſt eſſe in morte) quo in loco huius exilij agi mens cœperit (hoc eſt ab ipſo planè vitæ exordio) hæc profectò cùm detrahendo finita fuerit, poſt mortẽ iam certè nulla amplius erit. Quid aliud enim diebus, horis, momẽtisq; ſingulis agitur, donec vita hæc conſummata, mors quæ agebatur, impleatur? De hac materia pręallegata, atq; ſequẽti cap. Aug. diffuſiùs loquitur. At verò de infinitis malis, & miſerijs vitæ præſentis, xx. lib. de Ciuit. Dei idẽ ſapientiſſimus Augusti. xx. cap. prolixè pertractat, dicendo, Quantum ad primam originem pertinet, omniũ mortalium progeniẽ fuiſſe damnatam, teſtatur præſens hæc vita: ſi tamen vita dicenda eſt, tot tantíſque malis plena. *Auguſt.*

Digitized by Google

Quid enim aliud indicat horrēda profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adã tenebroſo quodam ſuſcipit ſinu, vt homo ab illo liberari ſine labore, dolore, ac timore non poſſit. Hoc etiam indicat amor ipſe inordinatus tot rerũ vanarum ac noxiarũ, ex quo oriũtur mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fraus, furtum, rapina, luxuria, atque ſuperbia. Inſuper in libro de miſeria mundi Auguſtinus de his pleniſſimè diſputat. Attēde, inquiens, tibi, ne diaboli laqueis implicatus præda fias venantis, qui rugit, & circuit quærens quē deuoret. Vita iſta fugitiua eſt, & infidelis, nec amatoribus ſuis fidem præſtat, & ab origine mundi in ſe credētes fefellit, & omnes ei ſe implicãtes decepit, ſicq; nullum omnino reddidit certum, vt omnibus probetur eſſe mentita. Ecce mundus qui diligitur tranſit, ac fugit, & tamen cæca carnalis concupiſcentiæ mente fugiētem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia labentē tenere non poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Nónne vita iſta morti ſimilis eſt, in qua abundant dolores, & gemitus, ſuſpiria, & tantæ miſeriæ. Alius damno affectus

ctus plangit. Alius orbitate percuſſus, luget. Alius mortem amicorum deplangit. Alius in paupertate plorat. Tribulatio magna eſt ex quo naſcitur homo. Prima vox eius indicat infirmitatem. Naſcitur infans, & ſtatim plorat. Nondum loquitur, & Propheta eſt ſuæ calamitatis Lacrymæ teſtes ſunt miſeriæ, quòd in labore futurus ſit, & timore. Mox incipit eſurire, ſitire, & laceſcere. Sũt denique homini duo tortores vitæ, non ſimul torquentes, ſed cruciatum alternantes. Quorum nomina ſunt timor, & dolor. Quando tibi benè eſt, times. Quando tibi malè eſt, doles. Quem ſæculi huius hominem non decipit proſperitas? quem non frangit aduerſitas? Ecce quæ pateris homo in miſeria iſta, quam diligis, vbi eſt falſa voluptas, vera calamitas, nulla ſecuritas gaudij, ſed timor torquens, cupiditas auida, triſtitia arida. Et quis ſibi omnia mala huius vitæ numerare poſſit? Vt enim prętermittam ea mala, quę omnes homines communiter opprimunt: qualia eſſe putamus ſecreta pericula malaque ſpecialia ſingulorum, quorum ſibi conſcij ſunt? Si cogitare voluerit quiſque, quę à iuuenili ętate mala fecerit, quę ſuſtinuerit, & conſtituat ante oculos ſuos prętérita tempora,

tis Dei puro corde, & caſto corpore valeāt miniſtrare. Ne verò facilitas veniȩ incētiuum tribuat delinquēdi, ſtatuimus, vt, qui deprehēſi fuerint incōtinentiȩ vitio laborare, provt magis aut minùs peccauerint, puniantur ſecūdùm canonicas ſanctiones, quas efficaciùs & diſtrictiùs præcipimus obſeruari, vt quos diuinus timor à malo non reuocat, tēporalis ſaltē pœna coërceat à peccato, videlicet vt ab officio ſuſpendātur, & eccleſiaſticis beneficijs ſpolientur.

De vita & ho. cl. c. à crap.

A crapula, & ebrietate omnes clerici diligeter abſtineāt. Vnde vinū ſibi temperent, nec ad bibēdum quiſpiā incitetur, cùm ebrietas, & mentis inducat exiliū. & libidinis prouocet incentiuū. Vnde illū abuſum penitus decreuimus abolendū, quo in quibuſdā partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores. Si quis autē ſuper his ſe culpabilē exhibuerit, niſi à ſuperiori cōmonitus ſatisfecerit, ab officio, & beneficio ſuſpendatur.

De vita & ho. cl. c. clerici officia.

Clerici officia, vel cōmercia ſæcularia nō exerceant, maximè inhoneſta. Mimis, ioculatoribus, & hiſtrionibus nō intendant. Tabernas prorſus euitent, niſi fortè cauſa neceſſitatis in itinere cōſtituti. Ad aleas, & taxillos nō ludāt, nec huiuſmodi ludis interſint. Coronā & tonſuram habeant conuenientem, & ſe in officijs

ficijs eccleſiaſticis, & alijs bonis ſtudijs exerceant diligenter. Clauſa deferant deſuper veſtimenta nimia breuitate, vel lõgitudine nõ notãda. Pannis rubeis, aut viridibus manicis, ſotularibus conſutitijs, fręnis, ſellis, pectoralibus deauratis, aut aliam ſuperfluitatẽ gerẽtibus nõ vtãtur. Fibulas, aut corrigias argento, ſeu auro ornatas nõ ferant. Nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Inhibendũ eſt, vt nullus ſacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, retineat. Si presbyter, diaconus, aut ſubdiaconus de quacũque fœmina crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primã, ſecundã, & tertiã admonitionẽ inueniatur fabulari, aut aliquo modo cõuerſari cũ ea, excõmunicationi ſubdatur, cũ clericis non permittantur mulierculę habitare, niſi fortè de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale ius nihil permittat criminis ſuſpicari. Ecce mi frater, ex his elicere vales, qualis aliquando fuit, & nũc quoque meritò eſſet conuerſatio canonicorũ, quã honeſta, religioſa, atque deuota. Proh dolor! ſtatus ille vehemẽter nimis prolapſus eſt. forſitã dices ea, quę dicta ſunt, ad ius poſitiuũ pertinere, & per cõſequẽs diſpẽſationi, præſertim ſummi põtificis, ſubiacere, nec te obligari ad ea. Fateor vtique, quòd dũ rationa bilis

De cohabi. cle. & mu. c. 1. & c. ſi quis.

1. q. 7. ca. neceſſaria.

bilis cauſa eſt, diſpenſationem admittunt, & quamuis fortè, quantum ad aliqua iam per diſpenſationem amota ſunt (vt puta quo ad cohabitationem conueſcentium, & bonorum communitatem) non tamen quo ad alia multa: videlicet quo ad continentiam, ſobrietatem, mundanarum vanitatum ac ſuperfluitatum euitationem, in ſpiritualibus exercitijs diligentem occupationẽ, atque in eccleſiaſticis officijs debitam exercitationẽ. Poſtremò, vt certiùs tibi pateſcat, quãta exigantur ad hoc, quòd aliquis per diſpenſationem excuſetur corã Deo ab obligatione, & ab impletione legis, iuris, præcepti, ſtatuti, ſeu regulæ ſuo ſtatui cõuenientis, aliquid tibi de diſpẽſatione conſcribã. Et quidẽ in primis certiſſimum eſt, quòd diſpenſandi poteſtas conſiſtit in ſummo pontifice, cæteriſq; prælatis, nõ ſicut in Domino, aut principali principe, ſed tanquã in miniſtris, & inſtrumẽtalibus cauſis. Miniſter autẽ, & inſtrumentalis cauſa agere debet, atque moueri ſecundùm directionẽ atque voluntatem Domini, & principalis artificis. Itaque vt diſpenſatio valeat, & à culpa coram Deo excuſet, oportet vt ſecundùm Dei omnipotentis, ſummi legiſlatoris volũtatẽ, cõſenſúmque fiat, puta ex rationabili cauſa abſque iuris

1.q.7.ca. ta. de præbẽ. & di. c. expoſuiſti. & in glo.

ris iniuria, & veritat s iactura. Idcirco in ſecunda ſecūdæ, quæſt. lxxxviij. Thom. diſſeruit, quòd prælatus pro ſuo nō poteſt libitu diſpēſare, nec in manifeſtis malis eius diſpēſatio à culpa excuſat. Itaq; diſpenſando non debet poteſtate ſibi collata abuti: ſed ea fideliter vti ad aliorum profectum ſecūdùm finalem intentionem ſummi legiſlatoris, à quo eſt omnis poteſtas. Ideò nanque dicit Apo. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Hîc iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Et denuo, Secundū poteſtatē, inquit, quæ data eſt mihi in ædificationem, & nō in deſtructionem. Denique ſecundùm Hoſtienſem, diſpenſatio eſt miſericors relaxatio rigoris iuris per eum, ad quem pertinet, canonicè facta. Et, vt ait Durandus ſ. per ſententias, Diſpenſatio importat amotionem obligationis iuris in caſu, quantum ad aliquem, vel aliquos: certumq; eſt, quòd hoc fieri nequeat ſine ratione idonea, & rationab li cauſa. Quæ ſecundùm doctores ponitur duplex Puta vrgens neceſſitas, & vera, euidénsq; vtilitas Propterea dicit Guillelmus Pariſienſis, A multis prudentibus dicitur quòd diſpenſatio eſt ius & nō iuris diminutio aut derogatio, ſeu eius in ali-

Thom.

1. q. vaa. ne.

1. Cor. 4.

2. Cor. 13.

Hoſtien.

Duran.

1. q. vij. c. sali.

Gui par.

quo lęſio. Cauſa ſiquidē, propter quā diſpē-ſatio fit, facit ꝓculdubio, vt iuſtū ſit quod indulgetur. Alioqui non diſpenſatio, ſed iuris diſſipatio eſſet. Et ex hoc alij trahunt quòd diſpenſatio aliud non eſt, quàm latē-tis, ſeu virtualis intentionis ipſius legiſlatoris expreſſio, ita quòd ſi legiſlator adeſ-ſet, ipſe, ſtante tali neceſſitate, aut vtilitate, ſic iudicaret agendum, imo ſic ageret. Vnde ſecundùm hoc per diſpenſationem mutatur materiale in lege, non legis formale, videlicet intentio legiſlatoris, quæ eſt principale in lege. Prælati ergo eſt diligēter conſiderare cauſam diſpenſationis ſecundùm rectæ rationis, & veræ prudentiæ diſcuſſionem. Alioquin nec ipſe eſſet culpa immunis, nec alius. Vnde S. Bernard. ſcribit Roberto monacho, qui de licentia Papæ tranſtulit ſe de ordine rigidiore Ciſtertienſium, ad ordinem Clunacēſium leuiorem, Non tibi fruſtrà quis blandiatur de diſpēſatione Apoſtolica, cuius cōſcientiā tenet ligatā diuina ſentētia. Hinc ergo ſecundùm doctores in lege aliqua poteſt, & debet fieri diſpenſatio propter compellentem neceſſitatem, aut veram, manifeſtámque vtilitatem quam veriſimiliter acceptaſſet, & approbaſſet legiſlator ſi ſibi occurriſſet. Alioquin diſpenſator poteſta-

Bernar.

1. q. 7. c. tali. & c. neceſſe.

Digitized by Google

te tibi cōceſſa non vtitur, imo abutitur, in deſtructionē, nō in ædificationē. is quoque qui diſpenſationē requirit ſine neceſſitate aut vtilitate præfata, vel per falſi ſuggeſtionē, aut veri ſuppreſſionē, fallit ſeipſum, nec excuſatur à culpa. Hinc libro de conſideratione ſcribit Ber. ad Papā Eugenium: Nō ſum tā rudis, vt ignorē vos poſitos diſpenſatores ſed in ædificationē, nō in deſtructionē. Vbi vrget neceſſitas, excuſabilis eſt diſpenſatio. Vbi vtilitas prouocat, laudabilis eſt. Vtilitas dico communis; nō propria. Nā vbi nihil eſt horū, nō planè fidelis diſpēſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. His conſonant ſummorū pontificum, ſcripta, Gelaſij, & Leonis. Ait quippe Gelaſius Papa: Vbi neſſitas non eſt, inconuertibilia maneant ſanctorum patrum decreta. Et ſanctus Leo Papa: vbi neceſſitas nō eſt, nullo modo violentur ſanctorum patrum inſtituta. Ecce ex his potes penſare, frater amande, quando, & qualiter diſpenſatio à culpa excuſet, quàm rationabiliter ſit petenda, quā circumſpectè atque prudenter exhibenda. Per quid etenim ſtatus eccleſiæ eatenus corruit, & defecit, ſicut per cōſuetudinariam, circunſcriptam, ac leuem diſpenſationē? Ideò quantum tibi poſſibile eſt, eſto iuſti verique tenax Et quę nūc ſcri

Dete. ca. ca. ſuper. literis.

Bernard.

Gel. pa.

Leo pa.

pſi ad canonicos pertinere, quandiu in hoc ſtatu es, quãtum bono præuales, modò diligenter obſerues, vt per hoc gratiam merearis ampliorẽ à Domino, per quam meliora æmulando chariſmata, ſtatum perfectionis viriliter felicitérque arripias, ad honorem, laudem & gloriam creatoris adorandi, excelſi, ac im mortalis, qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis, & benedictus. Amen.

De vanitate mundi, breuitatéque vitæ præſentis ex verbis beatiſſimi Auguſtini.

ART. XXXVI.

Prou. 29. DIes noſtri ſunt quaſi vmbra ſuper terram, Quemadmodum decimotertio de ciuitate Dei cap decimo, aſſerit Augu. *Auguſt.* ex quo quiſque in hoc corpore morituro cœperit eſſe, hoc inceſſanter in eo agitur. vt mors veniat. Hoc .n. Agit eius mutabilitas toto tẽpore vitæ huius: ſi tamẽ vita dicẽda eſt, vbi ad hoc viuitur, vt ad mortem perueniatur. Nemo quippe eſt qui nõ morti propinquior ſit poſt annũ, quã ante annũ fuit, & cras quã hodie, atq; hoc die quã heri, & paulò pòſt quá nunc. Quoniá quicquid tẽporis viuitur, de viuendi ſpatio demitur, & quotidie fit minus minúsq; quod reſtat: vt omnino nil aliud ſit tempus vitæ huius quàm curſus ad mortem, in quo nemo

nemo vel paululũ ſtare, vel aliquanto tardiùs ire permittitur: ſed pari motu omnes vrgentur, ac diuerſo impelluntur acceſſu. Neque enim, cui vita breuior fuit, diẽ celeriùs duxit, quàm ille, cuius longior extitit vita: ſed cùm æqualiter, & per æqualia ambo raperentur momenta, alter terminũ habuit propius, alter remotius. Aliud autẽ eſt viæ plus egiſſe, aliud tardiùs ambulaſſe. Qui ergo vſque ad mortẽ productiora temporis ſpatia agit, non lẽtiù pergit, ſed plus itineris conficit. Porrò ſi ex illo momento quiſq; incipit mori (hoc eſt eſſe in morte) quo in loco huius exilij agi mens cœperit (hoc eſt ab ipſo planè vitæ exordio) hæc profectò cùm detrahendo finita fuerit, poſt mortẽ iam certè nulla amplius erit. Quid aliud enim diebus, horis, momẽtiſq; ſingulis agitur, donec vita hæc conſummata, mors quæ agebatur, impleatur? De hac materia prçallegata, atq; ſequẽti cap. Aug. diffuſiùs loquitur. At verò de infinitis malis, & miſerijs vitæ præſentis, xx. lib. de Ciuit. Dei idẽ ſapientiſſimus Auguſti. xx. cap. prolixè pertractat, dicendo, Quantum ad primam originem pertinet, omniũ mortalium progeniẽ fuiſſe damnatam, teſtatur præſens hæc vita: ſi tamen vita dicenda eſt, tot tantíſque malis plena. *Auguſt.*

Quid enim aliud indicat horrēda profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adã tenebroſo quodam ſuſcipit ſinu, vt homo ab illo liberari ſine labore, dolore, ac timore non poſſit. Hoc etiam indicat amor ipſe inordinatus tot rerũ vanarum ac noxiarũ, ex quo oriũtur mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fraus, furtum, rapina, luxuria, atque ſuperbia. Inſuper in libro de miſeria mundi Auguſtinus de his pleniſſimè diſputat. Attēde, inquiens, tibi, ne diaboli laqueis implicatus præda fias venantis, qui rugit, & circuit quærens quē deuoret. Vita iſta fugitiua eſt, & infidelis, nec amatoribus ſuis fidem præſtat, & ab origine mundi in ſe credētes fefellit, & omnes ei ſe implicãtes decepit, ſicq; nullum omnino reddidit certum, vt omnibus probetur eſſe mentita. Ecce mundus qui diligitur tranſit, ac fugit, & tamen cæca carnalis concupiſcentiæ mente fugiētem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia labentē tenere non poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Nónne vita iſta morti ſimilis eſt, in qua abundant dolores, & gemitus, ſuſpiria, & tantæ miſeriæ. Alius damno affe-
ctus

ctus plangit. Alius orbitate percuſſus, luget. Alius mortem amicorum deplangit. Alius in paupertate plorat. Tribulatio magna eſt, ex quo naſcitur homo. Prima vox eius indicat infirmitatem. Naſcitur infans, & ſtatim plorat. Nondum loquitur, & Propheta eſt ſuæ calamitatis. Lacrymæ teſtes ſunt miſeriæ, quòd in labore futurus ſit, & timore. Mox incipit eſurire, ſitire, & laceſcere. Sũt denique homini duo tortores vitæ, non ſimul torquentes, ſed cruciatum alternantes. Quorum nomina ſunt timor, & dolor. Quando tibi benè eſt, times. Quando tibi malè eſt, doles. Quem ſæculi huius hominem non decipit proſperitas? quem non frangit aduerſitas? Ecce quæ pateris homo in miſeria iſta, quam diligis, vbi eſt falſa voluptas, vera calamitas, nulla ſecuritas gaudij, ſed timor torquens, cupiditas auida, triſtitia arida. Et quis ſibi omnia mala huius vitæ numerare poſſit? Vt enim prętermittam ea mala, quę omnes homines communiter opprimunt: qualia eſſe putamus ſecreta pericula malaque ſpecialia ſingulorum, quorum ſibi conſcij ſunt? Si cogitare voluerit quiſque, quę à iuuenili ętate mala fecerit, quę ſuſtinuerit, & conſtituat ante oculos ſuos prę terita tempora,

conſiderétque diligenter, quot inanes labores tulerit, quoties pro amore hujus vitæ fruſtrà ſudauerit quoties in laborioſis conatibus fallaces inuenerit exitus, & poſt longos decurſus nullam requiem adeptus ſit cognoſcet quid de hac vita ſit iudicandum. Miſer homo, quid agis? quò tendis? In hoc mundo in agone contendis: & obluctatur tibi hoſtis, quem non potes videre, nec potes iſ latere. Ingerit tibi blandimenta, rapturus cæli gaudia, illaturus inferni cruciamenta. Abſcondita eſt à terra pedica diaboli, & decipula illius ſuper ſemitam. Intuetur inimicus generis humani vniuſcuiuſque mores, naturaléſque inclinationes, cui vitio ſint propinqui, & illa ante faciem ponit, ad quæ mentem faciliùs inclinari cognoſcit. Dúmque homines lucrum auri vident, damnum ſalutis non vident. Et ſtulti voluptatibus decepti, dum cernunt, quæ carnaliter diligunt, non attendunt, quò æternaliter ruũt. Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Idcirco ſi tibi mundus arridet, time fallacem memor, quia extremum, vt Salomon inquit, gaudij luctus occupat. Omnis namque humana iucunditas in fine amaricatur. Quando gaudetur in ſeculo, non gaudetur in domino: & è diuerſo, O

Prou. 14.

quàm

quàm multi ſunt gaudentes in ſeculo, & quàm pauci in Domino! In ſeculo gaudere, eſt de iniquitate & vanitate, de diuitijs, & honore terreno, de exteriori ornatu, turpitudine vitiorum, & ludis, ac verbis ſcurrilibus gloriari Quod eſt æternam certè triſtitiam promereri Nemo poteſt amplecti Chriſtum ſimul & ſeculum. Multi Chriſtiani ſunt, qui Deum tunc amant, laudant, & gratias agunt, dum proſperè ipſis ſuccedit, ſed dum aduerſa contingũt, blaſphemant. Tales ex commodi cauſa, non ex amore ſeruiunt Deo. Quibus quidem Deus dicere poterit, gratia commodi veſtri mandata mea ſeruaſtis: non quia me purè amaſtis. Quid te, ô homo, in vanitate extollis? Nónne corpus tuum puluis? *Eccle. 10.* &, vt Eccleſiaſticus inquit, cinis? Nónne tuiipſe terra, & citò reſoluendus in terram? Reſpice in ſepulchra hominum, & vide quid ex te niſi cinis remanebit & oſſa. Quæ cùm ita ſint, per tot errores feſtinas ad inferos, qui tot vias accepiſti ad cælum per Ieſum Chriſtum. Cur amatur quod relinquitur? Cur negligitur quò peruenitur? Multa his ſimilia in præfato libello Auguſt deuotiſſimè diſſerit. Poſtremò in quodam ſcribit ſermone, Attende, *Auguſt.* ô miſera peccatoris anima, illam horam

horribilem, qua de corpore es egreſſura. Aderunt mox miniſtri maligni maledicti diaboli, ſpiritus illi horribiles, ſæuiſſimi Leones rugientes vt rapiant prædam, videlicet te miſerã animam. Tunc ſubitò horribilia patebũt loca pœnarum, chaoſq; tenebrarũ, horror miſeriæ terror, & tremor anguſtiæ, pauor viſionis horrendæ, mãſionis tremendæ: vbi locus eſt flentium, ſtridórque dẽtium: vbi morſus eſt vermiũ, clamor dolentium luctus gementiũ, vbi vox eſt clamãtium peccatorum. Væ væ væ nobis filijs Euæ. Cùm hęc, & his ſimilia, imo milleſies plus quàm dici poteſt peiora, infelix anima de corpore exitura audierit, viderit, ſenſerit, qualis, & quantus timor, terror, & tremor erit in ea? Eia, frater, præcogita, & nunquam à corde tuo recedant hæc omnia, vt æterna euadas ſupplicia, & gaudia apprehendas ſine ſine manſura. Amen.

*

D. Diony

D. DIONYSII CARTHVSIANI, AMATORVM MVNDI

ſpeculum, planè vtiliſsimum, Appendicis epilogiq; loco præmiſſo opuſculo annexum.

*

VIdete quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimẽtes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. Apoſtolus Paulus conſcius conſiliorum Dei, ſciens quòd infinitæ ſunt cæleſtis patriæ deliciæ, quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ neque pro multitudine, nec pro magnitudine in cor hominis aſcenderunt: ad quas frequẽter inuitamur ex euangelio, & ex ſcripturis ſanctis: ſciensque quòd maligni ſpiritus ad impediendum nos in hac vita, & via ſtricta, & arcta, quæ ducit ad æternam vitam, ſunt tantò ſolicitiores, quãtò deliciæ, ad quas vocamur, exiſtũt nobiliores, & iucundiores. Hortatur ergo nos in verbis præmiſſis, vt vndique cauti, & circunſpecti cautè proſpiciamus iter noſtrũ dicens, Videte, quomodo cautè ambuletis. Ne ſcilicet

Epheſ. 5. Eſaiæ 64. 1. Cor. 2. Mat. 22. Lucæ 12. Matt. 5. Heb. 10. Mat. 7. Rom. Col. 4.

licet à via regia, quę ad cæleſtia ducit gaudia deuiantes in manus hoſtium incidatis. Et ſubiungit Paulus, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Si enim debitè, & benè (vt oportet) flebilem, miſerabilem, atque damnabilē curſum, ſeu ſtatum mundi præſentis temporis conſideremus, tunc dies quā mali ſint, occulta fide cernimus: ſcilicet quomodo quaſi totus mundus errat ſecundùm Ioan. in Canonica ſua, in maligno poſitus eſt: proph dolor (quod cū dolore dicendum eſt) tam in capitibus quā in membris, tam in clero quàm in populo, tam in religioſis quàm in ſęcularibus, tam in ſenibus quàm in iuuenibus, tam in maſculino quam in fœminino genere! Et ſic, heu, corrupta eſt via vniuerſę carnis. Quod benè tangit B. Bernard. dicens: Non eſt niſi amor turpis in hoc ſæculo, nec fides ſecura, quia omnia quæ eius ſunt, contaminantur ſuperbia, auaritia, cupiditate, & luxuria. Receſſit enim lex à ſacerdotibus, iuſtitia à principibus, conſilium à ſenioribus, religio à clericis, amor à parentibus, fides à populo, reuerentia à ſubditis, amor caſtitatis à virginibus, pudicitia à coniugatis. Et quid eſt, quòd non venit Antichriſtus? Iam enim à multis ignoratur Chriſtus, & à potentibus quaſi peregrinus habetur.

Hæc

Hæc Bernar. Conueniens igitur eſt, vt ſanam doctrinam Pauli doctoris gentium præmiſſam deuoti āttendentes, cautè, & ſapienter figamus greſſus noſtros in hac lacrymarum valle, & apertis oculis ſaltem interioris hominis arctam, regiámque viam, quæ ducit ad cæleſtem patriam, à qua peccando exulamus, reuertentes perſeueranter ambulemus, non retro inſpicientes, ne declinantes ab ea erremus, & ſic in profundum æternæ damnationis incidamus. Vnde hortatur nos Dominus per Eſaiam dicens: Hęc eſt via, ambulate in ea, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinātes. Huius igitur veræ viæ aliquod directiuū hîc in ſequentibus deuotè ac diligēter attendendū eſt, per quod Chriſti fideles omni deuio excluſo per viam regiam, quę ad patriam ducit cæleſtem, dirigātur. Quę quidam vi cùm ſit ſtricta, pauci eam inueniunt, & heu pauciores per eam tranſeunt Quod innuit nobis ſaluator, Intrate, inquiens, per anguſtā portā, quoniā arcta eſt via, quæ ducit ad cælum, & pauci inueniūt eam Sed porta lata, & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem inferni (vbi ſcilicet eſt perditio naturæ, gratiæ, & gloriæ) & multi intrant per eam. Circa quæ verba dicit Gloſſa: Quamuis charitas ſit la-

Luca 1.

Matt. 7.
Gene. 19.
Pſal. 118.

Eſaia 30.

Matt. 7.

ta.

Digitized by Google

ta,tamen perangusta & ardua abducit hominem à terra Et Auguſt. Quæritur hæc via ſed nõ ab omnibus inuenitur,nec omnes,qui inueniunt, per eam ingrediuntur, quia capti ſęculo retroëũt.Etiam pauci inueniũt,& pauciores per eam intrare cõtendunt Nemo enim intrat ſine labore, & ſine animi puritate.Satis anguſtum eſt,omnia prætermittere, & vnũ ſolum diligere, vnum quærere, & ad vnum quotidie properare, proſpera non ambire, aduerſa non timere.Quod heu amatores huius mundi attendunt minimè, & ſeculo conglutinati,ab eo recedere non valentes quaſi inſaniendo errant.Quod benè declarat beatus Hier.dicens:Ridere,& gaudere in hoc ſæculo,non eſt hominis ſenſati, ſed frenetici,quia cor mundum non cum hoc ſeculo, ſed cum Deo lætum eſt & iucundum, breuis enim,fragilis,& caduca eſt mundana lætitia.Idem Bernar. Nõ eſt verior inſania,quàm ſęculi lætitia.Ideq́ue Aug.Gaudium mundanorum, gaudium eſt freneticorum.Sæculi lætitia eſt impunita nequitia.Luxuriari in ſpectaculis nugari,ebrioſitate ingurgitari, turpitudine fœtere, & nihil pati, qui Deum diligit hæc refugit. Ratio autem,quare multi intrant ad perditionem æternæ damnationis per latam portam

Auguſt.

Hiero.

Bernard.

Auguſt.

Sæculi lætitia qualis.

portam & ſpatioſam viam, hæc eſt, Quia (prout ſcribitur in Eccleſiaſte) peruerſi difficilè corriguntur. Et Stultorum infinitus eſt numerus, qui heu magis reſpiciunt vitam præſentem quàm terminum ſequentem. Quibus loquitur Ioan. Chryſoſto. dicens: Non aſpicias, quòd aſpera eſt via, ſed attende, quò ducit, nec conſidera quòd arcta eſt, ſed vbi definit. Ex quibus elicitur vnum, quod valdè timendum eſt: ſcilicet, quòd durante ſtatu mundi moderni temporis, infinitis malis exigentibus, quæ heu vbique terrarum in ſæculo iam currunt, pauci erunt de numero ſaluandorum. Quod innuit ſaluator ex graui ſententia, quã protulit: Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Non quòd ab initio mũdi pauci ſaluẽtur, ſed (ſecũdùm doctores) quoad multitudinem damnatorũ pauci dicuntur. Quod quidem benè figuratũ legimus in filiis Iſraël qui in tãta multitudine, ſcilicet circiter ſexcenta millia, ducti ſunt ex Ægypto per mare rubrũ in deſertũ per Moſem, quibus omnibus promiſſa fuit terra promiſſionis, per quam ſignificatur regnum cælorum: populum verò Iſraëliticum, populus Chriſtianus deſignatur, qui nunc verè eſt populus Deĩ. Hiſtoria patet per diſcurſum libri Exod.

Eccleſ. 1.

Ratio cur multi dãnantur.

Ioan. Chryſo.

Ecce illa tota multitudo populi Iſraëlitici, quibus, præfertur, omnibus promiſſa fuit terra promiſſionis, eorum peccatis exigentibus, in deſerto mortui ſũt, præter duos ſcilicet Caleb, & Ioſue, qui eam poſſederunt cum iis, qui poſt tranſitum maris Rubri in deſerto quadraginta annis nati fuerunt, ſicut legitur in lib. Ioſue. Ergo timẽdum nimis eſt, ne ſicut ſe habet figura, ita & figuratum. Inter bonos & malos hoc diſtat, quia mali volunt facere feſtum ante vigiliam, volentes in hoc ſeculo temporaliter gaudere, & ideò in futuro ſeculo facient vigiliam pro feſto, quod hîc habuerunt, quia æternaliter flebunt. Quod benè innuit B. Gregor. in Homilia, ſuper illo verbo: Ibi erit fletus, & ſtridor dentium, ſi inquiens, Præſentia huius vitæ gaudia ſequuntur perpetua lamenta. hîc, fratres, vanam lætitiam fugite, ſi illic flere & lugere formidatis. Nemo poteſt enim hîc gaudere cum ſeculo, & illic regnare cum Deo. Et rurſus Gregorius: Nulli ſunt, qui poſſint venire de feſto ad feſtum, hoc eſt, de gaudio præſentis vitæ ad gaudia felicitatis æternæ. Sicut loquitur beatus quoque Hieron. dicens, Difficile nimium eſt, imo impoſſibile: vt quis præſentibus fruatur bonis, & æternis, vt de deliciis ad delicias

Num. 14.
Ioſue. 14.

tran

tranſeat, vt hîc ventrē, illic mentē repleat. Vt in vtroque ſeculo ſit primus, & in vtroque appareat glorioſus. In vitis patrum dixit quoque ſancta Syncletice: Sicut impoſſibile eſt vno, eodémque tempore herbã eſſe & ſemē, ita impoſſibile eſt, vt ſæcularē gloriam habentes, & in delicijs ac voluptatibus mundi viuentes, cęleſtem faciãt fructum. Et ergo pro temporali cõſolatione, talib. cõminatur dominus æternũ ſupliciũ, dicēs: Væ vobis, qui hîc habetis cõſolationem veſtram ſuper terram. Hinc dicit beatus Bernar. Auſteritas conuerſationis S. Ioannis Baptiſtæ peccatoribus delicioſis durus eſt nuncius æternæ mortis. Quid enim nos irrationabiles feræ, reptilia terræ inſanimus, cùm ille, quo inter natos mulierum nemo maior ſurrexit, innocentiſſimum corpus ſuũ ſic afflixit, & nos indui pretioſis veſtibus feſtinamus, ſplendidè, lautè ac delicatè viuere, & epulari? Non ſic impij, non ſic itur ad aſtra, quia dicit S. Auguſt. Bona terrena contempſit Chriſtus, vt contemnenda omnia terrena monſtraret, & mala mundi ſuſtinuit, vt ſuſtinenda mala doceret, vt neque in alijs quæreretur felicitas, neque in iſtis timeretur aduerſitas. Hinc auſculta Bernardum ſic dicentem: Agno-

Mar. 10.

Luc. 6.

Bernard.

ſce ô homo quàm nobilis eſt anima tua, & quàm grauia fuerunt eius vulnera, pro quibus neceſſe fuit dominum Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & ad mortem ſempiternam, nunquam pro eodem remedio Dei filius moreretur. Noli igitur vilipendere animæ tuæ paſſionem, cui à tanta pietate, tantam vides exhiberi compaſſionem. Noli attendere quid caro velit, ſed quid ſpiritus poſſit. Si verò dicis, durus eſt hic ſermo, non poſſum mundum ſpernere, & propriam carnem odio habere, dic mihi, vbi ſunt amatores huius mundi, qui ante pauca tempora nobiſcū erant? Nihil ex eis remanſit, niſi cineres, & vermes. Attēde quid ſunt, & quid fuerunt. Homines fuerunt, ſicut tu, comederunt, bibe-
Iob. 22. runt ac riſerunt. Duxerunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcenderunt. Hîc caro eorum vermibus, illic anima eorum æternis eſt deputata ſuppliciis. Quid profuit illis inanis gloria, breuis lętitia, mundi potentia, carnis voluptas, falſæ diuitiæ, magna familia, & mala concupiſcentia? Vbi riſus, vbi iocus, vbi iactantia, vbi arrogantia? De tanta lætitia quanta triſtia: Poſt tantam voluptatem quàm grauis miſeria? De illa exaltatione ceciderunt in magnam ruinam, & magna tormē-
ta.

Digitized by Google

ta. Quicquid illis accidit, tibi accidere poteſt: quia homo es, homo de humo, limus de limo, de terra es, de terra viuis, & in terrā reuerteris, quando veniet dies vltima, quæ ſubitò veniet, & forſitan hodie erit. Certum eſt, quòd morieris, incertum autem quando aut quomodo aut vbi, quoniam mors vbique te expectat. Tu quoque, ſi ſapiens fueris, vbique eam expectabis. Omnia ſunt verba Bernard. Hinc Gregor. Nihil certius morte, & nihil incertius hora mortis. Ex quo ſcis te moriturum, tene te ſemper, & in omnibus euentibus humiliter, patienter & prudenter, vt mortuum. Et dic: Hæc non mouerent mortuum, nec te mouere debent, ſiue proſpera ſint, ſiue aduerſa. In omnibus quoque operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Facile enim ſecundùm Hieron. contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum. Et hæc de memoria mortis ſint dicta. Modò redeundo ad propoſitum, conſiderandum eſt, quòd boni faciunt hîc vigiliam in luctu pœnitentię, & ideò perueniunt ad feſtū iucunditatis ęternæ, quorum vita quamuis multam videatur habere aſperitatem, tamen leniri debet, conſiderata tantę glorię immenſitate.

Digitized by Google

vident, aures habent, & non audiunt: diu ſe viuere arbitrantur, & citò è medio tolluntur. Et quia mortem terribilem diſpoſitam non metuunt, ideò miſeri prouidere damna ipſius cõtemnunt. Inſipiẽtes ſimiliter cenſendi ſunt, qui impiè vſque ad mortem viuentes, quæ ſunt digna morte, agunt, quam nec timent vicinam cæci & mentis inſanæ, inſipiẽtibus ſimiles, nouiſſima ſua, & poſt mortem ventura non prouidentes. Vnde Auguſtinus: Multi æternaliter damnantur, & finaliter in peccatis detinentur, qui vocem quidẽ occultæ inſpirationis audiunt, ſed vitã non corrigũt, dicentes, Cras cras, ſubitóque oſtium clauditur, & remanet miſer peccator foris, ante arcã patriæ cæleſtis, cùm voce coruina, quia pro peccatis gemere noluit tẽpore quo potuit & debuit voce columbina. Vnde dixit triſtis mortui cuiuſdam vox: O cras, cras, quàm Lõgam reſtẽ mihi feciſti, & in barathrum mortis me procraſtinando protraxiſti, decepiſti me, & deceptus ſum. Nónne hæc nunc miſeria mea ſuperat omnem miſeriã huius mundi? Nõne meritò ſuper his affligitur cor meum, & ſauciabitur anima mea? En omnes dies mei heu, ſine fructu bonorũ operũ trãſierunt, quos ſine medio in laudẽ Dei, animæ meæ ſalutẽ procurando ex-

Pſal. 113 & 134.

Rom. 1.

Differre conuerſionem quã peculo plenũ ſit.

Exclamatio dãnati horribilis.

Digitized by Google

pendere debuiſſem. Triginta anni ætatis meæ dilapſi & perditi ſunt, & miſerabiliter perierunt tã negligenter, vt neſciam, ſi vnquam diem de omnibus his expendi in voluntatem Dei, in exercitium cunctarum virtutũ tam laudabiliter & perfectè, ſicut forte debuiſſẽ & potuiſſem, Vel ſi vnquam placitũ famulatũ conditori meo exhibui tã gratũ & acceptum. vt ſtatus meus requirebat. Heu me, proh dolor! Hoc eſt ergo vnde vulnerantur omnia interiora mea. O Deus æterne, quàm verecundè coram te, & omnibus ſanctis tuis ad iudiciũ extremum ſtabo, cũ reddere rationem de commiſſis & omiſſis cogar? Et quid adhuc dicam? in proximo eſt tribulatio pœnarum mearum. Attendite, quæſo, omnes amatores mundi huius. Ecce in hac hora magis gauderem de breui oratiuncula, puta oratione dominica, vel ſalutatione angelica, deuotè pro me dicta, quàm ſuper milia auri & argenti. O mi Deus quãta neglexi bona, quæ benè potuiſſem impleuiſſe? Quàm malè mihi accidit, quòd hæc nõ præuidi, quando benè præuidere potui. O quot horas nunquam redituras perdidi, quoniam propter modica facta & negotia exteriora, mihi neceſſaria neglexi: negotiis non neceſſariis me implicaui, & neceſſaria

Oratio.

Mat. 12. Rom. 14. 2. Pet. 3.

Pſal. 118.

Propria opera plus prodeſſe ad ſalutem quàm aliena.

ſaria dimiſi. Verè nunc cognoui, quòd ad magnitudinẽ præmiorũ cęleſtiũ, nihil plus contuliſſet receſſus à vanitatibus ſæculi, & ſolicita cuſtodia cordis mei, & ſenſuum meorum cum animi puritate, quàm ijs neglectis, & animo inordinatè affecto, triginta annis quis alius per precationes ſuas ad Deum mihi præmia obtinere niteretur. Heu quanta bona in tanto tẽpore corpore ſano potuiſſem feciſſe, quod nunc optarem pro omnibus delicijs, diuitijs & honoribus mundi huius. Et heu nõ feci Quam immẽſas diuitias ſpirituales, & theſauros cæleſtes potuiſſem congregaſſe, & neglexi. O Deus meus, nunc quàm minima opera ſatisfactoria mihi grata & accepta eſſent, cupienti ſaturari, & recreari de micis, quæ cadunt de mẽſis dominorũ, & nemo mihi dat O vos omnes, miſerimini, & compatiamini mihi, & quàm diu vires ſuppetunt, & ſpiritus iuuat, bonum faciẽtes congregate in horrea cæleſtia cæleſtes theſauros, vt cũ defeceritis, ſuſcipiant vos in æterna tabernacula, & non relinquamini vacui in tali hora ſuper vos ventura. Sed proh dolor! multi nec iſtud attẽdunt, mortẽ paruipẽdẽtes, ſicut omnes mundi & propriæ voluntatis amatores, quibus loquitur Ioãnes in ſua canonica: Nolite diligere mundũ, ne-

Iob. 19.
Luc. 16.
1. *Ioan.* 2.

que ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundũ, non eſt charitas patris in ipſo, quoniã omne, quod eſt in mundo, cõcupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorũ, aut ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Deo patre, ſed ex mundo: & mundus tranſit, & cõcupiſcentia eius: qui autẽ facit voluntatem Dei, viuit in æternum. Hinc Iacobus: Qui amicus eſt ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur. O vtinã ipſi amatores mundi attenderent ſeueritatem diuinę iuſtitię, quæ in extremo examine diſtricti iudicij vniuſcuiuſque merita iudicabit, & puniet ſine miſericordia, quæ non decipietur ab humana aſtutia, nec flectetur à ſupplicatione lacrymoſa, ſed extendetur in corpus, & animam. Diſtrictum enim Dei iudicium nil patietur tranſire inultum. De quo quidem diſtricto iudicio dicit Aug. O quam anguſtæ erunt tunc vndique vię reproborũ ſuperiùs erit iudex iratus, inferiùs horrendum chaos, à dextris peccata accuſantia, à ſiniſtris infinita dæmonia ad ſupplicium trahentia, interiùs conſcientia vrens, exteriꝰ mundus ardens Peccator ſic deprehenſus quò fugiet? Latere impoſſibile, apparere intolerabile. Item beatus Ioannes Chryſoſt. Nec reſiſtendi virtus erit, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec

Sap. 7.

Auguſt.

Chryſoſt.

nec ſatisfaciendi tẽpus Ex anguſtia omniũ rerum nihil erit, niſi luctus. Item nec filij pro parentib. intercedent, nec angeli pro hominibus, provt ſolent, aſſument verbũ: nam natura iudicij non recipit miſericordiam. Quia ſi beata virgo Maria, & omnes ſancti rogarent tunc pro aliquo in peccato mortali mortuo, non exaudirentur. Hoc futurũ examen diſtricti iudicij omni tẽpore & hora omnes Chriſti fideles ante mentis oculos ponant, pœnitentiam agentes bona opera accumulẽt, per quæ reddatur eis Deus propitius. Quia dicit Bernard. Si Deus non adeſt tibi per gratiam, adeſt per vindictam: ſed væ tibi, ſi ita ſibi adeſt. Illi nãque iraſcitur Deus, quem peccantem non flagellat. Nã quem flagellando in præſenti nõ emendat, in futuro æternaliter damnat. Iuſtitia enim Dei aliud iudicare non poteſt niſi quòd merẽtur opera tua. Qui enim plus diligit mundum quàm Deum, ſęculum quàm clauſtrum, gulã quã abſtinentiam, luxuriam quàm caſtitatem, ſequitur diabolum, & ibit cũ eo in ignem æternum. Hæc ille. O vtinam cuncti mortales, & ſpecialiter mundi amatores, attenderent, & animo omni tempore reuoluerent, & rememorarentur eandem æternitatem, & acerbitatem pœnarum inferna-

lrum! nulli dubium quin & infiniti à peccatī ceſſarent, mundum fallacem, doloſum,
Eccle. 18. & deceptorium relinquentes, non ſic irent
poſt cõcupiſcentias ſuas. Qui heu amatores, Dei præcepta minimè aduertunt, imo paruipendẽtes pro nihilo reputãt, cùm tamen ſine obſeruatione mandatorum Dei nullus ſaluari poſſit, ſicut atteſtatur ſalua-
Mat. 18. tor. Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata.
Exo. 20. Et in Exo. Ego ſum Deus fortis & emulator, reddens iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorũ, qui oderunt me (ſemper peccãdo, mandata mea nõ cuſtodientes) & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Hinc Pſalmiſta imprecatur talibus maledictionem æternã dicens, Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Auſcultent inſuper mundi amatores ſententiã Sanct. Athanaſij in ſymbolo ſuo, quomodo oporteat nos omnes de omnibus operibus noſtris Deo in die iudicij reddere rationem. Ait namque, venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis proprijs rationem. Et qui tunc bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum. Item Apoſtoli,
Omnes

Digitized by Google

Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque, prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum, ſine omni expectatione. Tunc miſeris damnatis, qui hîc pœnitere neglexerũt, exprobrando dicetur, Vbi ſunt nunc iſti, qui ab initio à diebus antiquis huic mũdo toto ſeruierũt deſiderio: qui voluptuosè viuentes, variis ſe deſideriis ſubdiderunt? Eia quid proſunt nunc illis omnia terrena, quę tanquã vmbra velociter tranſierũt? Quã breuis delectatio, quã lõgã reſtim poſt ſe trahit æternæ miſeriæ! O ſtulti, & vecordes, quid dulcia nũc iuuãt vniuerſa, quibus tam celeriter perfruiti eſtis? Sed quid eſt? Nũc econtrario plãgere vobis æternaliter cõuenit, & plangẽdo exclamare & dicere: Væ nobis iã nunc, & æternum. Væ quòd nati ſumus, nec vltra mori valemus. Væ quia malè torquemur, nec à tormentis vnquã liberabimur. O quis eſt, qui iſta recogitet ſupplicia, & hæc noſtra ad cor ponat tormenta? Hæc enim talia ſunt, vt quiquid in mũdo horribile excogitari poſſit, his comparari in crudelitate nõ valeret. O quã felix incoinquinatus, qui poſt gaudia huius mũdi nõ abiit, qui nõ reſpexit in vanitates, & iſanias falſas! Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lux nõ luxit nobis

2. Cor. 5.

Sapi. 5.

nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Tranſierunt omnia illa quaſi vmbra, tranſiit quod temporale fuit, ſed nunc, proh dolor, remanſit quod in æternum manebit. O æternum nunquam finem habiturum, perpetuum mortis ſupplicium. O finis ſine fine, mors grauior omni morte, ſemper mori, & tamen mori non poſſe. O lacrymæ, inceſſanter profluite, oculi plorate, & omnia viſcera mea vlulate ſuper infelici hac ſeparatione, quæ eſt à ſummo bono, à facie illa glorioſa & iucunda, à conſortio illo angelico, necnon feliciſſimo illo electorum numero, componendo ad illam miſeram, maledictam, ac crudeliſſimam damnatorum turbam, ſine fine cruciandam. O cordium multorum intimi gemitus. O ſtridor dentium, & fremitus ſpirituum immenſus. O planctus, & vlulatus multus. O clamor in æternum mãſurus, qui ſemper durabit, & nunquam finem habebit, qui ſemper renouab tur, & nunquam exaudietur. Verba ſunt damnatorum. Oculi noſtri miſeri nunquam videbunt niſi mortem, & miſeriam. Aures nihil niſi væ væ audient, atque triſtitiam gemitus, & ſtridores dentium. O pia corda

Verba dãnatorum.

Digitized by Google

da iſtud interminabile, & crudele, & æternum, & intolerabile ſupplicium damnatorum reſpicite. Et in hoc tempore gratiæ lugete, & flete, pœnitentiam agentes, deplangite peccata. Heu cur nos miſeri, & omnibus creaturis miſerabiliores, hæc futura mala non præuidimus, ac præuenimus, dum robur affuit, cùm tempus aderat opportunum? Vtinã de illo toto tempore inutiliter expenſo ſupereſſet nobis vna horula ſanctæ pœnitentiæ, in remedium conceſſa. Sed heu ſententiante diuina iuſtitia præcluſa eſt nobis hora ſalutis, negata miſericordia, ſpes omnis ablata. Quid plura? nos miſeri, & miſerabiles tantum affligimur, & dolemus de illo væ æterno, vt qualiſcunque terminus excogitatus, dummodo finibilis eſſet, nobis ſolatioſus foret, etiam ſuper omnia ſolatia mundana & gaudia. Vnde poſito per impoſſibile, quod eſſet aliquis lapis molaris adeò magnus, quòd vndique circunferẽtiam cœli contingeret, & quòd aliqua auicula minimę quantitatis poſt centum millia annorum veniens de lapide prædicto ſolummodo per roſtrum ſuum auelleret, quantum eſt decima pars milij. Et iterum poſt centum millia annorum ſicut priùs vnam particulam de decem auferret, & ſic ſingulas

2.Cor.6. *Luc. 19.* *Apoc.2.* *Eſa. 66.*

ſingulas partes, ita quòd in decies centum millibus annis non plus diminueretur quantitas illius lapidis, niſi quantum habet in magnitudine granum milij. O quàm læti nos miſeri multum grati, & conſolati eſſemus quòd poſt totalem, & plenam conſumptionem totius lapidis finem haberet furor æternæ damnationis noſtræ?
Tobi. 13. Sed hæc eadem conſolatio nobis miſeris à diuina iuſtitia eſt negata Qui habet aures audiendi, audiat, & ad cor ponat hæc horribilia, & vitam emendando, hic in
Hebr. 12. tempore gratiæ pœniteat, quia taliter flagellabuntur in æternis cruciatibus, qui hic in tempore gratiæ à flagellis filiorum excipiuntur. Sic enim dicit Beatus Gre-
Gregor. gorius: Proſper ſucceſſus temporalium indicium æternæ damnationis eſt certiſſimum. Quid igitur faciendum eſt, vt infernum euitemus? Dico, Deus benigniſ-
1. Tim. 2. ſimus, qui (ſecundùm Apoſtolum) vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ſui nominis venire, duo nobis verba in euangelio promiſit, quorum vnum dixit nobis, manens in carne, alterum dicturus eſt in extremo iudicio. In quibus verbis nobis propoſuit bonum & malum, vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo, ô homo

Digitized by Google

homo, alterum eorum, quia oportet te alterum ſequi. Eligere ergo vnum, quod volueris ex his multum diuerſis. Primùm ſcribitur apud Matthæum: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim vobis regnum cælorum (quæ pœnitentia verè dicta poteſt dici vita religioſa virtuosè deducta.) Secundùm dicetur tibi à Chriſto in diſtricto iudicio in nouiſſimo die, videlicet, Ite maledicti in ignem æternum. Si enim primum accipias, pœnitentiam agendo, ſecurè euades. Si primum contemnis, abſque dubio incides in ſecundum. De his verbis ſimul iunctis dicit Bernard. Reſpõdent nobis amatores ſæculi, cùm eis pœnitentiam perſuademus, & dicunt, Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? durum ne vobis videtur, cùm dicitur, pœnitentiam agite? Erratis. Sed audituri eſtis aliquando verbum aſperum, ſermonem durum, auditionem malam ſcilicet: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt vobis, diabolo, & angelis eius: vbi tandem cruciatus intolerabiles æternaliter ſubſtinebitis. Quod Deus auertat, pœnitentiam inſpirando. Et quid ſi hæc omnia horribilia, & profectò terribilia, ſeruos diaboli, ſcilicet amatores ſæculi, ad conuerſionem vitæ ſuæ, & ad pœniten

Mat. 5.

Mat. 25.

Bernard.

Matt. 25.

nitentiam agendam inducant? Nihil his ſupereſt, niſi vt attendant immenſitatem gaudiorum cœleſtium. De quibus dicit Pſalmiſta, Quoniam melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Et iterum: Quoniã mille anni ante oculos [illegible]os, tanquam dies heſterna, quæ præte[illegible] ſupple, lætè deducta in hac vita. Gregorius: Ibi pax eſt ſine diſcordia, voluntas ſine mandato, iuſtitia ſine iniuria. Ibi erit iuuentus ſine ſenectute, decor ſine deformitate, vita ſine morte, lætitia ſine perturbatione. Ibi carmina non deſunt, præmia non deficiunt. Ibi amictus non dilatabitur, regnum non amittitur. Ibi nihil deerit, quia nihil deſiderabitur, quod non adſit. Auguſtinus: O quàm pulchra & decora ciuitas animæ! Chriſtus cibus erit, ne eſuriat, potus, ne ſitiat, vita, ne illam ſenectus diſſoluat. Nullus intrinſecus morbus, nullus extrinſecus metus, ſumma in carne erit ſanitas, & in anima tota tranquillitas. Bernardus: Lætatur omnes in Deo, quia deſiderabilis aſpectu, facie decorus, dulcis ad perfruendum, per ſe placet. per ſe ſufficit ad præmium, nihil extra ipſum requiritur, & in ipſo eſt quicquid deſideratur Item Auguſt. ipſe eſt finis deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine fine amabitur, ſine fatigatione

Pſal. 83. *Pſal. 89.* *Gregor. de gaudijs cæli.* *Auguſt.* *Bernard.* *Auguſt.*

tione laudabitur. Et vt multa paucis concludam, audi Bernardum ſic dicentem, Ibi vera lætitia, plena ſcientia, imò plenitudo omnium ſcientiarum, omnis pulchritudo, & beatitudo. Ibi pax, bonitas, lux, virtus, & honeſtas, gaudiũ, lætitia, dulcedo, vera ſalus, gloria, requies, amor, & quicquid bonum ac iucundum excogitari poterit, ſuperabundanter ibi reperitur. Quidam dæmon interrogatus, quàm magnum eſſet in cælo gaudium, Reſpondit: Numera atomos in ſolis radio. Reſpondit, Non poſſum: Sic etiam, ait, gaudia cæli nullus numerare poteſt. Quodam tempore dæmon, à quodam viro ſancto de reditu in cælum interrogatus, reſpondit: Si eſſet columna ferrea, & ignea, & acutiſſimis cuſtris raſoriis armata à terra vſque ad cælum erecta, vſque in diem iudicij (etiamſi eſſem carne hominis indutus, in qua pati poſſem) vellem me trahere aſcendendo, & deſcendendo, dummodo poſſem inuenire apud Deum gratiã, & peruenire ad eius gloriam. Dæmon aliquando interrogatus, quandiu Deũ viderit in cælo, Reſpondit: Paulò amplius vidi quã ad ictum oculi. Sed propter hoc vt adhuc denuò tandiu videre poſſem faciem illam glorioſam, in nouiſſimum diem vſque ſolus omnium damnatorũ tam *Bernar.*

PP

dæmonum quàm hominum vellent pœnas ſuſtinere. Vnde dicit Auguſt. Si poſſet fieri, quòd mali in inferno Deum viderent, quòd mallent in pœnis eſſe, & ſic videre Deum quàm eſſe in cælo, & non videre eum. Tantum enim delectarentur, quòd pœnas pro nihilo reputarent. Vnde erat quidam obſeſſus, qui interrogatus de gaudiis, quæ habent ſancti in cælo, reſpondit: Si totum cælum eſſet pergamenũ, & totum mare atramentũ, & omnes ſtellæ magiſtri, nec manibus, nec linguis deſcribere poſſent gaudiũ minimũ, quod ſancti habēt in cælo de vultu Dei. Auguſt. Tanta eſt iucunditas lucis æternæ, etiã ſi non liceret in ea ampliùs manere quàm vnius diei hora, propter hoc ſolũ innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis, & affluentia bonorum temporalium, rectè, meritóque cõtemnerentur. Quare ergo nõ ponũt homines hãc æternam cæleſtem lætitiam, & gloriam in cordibus ſuis, vt ſic iam hîc in iſta breui vita viuerent, vt ad eãdem quantocyus peruenirent? Certè hoc prouenit ex cæcitate ſpirituali. Quæ quidem cæcitas tribus modis naſcitur. Primò à puluere cupiditatis terrenæ. Secũdò ex igne carnalis concupiſcentiæ. Tertiò ex tumore ſuperbiæ. Plerumque etiam peccator; vel

ex

Digitized by Google

ex conſuetudine peccandi, vel ex obſtinatione mentis, vel ex ſuggeſtione diaboli, peccatum ſuum non videt, quia videre nõ vult, nec peccatum reputat peccatum. Vnde Gregorius: Cùm in graui peccato miſer labitur, ſuadet ei diabolus, ne pœniteat, ne confiteatur, peccatum leue & modicum in corde affirmat, miſericordiam prædicat, longum ſpatium vitæ promittit, vt permaneat in peccato ſuggerit, vt ſic eum in contemptum Dei, & deſperationem ſui inducat. Hæc ille. O ô ô, ſi talis miſerrimus peccator æternam gloriam cæleſtem, incogitabilem, quam perdet, attenderet, & intolerabiles pœnas, perpetuas, infernales, quarum magnitudinem nemo exprimere valet, quas perpetuò ſuſtinebit, pœnitere & confiteri indubiè non differret. De cuius pœnæ inferni magnitudine tale legitur exemplum: Quidam erat defunctus, ſed vitæ reſtitutus, ex his quæ viderat in inferno territus fugit ad eremũ, & fecit cellam iuxta fluuium, & veſtitus voluebat ſe, & inde exiens ſinebat veſtimenta ſua congelari, & poſteà balneum intrauit, & ſic egit vſque ad mortem. Et cùm à multis ſuper hoc argueretur, dixit: ſi vidiſſetis, quæ ego vidi, eadem certè, vel maiora his, nunc verè facere- *Gregor.*

Digitized by Google

tis. Si ergo illa cæli gaudia æterna poſſidere cupiunt ipſi ſæculi amatores, & æternas infernales euadere pœnas, audiāt Dominum eis dicentem : Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam. Babylon (ſecundùm Hieronymum) interpretatur domus confuſionis, & directè ſignificat iſtum mundum, vbi heu iam vbique terrarũ confuſio regnat, ſicut omnes cernimus in inuerecundo veſtitu, & multis aliis. Et ergo fuga de ſæculo validius eſt remediũ cõtra vitia, & peccata. Ad quā fugā hortatur nos Dominus in verbo allegato per prophetā Hieremiam. Quod quidē verbũ ſequitur ſanctus Bernardus, dicens: Fugite de Babylone, ſcilicet ſæculi, vbi caſtitas periclitatur in deliciis, humilitas in diuitiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequā ſæculo. Quò igitur fugiēdum eſt? Ad vitā religioſam, quæ tutior & ſalubrior eſt via, vt veriùs creditur & experimento quotidiano experitur. Fugiat ergo qui ſaluari deſiderat, vt pœnas intolerabiles, & horribiles declinet, & euadat. Et regnũ cælorum amœnum, & iucundum cum ſanctis electis, eorum meritis, & precibus poſſideat: quod nobis tribuere dignetur Ieſus Chriſtus in ſæcula ſublimi, & benedictus. Amen.

Hiere. 5. *Hieron.*

D.

Digitized by Google

D. DIONYSII CARTHVSIANI; DE GRAVITATE

& enormitate peccati, vtiliſſimum atque conſpicuum planè opuſculum.

Procœmium auctoris.

DEus ſolus eſt, & cogitationem eius nemo auertere poteſt. Idcirco, à facie eius turbatus ſum, & cōſiderās eum, timore ſolicitor. Quātò quis diuinæ æquitatis rigorem, ac propriæ conuerſationis peccata diligentiùs, clariúsque perpenderit, tantò vtique formidoloſior erit, non ignorans, quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis, qui per Moſem ait: Non eſt, qui de manu mea poſſit eruere. Vnde cogitationem eius nemo auertere poteſt, quoniam quidquid in ſeipſo ab æterno diſpoſuit, fieríque decreuit, nullus poterit impedire, prout ipſemet Deus glorioſus & ſanctus per prophetam teſtatur: Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Et rurſus: Qui ſimilis mei, & quis ſubſtinebit me, & quis eſt iſte paſtor, qui reſiſtat vultui meo? Ecce Deus magnus, Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in

Iob. 23. *Heb. 20.* *Deut. 32.* *Iob. 23.* *Eſai. 46.* *Hier. 49.* *Iob. 36.*

legiſlatoribus. Quis poterit ſcrutari vias eius, aut quis ei dicere poteſt, operatus es iniquitatem? Hinc itaq; inflexibilis dicitur Deus, non quòd placari non poſſit, vel eius prouidẽtia rebus neceſſitatẽ imponat, ſed quoniã inuariabilis, infallibilis, atq; certiſſima eſt diſpoſitio & præcognitio eius, nec per cõparationem ad diuinę mẽtis æternalem ac prouidẽtialem intuitũ quicquã caſuale eſt, ſiue fortuitum. Quo igitur diuinorum iudiciorum incõprehẽſibilẽ & imperſcrutabilẽ altitudinẽ, noſtræ quoq; cõditionis inexplicabilem fragilitatẽ, ac defectibilitatẽ, imo & noſtræ ſaluationis incertitudinẽ ſagaciùs cõtemplati fuerimus, eo merito humiliores, cautioréſq; erimus, magiſq́ue cuſtoditè, ac timoratè corã Deo altiſſimo incedemus. Ecce enim in medio vniuerſi (videlicet in terra hac inter regnum cæleſte, & chaos tartareũ) poſiti ſumus: & tamen poſt vitam hanc momentaneã, an ad regnũ cælorum aſcendemus, an in lacum inferi deſcẽdemus, penitus ignoramus. Quippe qui hoc quoq; prorſus neſcimus, an odio, an amore digni ſumus: cũ tamen certiſſimè cognoſcamus, ꝙ vel ad felicitatem ęternã cęlorũ, vel ad tormenta perpetua infernorũ tandẽ deducemur. O ſi cordis noſtri palatum hoc ipſum vt dignũ
eſt

Digitized by Google

eſt ſaperet, puto quòd nunquã ad inanẽ reſolueremur lætitiã: non ridere, non iocari, non ludere vſque placeret ſed flere, ac pœnitere, ita vt cum B. Iob veraciter fateremur, Sẽper quaſi tumẽtes ſuper me fluctus timui Deũ. Præinducta nẽpe profundè cõtẽplãs. Pſal. Venite, inquit, & videte opera Dei, terribilis in cõſiliis ſuper filios hominum. Paul. quoque Apoſt. O altitudo, ait, diuitiarum ſapientię, & ſciẽtię Dei, quã incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles vitæ eius! Ipſe eſt Dominus rex ille omnipotẽs, in cuius ditione cũcta ſunt poſita, qui ſolus eſt, ita vt eſſe eius tã infinitè omni eſſe creato præemineat, vt reſpectu ipſius alia vniuerſa quaſi nõ eſſe videãtur. Præterea, cùm in tanto ſimus cõſtituti periculo, quid nobis agendũ relinquitur, quid remedij exhibetur, niſi vt ea, per quæ Deus tã metuẽdus offenditur, tãq; infinibilis damnationis pœna infligitur (puta peccata) vigilãtiſſimo animo euitem⁹, quẽadmodũ nos monet ſcriptura dicẽs: Quaſi à facie colubri fuge peccata. Nulla nãq; nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Denique vt peccata deinceps cautiùs declinemus, primò de enormitate & nocumẽtis peccati, Deo agente, intẽdo cõſcribere pro animæ tuę excitatione, ac in-

Iob. 31. *Pſal.* 65. *Rom.* 11. *Eccl.* 27. *Grego.*

Digitized by Google

flãmatione, charorum chariſſime mi frater, optimæ indolis adoleſcens, quatenus peccati fœditate, ac vilitate perſpicaciter intellectis, tanta cum diligentia demùm fugias vitia, vt taliter merearis à creatore tuo præueniri, ac ordinari muneribus gratiæ, qualiter ab eodem præuentus, & decoratus es donis naturæ.

Quòd ſola peccata conſtituunt rationalem creaturam Deo diſplicentem, aſpernabilem, atque odibilem. ART. I.

QVemadmodum nihil deſiderabilius eſt, quàm Deo placere, atque ab eo amari, reputari, ſeu honorari, ſic deteſtabilius, terribilius, itemq; deterius nihil quam ei diſplicere, ab ipſo deſpici, ac odiri. Porrò ſicut virtutes, & actus earũ faciunt nos Deo vero placentes, honorabiles, & dilectos, ſic habitus vitioſi, & peccata reddunt nos Deo diſplicẽtes, contẽptibiles, odioſos. Ipſe etenim vniuerſitatis creator omnipotens, quãuis diligat cuncta, quantum ad id quod habent ab ipſo, videlicet quo ad eorũ eſſentiã, quam inceſſanter conſeruat in eſſe, iuxta id Sapient. Diligis Domine, omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quę feciſti, nihilominus rationales creaturas nõnullas odit, quantum ad id, quod habent, & ſunt ex propria voluntate, ſcilicet quo ad iniqui

Sapien. 2.

iniquitatē & culpā ipſorū, quemadmodum ait ſcriptura: Odioſunt Deo impius, & impietas eius. Item: Odiſti omnes, qui operātur iniquitatem, perdes omnes, qui loquūtur mendaciū. Quod autē deſpiciat eos, teſtatur qui ait, Spreuiſti omnes diſcedētes à iuſtitiis tuis, quia iniuſta cogitatio eorum. Et rurſus: Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo cōturbabit eos. Hoc equidem æquiſſimo Dei contingit iudicio, vt, qui Deum ſuperexaltatū ac ſuperdigniſſimū inhonorant atque cōtēnūt, propriā voluntatē præferētes diuinæ, deſpiciātur, ac deprimātur ab ipſo, prout ipſemet proteſtatur: Quicūque, inquiēs, glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Tales ſunt omnes impij & peruerſi, qui verbum Dei audire non curant, vel auditum adimplere omittunt. De quibus æterna, & increata dicit ſapientia: Quia vocaui, & renuiſtis, deſpexiſtis omne conſiliū meū, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cū vobis, quod timebatis, euenerit. Ecce, mi prædilecte, his verbis reprobatur illorum inſania, qui tardant conuerti, atque in fine vitæ, articulo mortis iam ingruente, pœni-

Sapien. 14.

Pſal. 5.

Pſ. 128.

1. Reg. 2.

Digitized by Google

tere,ac confiteri proponunt,nõ aduertẽtes quàm horribiliter Deus æternus iudex altiſſimus,cõminetur,& afferat ſe tales tẽpore mortis ſubſannaturũ ac irriſurũ. Deniq; ſicut S.Iob ait,in diẽ perditionis ſeruantur mali,& ad diẽ vltionis ducẽtur,& de furore omnipotentis bibent.Si itaq; cupis Deo placere,ſi vereris ab ipſo contẽni,odioque haberi:declina à malo, fuge peccata, vitia deteſtare,indeſinenter formida ſummo iudici diſplicere,qui poteſtatẽ habet, & corpus,& animã mittere in gehẽnã.Conſidera quãtũ,& quomodo filij huius ſęculi, principumq; miniſtri dominis ſuis placere nitũtur:quomodo deſpici metuunt,quãta agũt,vt laudẽ ſortiãtur volatilẽ,ac humanã. Vnde ſi inter filios Dei cõputari veraciter cupis,erubeſce minus conari ad cõplacẽdũ Deo & ad honorãdũ ac diligendũ ab ipſo, quàm illi pro humano ſtudent fauore.Poſtremò,ſicut ex naturaliter tibi indita probitate,humanitate, atq; facetia,decẽter,& morigeratè te habes corã hominibus foris,ſic multò ampliùs corã Deo reuerenter ac ordinatè te habe intrinſecus,imò intus, & foris. Si autẽ alicui viro honeſto loquuturus reuerẽter accedis,caput nudas,& verba tua vigilanter attendis, Deũ verò alloquuturus orando,pſallendo,horas canonicas

Iob. 22. *Matt.* 10.

cas perſoluendo, ſine reuerētia accedis, & inchoas, ſine attentione pronuncias: nonne nimium vilipendis, ac negligis Deū, hominéq; mortali, ac peccatore inferiorem efficis eum? Abſit à te tanta improbitas, tāta iniquitas, tāta peruerſitas. Hinc igitur ante *Eccle.18.* orationem, & laudē diuinā ad deuotionē te præpara: corpus quoque, & animā Deo ſu- *Eccle.7.* blimi, ac ſuperfelici humilia: exteriores etiam ſenſus, maximè viſum, tempore diuinorū præcipuè, fræna (in choro potiſſimū,) ſicq́ue coram aliis exemplarem te exhibe cum intima humilitate, abſq; omni penitus varietate ad gloriā Dei, ædificationémque proximi. Præterea ſi quis ſciſcitetur, cur peccata faciunt creaturam rationalem Deo tam diſplicentem, deſpectam, odibilē, dicēdum, quòd ideo, quoniam ſicut ſimilitudo ponitur cauſa amoris, & ratio vnionis: ſic diſſimilitudo aſſeritur odij, auerſionis, ſeparationiſq́ue cauſa. Vnumquodque autem creatum quantum de entitate, tantundem de bonitate, atque diuina ſimilitudine habet. Cùm ergo peccatum, cùm ad ſuum formale ſit nihil, & prorſus ruina, ac defectus ab eſſe (puta auerſio mentis creatæ à verò bono, & actionis deformitas,) innoteſcit ꝙ nullam cum Deo ſimilitudinem ſortiatur, ſed diſſimilitudinem maxi

maximã. Idcirco mẽtem creatã facit Deo odibilem, diſplicentem, deſpectã, & tanto quidem amplius, quo magis peccauerit.

Quòd tota moralis ſacræ ſcripturæ doctrina, ad peccati deuitationem quodammodo ordinatur.

ART. II.

1. Ioan. 2. IN prima ſua epiſtola ait Ioãnes Apoſtolus, Hæc ſcribo vobis, vt non peccetis.
Eſai. 27. Eſaias quoque dicit: Iſte eſt omnis fructus, vt auferatur peccatum. Itaque cõſtat, quòd puritas, ſeu immunitas à peccato ſit omnium documẽtorum ſcripturæ quodãmodo finis. Porrò in ſcriptura diuina commemorantur ſupplicia impijs infligenda, gaudia quoque iuſtis parata, vt tã ſuppliciorũ terrore, quàm gaudiorũ amore inducamur ad fugam, odiumq́ue peccati. Inſuper duæ ponuntur quaſi partes integrales iuſtitiæ, ſcilicet à peccato receſſus, & ad virtutẽ actualis acceſſus, ſeu operatiuus ingreſſus.
Pſal. 36. Vnde ait Pſal. Declina à malo, & fac bonũ. Primò quidem neceſſe eſt fugere vitia, deinde opera exercere virtutum. Verùm hęc duo ſe inuicem frequenter includunt. Duplicia nãque ſunt diuinę legis præcepta, vtpote affirmatiua, & negatiua. Affirmatiua autẽ obligant ſemper, ſed nõ ad ſemper, ſi-
Deut. 6. cut cùm dicitur in Deuter. Vnũ cole Deũ, parentes honora. Ad hæc enim ſemper tene

Digitized by Google

tenemur, nõ autem tenemur hæc pro omni tempore actualiter adimplere. Negatiua verò præcepta obligant ſemper, & ad ſẽper, vt cum dicitur in Exod. Nõ occides. nõ furaberis. Hæc enim præcepta iubẽt nõ facere malum, ſed declinare, ac fugere à peccato: Ad quod omnitẽpore obligamur. Exo. 20.
Quoniã itaque per pręcepta negatiua pręcipimur peccata vitare, peccatum autem vniuerſaliter vitare nequimus, niſi etiam debito tẽpore benè agamus, quemadmodum per pręcepta affirmatiua iubemur. Idcirco in præceptis vitãdi peccata includitur iuſſio benè agendi. Ad quæ quidẽ duo tendit tota ſacræ ſcripturæ doctrina. Abſolutè tamen loquẽdo, beatifica viſio Dei in patria eſt finis vitandi peccata, operãdíque bona. Præterea quoniam proni ſumus ad mala, pauperes, ac fragiles vehementer, imo & tardi ad bona, defectuoſique nimis, iuxta illud in Gen. Sẽſus, & cogitatio cordis humani proni ſunt ad malũ ab adoleſcẽtia ſua hinc quotidiana, frequẽti, ac mutua exhortatione ad vitandum peccata nõ mediocriter indigemus, ne per ſubreptionem, obliuionem, inaduertentiam, aut alio modo incidamus in peccatũ Propter quod ad Hebr. ſcribit apoſt. Adortemini voſmetipſos per ſingulos dies, vt non obduretur Geneſ. 8. Heb. 3.

retur

retur quis ex vobis fallacia peccati. Hæc quoque exhortatio imperfectis, ac inſipiẽtibus oppido neceſſaria eſt, & tanto cuique amplius opportuna, quanto plures habet occaſiones peccandi. Vnde & tibi, amãtiſſime mi, quàm maximè eã reor neceſſariã, qui in medio ſecularium conuerſaris. Inter quos tibi innumerabiles vitiorum occaſiones occurrũt, ac laquei. In quibus ſolus Deus te à peccatis potẽs eſt præſeruare.

Quòd grauitas, enormitásque peccati penſatur ex ſex, in generali loquendo. ART. III.

QVàm deteſtanda, enormia, fœda, ac vilia ſunt peccata, præſertim mortalia, ex ſex ritè perpenditur. Primò, & maximè, ex parte Dei, qui peccato inhonoratur, atque offenditur. Cuius quantò ſublimior eſt maieſtas, maiórque ſanctitas, tantò enormius eſt in eum peccare, ei nõ obedire,
Pſal. 118. ipsũ inhonorare. Ideò Pſal. loquitur Deo,
Pſal. 72. Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Et denuò: Qui elongant ſe à te, peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. Porrò cùm Deus æternus, ac adorandus, ſit omnino immenſæ maieſtatis, infinitæ ſanctitatis, æquitatis, & perfectionis, peccatum omne, inquantum contra ipſum, & eius præceptum committitur, infinitam quodammodo enormitatem, grauitatémque

Digitized by Google

que cõtrahit. Vnde Dominus loquitur impiis: Væ eis quoniam receſſerunt à me: vaſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me. Apud Hieremiam quoque ait ſcriptura, Scito, & vide, quoniã malum & amarum eſt te reliquiſſe Dominum Deũ tuum, nõ eſſe timorẽ eius apud te. Nempè, cùm Deus ſit fons totius ſalutis, omníſque nobilitatis ac ſuauitatis origo cauſalis: conſtat quòd mens creata ab ipſo auerſa, vera beatitudine ſpolietur, ſpiritali gratuita nobilitate priuetur, & omni ſyncere dulcedine denudetur. Idcirco miſera fit, ignobilis, & amara, & pauperrima reuera efficitur, vtpote omni ſpiritalium gratiarum opulentia deſtituta. Hinc dicitur peccatori impœnitenti, Neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, pauper, cæcus, & nudus? Secundò, idem perpẽditur ex qualitate peccãtis. Qui quidem quantò plus obligatur ad æquitatem, & quanta plura beneficia à Deo ſortitus eſt, vel quantò doctior, & ad benè agendũ potẽtior fuerit, tantò enormiora redduntur eius peccata. Tertiò ex parte materiæ, circa quam verſatur peccatum. Sicut grauius eſt furari, calicem quàm catinum, quamuis pretioſiorẽ: grauiúſque eſt peccare in perſonam hominis, quàm in eius ſubſtantiam: grauiſſima autem ſunt peccata

Oſee. 7.

Apoc. 3.

Digitized by Google

in Deum directè cõmiſſa, ſicut blaſphemia infidelitas, deſperatio. Quartò ex parte finis, quem peccans intẽdit. Quo enim peccantis finalis intentio deterior fuerit, eo grauius eſt peccatum. Quintò ex parte circunſtantiarum, videlicet loci, ac temporis. Sextò ex ipſa peccati deformitate ſecundùm ſe, & ex propria ratione Quæ itãtò eſt maior, ac turpior, quãtò virtus peccato oppoſita dignior eſt, & pulchrior. Vnde, ſicut amor Dei eſt virtus altiſſima, ſic odium Dei maximũ eſt vitiũ. Itaque ex omni parte multiplicatur, & creſcit peccati vilitas, fœditas, atq; enormitas. Ideò S. Gregor. ait,

Gregor. Si ſciremus qualiter per vnumquodq; peccatum vulneratur, & fœtet anima, vſque ad mortẽ reſiſteremus peccato: Et idem: Tolerabiliùs, inquit, fœtet caro putrida homini, quàm peccatrix anima Deo. Eia ergo, chariſſime, ſi coram ſancto, ac pręſtantiſſimo Deo viles, fœdi, deteſtabiles, atque ignobiles eſſe & apparere veremur, ac nolumus, ſi vultum creatoris noſtri à nobis auerti horremus, cum omni ſolicitudine, & puro affectu vitemus peccata. Quoniam vtique nulla mõſtroſitas, nulla læſio, nulla macula poteſt in tãtum corpus humanum deturpare, inficere, deordinare, vel coram hominum corporeo viſu tam deteſtabile,

ac

Digitized by Google

ac deforme oſtendere, quantũ quocunque peccato mortali anima rationalis deformatur, vilificatur, inficitur, corámque oculis mentis diuinæ, & angelorum ſanctorum turpis, ac deteſtabilis exhibetur. Nam & diabolo ſimilis redditur, atque à fonte lucis auerſa, tenebris peruerſitatis impletur.

Quid ſit peccatum. ART. IV.

TEſte ſancto Ambroſio, peccatum eſt præuaricatio legis diuinę, & cęleſtiũ inobedientia mandatorum. Porrò ſecundùm Auguſt. Peccatum eſt, ſpreto incommutabili bono, rebus mutabilib. adhærere. Et iterum: Peccatum, inquit, eſt volũtas retinendi, vel conſequendi, quod vetat iuſtitia. Itaque peccatũ eſt diuini præcepti trãſgreſſio, vtpote, id quod De⁹ prohibet agere, vel quod iubet omittere. Vnde contra diuinam legem cogitare, deſiderare, loqui, aut operari, peccatũ eſt. Duo autem conſiderãtur in peccanto Vnũ quaſi formale, videlicet auerſio mentis à ſummo & incommutabili bono Et hoc eſt in peccato principale, aliud quaſi materia, puta cõuerſio mentis ad bonũ creatũ variabile, & caducum: Hinc duo mala correſpondent peccato. Nam quo ad formale eius, correſpondet ei pœna damni, quæ eſt diuinę viſionis carentia, ac ſumma miſeria. Sed quo ad

Digitized by Google

materiale peccati, correſpondet ei pœna ſenſus videlicet ſenſibilis pœna inferni, quæ eſt punitio ignis æterni. Præterea ſecundũ diuinum Dionyſium: Peccatum eſt receſſus ab ordine, id eſt, à cõuenientia, ac debita habitudine, qua mẽs creata ſuo creatori adhærere debet, ac ſubijci. Id namque rectùs exigit ordo, vt inferius ſuo ſuperiori ſubdatur: vt effectus ad ſuam cauſam conuertatur, vt creatura intellectualis ſuo creatori, vt beatificãti principio, innitatur. Hoc totum peccato ſubuertitur. Quia per ipſum mens creata ſuo conditori rebellis eſt, eique quaſi dorſum in faciẽ vertit, nec eius auxilio eſt innitens, ſed in viribus ſuis cõfidens. Inſuper peccatum eſt, propriã voluntatẽ præferre diuinæ, & propriã libertatẽ iuxta diuinę legis tenorẽ non refrẹnare. Vnde in omni peccato mortali peccãs cõſtituit ſibi finem in bono creato caduco, cui inordinatè afficitur, & vitiosè adhęret, vtpote plus quàm Deo quia contra voluntatẽ & legẽ ipſius. Hoc verè directè repugnat charitati diuinæ, qua Deum ſuper oĩa diligere, eique cõformari, affici, & inhærere debemus. Itémque iuſtitiæ, qua diuinis præceptis præ omnibus obedire tenemur. Et propterea ſecundũ doctores, quicquid directè repugnat charitati, qua Deus, proximus

ximúſque diligitur,ſiue iuſtitiæ, eſt ex ſuo genere peccatum mortale Denique Deo, & eccleſiæ rectęque rationi pariformiter eſt parendum. Qui ergo præcepta eccleſię nõ cuſtodit,aut rectæ rationi nõ acquieſcit in iuſſis ac debitis,mortaliter peccat, vt is, qui diuina præcepta nõ ſeruat.Itaque peccatum eſt diuinæ bonitatis cõtẽptus, diuinæ maieſtatis iniuria,diuinæ ſanctitatis offenſio,cõtra diuinam voluntatem rebellio, diuinæ ſapiẽtiæ derelictio,diuinorũ beneficiorum ingratitudo, peruerſę ac propriæ voluntatis impletio,rationis ſeductio,infectio animæ,vulneratio viriũ eius, turpitudoq́ue mentis, peremptio gratiæ , ablatio charitatis infuſæ, laqueus mortis, via damnationis,porta inferni,rete diaboli, imitatio dęmonũ,deteſtatio angelorum,peſſima fera,crudeliſſima beſtia, sũma malitia, prauitas pura , deformitas maxima , monſtruoſitas quoque turpiſſima, atque æterna illius felicitatis amiſſio deploranda. Poſtremò peccatũ eſt id, quod maximè diſplicet Deo,quod ſummè placet diabolo,quod po tiſſimũ nocet cordi humano Ecce vides mi prædilecte, quã odiẽdum atq; vitãdum ſit peccatũ, imo plus quã aliquis noſtrum cõprehẽdere valet,aut eloqui, odiendum eſt, & iugiter fugiendũ. Inceſſabiliter ergo ac

fortiter valdè armemus nos,& dimicemus contra hoc malum,cõtra tam peſſimũ hoſtem,contra tã mortiferam læſionẽ. Porrò arma noſtra ſunt ipſæ virtutes, & dimicatio noſtra ſunt actus virtutum, præſertim Dei laudatio atq; oratio, quẽadmodũ ſcri-
Pſal. 17. ptum eſt, Laudans inuocabo dominũ,& ab inimicis meis ſaluus ero. Item diligẽs cordis cuſtodia, eſt diuinã præſentiam cõſiderare, ſeipsũ in omnibus humiliare, in Deo tota mente ſperare, Deum ſemper timere.

De enormitate peccati ex parte bonitatis diuinæ, cui peccator peccando præfert bonum caducum, atque mutabile. ART. V.

SIcut quarto de diuinis nominibus capitulo egregius ille theologorum princeps Diuus Dionyſius edocet, Dei natura eſt bonitas, haud dubium quin pura, perfecta & infinita. Porrò natura entis nõ poteſt in ipſo eſſe minorata, ſicut in ſumma contra gentiles Thomas eleganter deducit. idcirco quicquid ad bonitatis plenitudinem, deſiderabilitatẽ, excellentiã pertinet, id diuinæ, & increatę bonitati cũ infinita perfectione: atque immẽſa & ſuperprę ſtantiſſima elegantia competit. Vnde Deus ſuperuoluptuoſiſſimus & æternus, eſt ſummum ſuperexaltatum, & incõparabile bonum, in quo eſt vniuerſorũ bonorum, omniũmque pu

Digitized by Google

pulchrorũ,ac deſiderabiliũ incircunſcripti bilis plenitudo, incomprehenſibilis,& ſuperessentialis perfectio , à cuius bonitate, amabilitate , ac deſiderabilitate infinitum prorſus deficiunt omniũ rerũ creatarum bonitates,diligibilitates,& appetibilitates. Cùm talis & tanta ſit bonitas Dei, nónne irrationabiliſſimum, atque inſaniſſimæ prorſus eſt ſtultitiæ , aliquam bonitatẽ ſeu rem creatam,variabilem & caducam ei præferre,hanc plus amando,quærendo,optando,honorãdo ſiue colendo,quàm illã, quæ eſt omnis boni idea, exẽplar & ratio? Sed,vt dictũ eſt,in peccato mortali bonũ creatum,mutabile,dependens & indigens, bono diuino immenſo independenti, ſimpliciterq; perfecto præfertur per inhæſionẽ finalẽ,& ampliorẽ affectionem fortiorémque conuerſionẽ mentis ad hoc bonũ creatum.Itaque ex hac parte peccati enormis magna profectò eſt , & penè ineffabilis, & ipſe peccator inexplicabilem inhonorationẽ,atque iniuriam infert ſuperbono , ſuperamabili & ſuper appetibili Deo,cuius bonitatem in tantũ parui pendit, ſpernit & abiicit, vt præferat ei bona iſta terrena,caduca, mundana , vaniſſima. Iam nunc profundè,ac ſapienter conſidera iſta, mi prædilectiſſime frater , & reſpice

quã vanæ, peruerſæ, fœdę, viles, atq; ſtultiſſimæ ſint mentes eorũ, quæ vitiis, gulæ, & luxuriæ vacant. Quoniã alimenta iſta carnalia, carnẽque mox moriturã, fœtentẽ, & ſordibus intus repletam, ſupermundiſſimæ diuinitati & ſuperinfinitæ bonitati creatoris ſui præferunt, prædiligunt, præhonorant. Pariformiter infelices, viles, vani inſipiẽtiſſimíque cẽſendi ſunt auari, qui argentum & aurum, terrã albã & rubeã, quæ non ſunt niſi quædã peritura metalla, Deo præponũt, qui domum, agrum, ceteráſque terrenas diuitias ſalutẽ potiùs impediẽtes quàm promouentes, ſuperopulentiſſimo bonorum omnũ fonti ſummo, ac feliciſſimo pręferũt Deo primo, vero, adorãdóque bono, infinitis diuitiis pleno. Similiter vani, inſenſati atque miſerrimi ſunt ſuperbi, ambitioſi humani honoris, trãſitoriæ laudis, inanis gloriæ cupidi, qui propriam laudẽ, venerationem ac gloriã, honori, laudi, & gloriæ Dei ſublimis, & benedicti præponere non verentur, qui hoc, quod ſoli ſancto, ſummo, immortalíque debetur, ſibi qui ſint vitioſiſſimi, & ſtatim vtique morituri, volũt, cupiũntque impendi. Vnde fures ſunt diuini honoris, & item ſacrilegi, omni confuſione, atque æterna dãnatione digniſſimi. Hinc ergo, mi chare, ad hoc bonum

bonum æternum, diuinum, immenſum, ſẽper ſit cor tuum conuerſum, eius honorẽ, & gloriã ſemper deſidera, ipſum præ omnib. ama, cole & honora, & contra eius honorẽ, amorem & cultũ, nil terrenum, nil caducum, nil mundanum, aut vanum digneris aſpicere, amare, requirere, vel tenere, vtverè & dignè pſallas cum ſancto: Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meũ. Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus, & ſuſceptor meus, nõ mouebor ampliùs. Et quod rurſus ibidẽ Pſalmiſta dicit, In Deo ſalutare meum & gloria mea: Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt. In ipſo omne bonũ copioſiſſimè inuenis. Si poteſtatẽ deſideras, omnipotẽs eſt: Si ſapientiã quæris, ſapiẽtię eius nõ eſt numerus: Si pulchritudinẽ appetis, pulchritudinis nullus eſt finis: Si delicias cupis, delectationes in dextera eius vſq; in finẽ: Si honorẽ, laudẽ, gloriã affectas, ipſe glorificantes ſe glorificat in æternum. Denique diligentes ſe diligit, timentes ſe exaudit, ſperantes in ſe ſaluat. Quemadmodum autem peccatum mortale charitati diuinæ omninò repugnat, eáque tollit, ſic veniale diuinæ charitatis feruori ac perfectioni aduerſatur. Ne ergo in nobis amor Dei tepeſcat, aut minoretur, etiã venialia diligentiſſimè

Pſal. 61.

Gen. 17.

Pſa. 146.

1. Reg. 2.

Digitized by Google

quantũ fieri poteſt, vitemus, deploremus & emendemus, quatenus in diuinitatis ſancto amore quotidie feruentiores efficiamur. At verò ſicut, iuxta inducta, mortale peccatum cõmittitur, dum creaturę magis quàm creatori inhæretur, ſic veniale peccatum incurrimus, dum rei creatæ inordinatò afficimus tamen citra Deum.

De enormitate peccati ex parte maieſtatis, & auctoritatis diuinæ, quæ in peccato inhonoratur. ART. VI.

QVantò is, in quem peccatur, maioris eſt dignitatis, ſublimioris auctoritatis, eminentioriſque maieſtatis, tantò peccatum reputatur enormius. Vt ſi quis offendat epiſcopum, grauius eſt quàm ſi peccet in ſimplicem ſacerdotē. Cùm igitur Deus (contra cuius legem, & contra quem omne peccatum mortale committitur) ſit prorſus infinitæ maieſtatis, incomparabilis dignitatis, ſuperaltiſſimæ auctoritatis: certiſſimè innoteſcit, quòd peccatũ ex hac parte ſit quodammodo infinitæ enormitatis. atque incomparabiliter grauius omni offenſa in puram creaturam (vt in talem,) cõmiſſa. Rurſus quãtò preceptor ac legiſlator fuerit maior atque ſublimior, tantò
Pſa 49. enormius iudicatur, eius iuſſionibus non
Pſa. 135 obedire, eius mandata negligere: Cũ ergo
præce

prçceptor, ac legifer noſter ſit Deus Deorũ, Dominus Dominorum, rex regum, & princeps vniuerſorum. Cui (ſicut ſcriptum eſt) nullus ſimilis eſt in legiſlatoribus. De quo itẽ legitur, Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter: conſtat quòd ſicut ipſe eſt incomparabilis ſublimitatis, atq; incircunſcriptibilis maieſtatis, ſic eius præceptis non obedire, ea parui pendere, diſſimulare, negligere, ſit incomparabilis, & quaſi immenſæ enormitatis, peruerſitatis & impietatis. Nempè ſi graue, ac nimis iniquum eſt, patri carnali, mortali, & peccatori, non obedire, non acquieſcere, non deferre honorem, nonne impijſſimum eſt patri ſpirituum, creatori æterno, ſancto, omnipotenti, immortaliq; Deo non obedire, acquieſcere & deferre? Ipſę equidem eſt ille magnus Dominus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis (id eſt, perfectionis, dignitatis & glorię) nõ eſt finis. Quem ipſe quoque Porphyrius magnus Platonicus appellat regem ac patrem Deorum, quem & ipſa numina perhorreſcunt. Quod in libr. de ciuit. Dei Auguſt. à Porphyrio dictum frequẽter cõmemorat. Denique cũ lex euãgelica ab ipſo Dei vnigenito filio, vero vtique Deo, immediatè collata eſt, iuſſa atque propoſita, cõſtat eã

Iob. 16.
Eſaia 33.
Pſal. 44

diligentiſſimè obſeruandam, ita vt multò enormius ſit eam præuaricari, quàm fuerat olim legẽ Moſi tranſgredi, quę à Deo propoſita eſt populo, mediantibus angelo, ac Moſe. Hinc quippe ad Hebræos ait Apoſtolus: Irritã quis faciens legem Moſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quãtò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinẽ teſtamẽti pollutũ duxerit, & ſpiritui gratiæ contumeliã fecerit? Prætereà poſt cœnam illam ſanctiſſimam, Christus paſſioni iam proximus, in ipſa no-
Ioan. 14. cte, qua tradebatur, inter cętera dixit Apo-
Hebr. 1. ſtolis: Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum nõ haberẽt. Quoniã ergo Chriſtus Dominus rex Meſſias iã venit, atque in propria perſona loquutus eſt patribus noſtris, & nobis per ipſos, enitamur ei in omnibus obedire, alioquin peccata noſtra erũt vehemẽter enormia. Heu quare negligimus? cur inerti torpore deprimimur? cur vitiorum ſopore tabeſcimus? Iſta, mi amantiſſime, profundè conſidera, vigilanter perpende, iugiter intuere, & ſuperexaltati illius, vniuerſorum dominatoris offenſam abhorre, inhonorationem deuita, mandata cuſtodi. Ipſe enim, cui, te-
Eſa. 46. ſte ſcriptura, exercitus cœli cũ reuerentia-
li

Digitized by Google

li timore aſſiſtit, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, ſub quo curuantur, qui portãt orbẽ, ad cuius nutũ colũnæ cæli cõtremiſcũt, & pauẽt. Ecce enim cælũ, & cęli cęlorũ, abyſſus, vniuerſáque terra, & omnia, quæ in eis ſunt, in cõſpectu Dei cõmouebũtur, & tamen inſenſatum cor hominis non formidat, & eius offenſam non metuit, qui nullũ peccatũ relinquit inultum, ac pro vno mortali pecato ęternũ infligit tormentũ.

De enormitate peccati ex parte ſanctitatis atque iuſtitiæ mentis diuinæ.

ART. VII

CONſtat omni menti benè diſpoſitæ peccati labem tantò ampliùs diſplicere, quantò fuerit ipſa ſanctior, magíſque iuſta. Quoniam ergo mens diuina, ſumma, adoranda, eſt puritatis, æquitatis, & ſanctitatis penitus infinitæ, imò puritas ſupereſſentialis, immenſa, ſanctitas idealis, in ſe ſubſiſtens, incircunſcripta, æquitas exemplaris, fontana, certũ quòd ipſa peccati deformitatem, impuritatem, & maculam infinito deteſtetur odiátque abominatu, ac odio, prout Moſes loquitur: Auerſatur Dominus omnem impietatem. Hinc igitur ſortitur peccatum tortuoſiſſimam atque grauiſſimam enormitatem, quod eſt contra diuinæ mentis supermundiſſimam

ſimã ſanctitatem, & interminabilẽ eius iuſtitiã, ipſe quoque peccator, qui id amat, eligit, agit, amplectitur, continet, quod Deus vſque adeò odit, reprobat, ac repellit, infinitam quodammodo deformitatẽ, diſplicentiámque Dei immenſam incurrit. Denique quo Deus eſt ſanctior, ac iuſtior: eo peccati turpitudo atque deformitas ei eſt diſſimilior. Eſt autẽ Deus (vt dictũ eſt) ſanctitatis atque iuſtitię perfectionaliter illuminatę. Idcirco peccatũ mortale infinitam diſſimilitudinẽ habet à puritate ſanctitatis, & rectitudine æquitatis Dei altiſſimi. Hinc quoq; in infinitũ elõgata à Deo, quia vt nono de ciuitate Dei fert Auguſt. Nulla eſt à Deo alia lõginquitas, quàm eius diſſimilitudo. Cúmque diſſimilitudo cauſa ſit diſplicentiæ, auerſionis, ac odij, peccatum mortale æternam, ac infinitã meretur diſplicẽtiam, auerſionem, & odium Dei. Ideò æternam meretur damnationem. Vnde in infinitũ dicitur grauius veniali peccato. Prætereà quo fuerit aliquid alicui magis naturale placitum atque cõueniens, eo illius oppoſitum eſt illi magis contrarium, diſconueniens, ac diſplicens. Sanctitas autem Deo glorioſo, ac ſummo intãtum eſt naturalis, quòd ipſe eſt ſubſtantialiter ſanctus, non per aliquod addimẽtum, ita vt idem

idẽ omnino ſit illi eſſe, & ſanctũ eſſe, in tãtũ vt eius ſanctitas eius ſit eſſentia. Et eius eſſentia eſt ſanctitas ſupermũdiſſima, ſimpliciſſima, ſimpliciterque perfecta omnis virtutis, ac puritatis primordialis, finalis, & honorabiliſſima ratio. Sanctitas quoque eſt Deo cõuenientiſſima, & maximè placita: ipſe nãque ſanctimoniã requirit, ac diligit, & ſanctitati dignè, iugiterq; intentos ſibi familiares, intimos, atque chariſſimos efficit. Eluceſcit ergo quàm peccati impuritas ſit Deo in infinitũ cõtraria, diſconueniẽs, & diſplicẽs. Ideò cãtat Pſalmiſta: Manè adſtabo tibi, & videbo quoniã nõ Deus volẽs iniquitatẽ tu es: neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebũt iniuſti ante oculos tuos. Simile argumẽtum eſt de peccati enormitate ex cõſideratione diuinę iuſtitię, quę prorſus immẽſa eſt, omniſque rectitudinis virtuoſę, infallibilis regula, inflexibiliſque mẽſura, quoniã iuſt⁹ Domin⁹, & iuſtitias dilexit, æquitatẽ videt vultus eius. De quo alibi legitur: Magna, & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotẽs, iuſtę & verę ſunt omnes vię tuę, rex ſanctorũ. Quis nõ timebit te, & magnificabit nomẽ tuũ? Itaq;, quo in æquitate, & ſanctitate amplius creſcimus, eo creatori, ſaluatori, & iudici noſtro ſimiliores & char

Pſal. 10.

Apo. 15.

chariores efficimur. Quo autem vitijs plus fœdamur, ac vincimur, tanto diſſimiliores ei, odibilioréſque inuenimur, qui ad hoc venit per incarnationis myſterium in hunc mundũ, vt ſeruiamus ei in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Qui etiã ineffabili charitate atque pijſſima dignatione, ad ſuę ſanctitatis imitationem nos inuitat dicendo: Noli contaminare animas veſtras. Ego enim ſum ſanctus Dominus Deus veſter. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Ecce, mi prędilecte ſi iſtą profundè, frequẽter, ſtabiliterque perpenderis, puto quòd vtique peccati fœditatẽ, immunditiam, enormitatem odies, ac vitabis. Ad confeſſionẽ quoque ſacramentalem, (in qua ſecundùm ſcripturas omnia lauãtur) frequentiùs feſtinabis, inſuper in præſentia superſanctiſſimi Dei, & coram oculis ſuæ immẽſæ iuſtitiæ iuſtiùs, ſanctiùs, atque ſynceriùs conuerſari conaberis.

Luc. 1.

Leui. 11.

De enormitate peccati ex conſideratione charitatis diuinæ, qua Deus præuenit, prædilexitque nos. ART. V 188

PRætereà, quo quis alium in dilectione liberaliùs, copioſiùsque præuenerit, eo decentiùs ac iuſtiùs eſt eum cordialiter redamare, & eo peruerſiùs quoque eum non redamare: peruerſiſſimũ verò eſt etiã eum odire,

odire, abijcere, ſpernere, ſeq; ab ipſo prorſus auertere, præſertim ſi conſtet dilecto, à diligente ita ſe diligi. Itaque, vt iniquitatũ noſtrarũ abominãdas ac maledictas malitias efficaciùs atque ſynceriùs cognoſcamus, diligentiſſimè cõtẽplemur, quãtum, & qualiter Deus noſter dulcis & rectus præuenerit nos in amore, nec tãtùm in amore, ſed in amore liberaliſſimo, merè gratuito, puriſsimo, æterno, digniſsimo. Et quidẽ in primis, hoc certũ eſt, quòd nullus amator creatus tantopere nos dilexit, aut diligat, etiã nec parentes, vt Deus noſter ſuauis, & mitis. Nẽpe ex ſuo æternali, ac præueniẽte nos amore, cùm nihil eſſemus, creauit nos, imò ad ſuiipſius imaginẽ, ſimilitudinémque plaſmauit nos. Diuinus etenim amor non reliquit Deũ ſine germine eſſe: Inſuper non duntaxàt naturalibus donis, ſed ſupernaturalibus quoque muneribus noſtram naturam multiformiter decorauit. Nam & protoplaſtos noſtros parentes in originali iuſtitia, condidit, in paradiſo cõſtituit, cunctis huius mundi viuentibus prætulit, eóque, ſi nõ peccaſſẽt, de paradiſo ad regnum tranſtuliſſet cæleſte ſine media morte. Quo totum poſteritati eorum cõferre diſpoſuit, niſi illi egiſſent iniquè. Vnde quãuis tot tãtiſq; bonis ſimus priuati, nihilominus

Gen. 1.

Sapien. 2.

Gen. 2.

minus

minus Deum ſic amare debemus, ac ſi eis non priuati eſſemus, quoniam non ex parte Dei priuatio contingit. Prætereà quoniã proprius amoris effectus eſt vnio, itémque cõmunio: amor quippe amato nectit amãtem, & bona amãtis cõmunia facit amato. Si ergo ritè ac dignè optamus agnoſcere, qualiter nos Deus noſter dilexerit: intueamur qualiter ipſe ſe nobis, ac noſtræ naturæ coniunxerit. Ecce etenim nónne ipſe vnigenitus Dei, Deo patre volente, & ſpiritu ſancto cooperante, noſtrã naturã ſuę diuinitati vniuit vnione hypoſtatica, immediata, ſumma, ac intima, qua maior, aut dignior eſſe nequiuit? Quoniã ergo tã ſummè, ac intimè ſe noſtræ naturæ coniunxit, cõſtat quã ſummè nos præamauit, præſertim, quoniam in natura aſſumpta nobiſcũ tanto tempore conuerſari dignatus eſt. Sed & ipſe pater æternus ſic dilexit nos, vt filiũ ſuũ vnigenitũ daret, vt ait Euãgeliſta Ioãnes. Qui rurſus hortatur in prima ſua epiſtola? Chariſsimi, diligamus Deũ, quoniam ipſe prior dilexit nos. Inſuper mentes noſtras inceſtanter ſibi cõiungit per ſupernaturalia dona, videlicet gratiam gratũ facientem, per actualẽ ſpiritus ſancti motionẽ, per fidẽ, ſpẽ, charitatẽ, cęteráſque virtutes infuſas, & actus earũ. Prætereа Deus noſter

ſter omnia ſua, imo ſeipſum nobis cõmunicare paratus eſt. Nã oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cõprehendere valet, quæ Deus ſuis electis parauit. Etenim ſeipſum præparauit eis in præmiũ, quia ad ſuiipſius feliciſſimam viſionem atque dulciſſimã fruitionem creauit. Et hæc eſt liberaliſſima Dei dilectio: quòd dando nobis ſua dona, ſimul cum ipſis donis largitur nobis ſeipſum, vt ipſum verè æternaliter atque feliciter habeamus poſſideamus, inſpiciamus, fruamur. Poſtremò in tãtũ nos diligit, vt per Salomonẽ teſtatus ſit: Delitię meæ, eſſe cum filiis hominũ Nunc ergo, chariſſime mi, ſapiẽter intende quàm enorme, peruerſum ac indecẽs ſit hunc talem ac tantum amatorem non redamare, negligere, offendere, paruipẽdere, ſpernere, aut odiſſe. Qui autẽ peccat, vult vtique, quod Deus nõ vult, & quod Deus vult, ipſe nõ vult. Non ergo veraciter diligit Deum, quoniam amicorũ eſt, eadẽ velle, & nolle. Spernit quoque vilipẽditq; Deũ cuius prę-cepta non curat. Et ita ſe prorſus ab ipſo auertit, & tam ſuper clementiſſimo, munificẽtiſſimo, ac ſuperlatiſſimo amatori nullam rependit vicẽ, ſed pro bonis retribuit mala, & odiũ pro amore: Deũ quoque, qui ſe tam familiarẽ exhibuit ſibi, contemnit.

Eſai. 64.

Prou. 8.

Hinc itaq; prędilecte, Deũ ſyncerè ac intimè diligamus, toto cordis ardore feramur in ipſum, noſtrũ affectũ ſuæ superſanctiſsimæ volũtati ſemper in omnibus cõformemus: quod ipſe odit, odiamus, & omnę bonum & honeſtum iugiter amplectamur.

De enormitate peccati ex parte beneficiorum Dei. ART. IX.

PAlã eſt ingratitudinẽ diuino atque humano iudicio plurimũ reprobari. Quo autem quis alteri plura, ac potiora beneficia dederit, tãto iniquius eſt vicem nõ repẽdere, ingratũ eſſe, & immemorẽ: iniquiſſimũ verò eſt, etiã mala pro bonis exhibere. Inſuper quantò beneficia benefactoris diutiùs cõtinuantur, frequẽtiùs iterãtur, liberaliùs multiplicãtur, quo etiam benefactor fuerit altior, atque dignior, beneficiatus inferior, tãtò amplior debet gratitudo adeſſe, grauiúsq; peccatũ cómittitur, dum beneficiatus benefactori ingratus ſeu inobediens reperitur. Vt igitur noſtrę ingratitudinis & inobedientiæ ac peccati malignitas, & itẽ peruerſitas clariùs pateãt, cordialiùs defleantur, ſolicitiùs emendẽtur, ac caueãtur, pẽſemus munificentiã & beneficia Dei noſtri apud nos. Et quidẽ in primis ipſe fecit nos, & non ipſi nos: quicquid habemus, & ſumus, ex ipſo proceſsit, atque

ſuſce

Digitized by Google

ſuſcepimus corpus, & omnia membra eius animã quoque rationalẽ, & vniuerſas eius potẽtias. Si vnũ nobis mẽbrum aut potẽtia animæ vna deeſſet, puta pes, manus, oculus, aut voluntas, quãtum cõtriſtaremur, quantũ eũ amaremus, cuius pietate, & ope recuperaretur & redderetur nobis quod defuit? Cur igitur Deũ liberaliſſimũ, & beneficentiſſimũ non amamus? cur ei gratias non agimus, cur inobediẽtes, peruerſi, atq; ingrati eſſe nõ veremur, qui nobis omnia nunc præfata ab exordio noſtræ generationis largitus eſt ſine meritis noſtris, ac precibus? Nonne ipſum eſſe omnibus eſt naturaliter amabile (prout de ciuitate Dei pulchrè diſſerit Augu.) Porrò à Deo eſſe, viuere, ſentire, moueri, ratiocinari, & liberũ eſſe, communicata ſunt nobis, à conceptionis noſtræ initio vſque in præſens ab innumerabilibus periculis nos præſeruauit, angelũ ſanctum vnicuique pro cuſtode delegauit continuò, ad ſacrũ nos baptiſma perduxit, in baptiſmo ab omni nos peccato purgauit, gratia, atque virtutibus perornauit, peccantibus nobis exuberanti pietate pepercit, huculque conuerſionem noſtram præſtolari dignatus eſt, & nõ dubium, quin iam multos de ſæculo iſto tulit, æternaliterque damnauit, qui minus

pecauerũt quã nos, & tamẽ adhuc iugiter emendationẽ noſtrã incõprehenſibili expectauit clemẽtia. Nunquid parua, aut paruipendẽda ſunt beneficia iſta? Nõne Deus inceſſanter benefacit, ac ſubuenit nobis? Ipſe equidẽ in eſſe cõſeruat nos, & omnia quæ habemus. Ipſe nos veſtit, ac paſcit quotidie, pœnitẽtibus mox indulget, gratiã quoque amiſſã, & virtutes retribuit: ad bona aliqua nos quotidie excitat, ac deducit, per ſacrã ſcripturã omni tempore nos informat. Inſuper æternã, ſupernaturalem, pleniſſimámque beatitudinẽ nobis ſpopõdit ac præparauit. Ecce mi amantiſſime, quãta peruerſitas, ingratitudo, enormitas eſt, hũc ſuperſublimẽ, affluentiſſimũ, indeficientiſſimum, ſuperbonũ benefactorem offendere, abiicere, nõ curare, non cõſiderare? Ad hæc cõuenit te vigilanter perpendere ſingularia beneficia tibi à tuo creatore collata, qui te donis naturæ non mediocriter decorauit in corpore, atque in anima. Etenim cũ (iuxta Aug. de Ciui. Dei.) ingenioſum naſci, felicitatis ſit, & teſte eodem, corporis pulchritudo, & facundia, dona Dei ſunt, quamuis his plurimi abutantur: ad quantam gratiarũ actionem ac obedientiam obligatus ſis Deo, prudenter perpende, non inaniter gloriando, vel te alicui

alicui præferẽdo,aut aliquem aſpernando: ſed peccata tua ampliùs aggrauando, exuberantiùs deplãgendo,demumq́; ſolicitiùs præcauẽdo, diuinũ quoq; iudicium vehementer timendo:quoniam, ſicut Chriſtus proteſtatur,Cui multum datum eſt, multũ quęretur ab eo. Imo quo tibi plura à Deo bona perpendis collata, eo in eius amore ampliùs debes accendi, perfectiùs ſubdi, gratior,atq; humilior inueniri.Ecce habes à Deo dona naturæ,bona fortunæ, fructus eccleſiæ,nónne ergo magna, & grauia nimis ſunt tua peccata & præſertim,quæ nõ proueniunt ex infirmitate humana, aut ignorantia,ſed quæ noſti eſſe illicita? Vide igitur,quã Deo de omnibus his redditurus ſis rationẽ:poſtremò enormitas peccatorũ noſtrorum vehementiſſimè aggrauatur ex parte beneficiorũ Chriſti,puta eorum omniũ,quę pro noſtra ſalute ipſe aſſumpſit,fecit, & paſſus eſt. Nónne etenim infinita eſt noſtra peruerſitas, ingratitudo, impietas. dũ vnigenitũ filium Dei inhonoramus,relinquimus,ſpernimus, qui pro noſtra liberatione ſeipſum tam ineffabiliter exinaniuit,diuinitatis ſuę altitudinẽ vſq; ad noſtrę naturæ paruitatem miſericordiſſimè inclinauit:qui inter homines tot annis conuerſari dignatus eſt:in tanta humilitate, pau- *Luc.12.*

Digitized by Google

pertate, patientia, tribulationibus, perſequutionibus, tentamentis: qui ieiunando, diſcurrendo, prædicando, orando, tantum
Mat 26. pro noſtra laborauit ſalute, qui (vt Matt. refert) in cœna nouiſſima corpus ſuum, & ſanguinem dedit ineffabili charitate diſcipulis, nobíſque quotidie dignãtiſſimè tribuit: qui poſtremò acerbiſſimã atque turpiſſimam pro nobis pertulit mortem, tanta quoque pro noſtra conuerſione ad fidem & gratiam fecit per ſanctos apoſtolos, alióſque electos miracula. Adhuc autem quò quis alium plus honorat, eò iniquius eſt, eũ non rehonorare, imo prauiſſimũ eſt, eum etiam inhonorare, præſertim ſi auctoritate, & virtute præſtantior ſit. Quoniam igitur per præmemorata beneficia, tam naturalia quàm ſupernaturalia, præcipuè per verbi incarnationem, & humanitatis ſuæ glorificationem, Deus genus humanum tam inexplicabiliter honorauit, nóſque vermiculos vocare dignatus eſt, imo & fecit filios ſuos, hęredes, atque amicos, inſuper ad ſummi cæli digniſſimam aulam, angelicæ quoque beatitudinis æqualitatẽ prouehere repromiſit: nonne ineffabiliter enormia ſunt noſtra peccata, quibus Deũ tam benigniſſimũ inhonoramus, offendimus, aſpernamur, qui etiam quoſ

Digitized by Google

quoſdã hominũ præelectorum tam excellentiſsima ſanctitate, poteſtate, & gratia adornauit? Nunc itaque prædilecte, Deum in omnibus toto cordis zelo colamus, ac veneremur: & quicquid valemus ad eius reuerẽtiam peragamus: nec tamen aliquid dignũ nos agere arbitremur, ſed quòd plus facere non valemus, cordialiter doleamus: quoniam ſicut ipſe eſt immenſæ maieſtatis, ita eſt infinita reuerentia dignus.

De enormitate peccati ratione diuinæ præſentiæ omnia intuentis. ART. X.

HOc prętereà auget grauitatẽ peccati, accumulátque cõtemptum mẽtis noſtræ in Deum, ꝙ in cõſpectu, atque pręſentia creatoris, ſaluatoris, ac iudicis noſtri peccare audemus. Ipſe ęternus Deus noſter omnipotens vniuerſa præterita, præſentia, & futura clariſsimè, æternaliter, & ineffabiliter cõtemplatur, penſat, diſcernit: quẽadmodum S. Iob profitetur: Nónne Deus ſcit viã meam, & omnes greſſus meos dinumerat? Et denuò loquens Deo, Poſuiſti, inquit, in neruo pedes meos, & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti. Vnde apud Hieremiam habetur: Fortiſsime, magne, potens, dominus exercituum nomen tibi, magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu,

Exo. 36.

Iob 25.

Hier. 32.

Digitized by Google

cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes filios Adam, vt reddas vnicuique ſecundùm vias ſuas. Nonne iudex terrenus, homo mortalis reputaret grandem ſibi iniuriam cõtumeliamq; inferri, ſi quis ſubditorum ſuorũ in ipſius præſentia & aſpectu tranſgrederetur eius præceptũ? Quãto magis ſummo, cęleſti, æternoq; iudici magnam irrogamus inhonorationẽ, atq; iniuriam, dum in eius aſpectu, qui verè vbiq; pręſens, imo præſentiſſimus eſt, vniuerſaque implet, diiudicat, põderat, peccare nõ formidamus? Hinc igitur, mi amande, diuinam ſemper præſentiam cogita, diuini vultus aſpectum honora, diuinæ mentis puritatem vbilibet venerare, & quod coram homine honeſto ac probo agere verecundareris, corã Deo altiſſimo agere erubeſce, imo corã sãctitatis eius præſentia cogitare, aut deſiderare nõ audeas, quod corã viro bono, ac ſapiẽte loqui metueres: Deus quippe intuetur intima cordis, & quod hominibus ſunt verba oris, hoc Deo ſunt cogitationes cordis.

Reg.16. Rurſus quod terreno iudici ſunt opera exteriora, penes quę iudicat, hoc Deo metuẽdo, ac iuſto ſunt deſideria ipſa interna, qui affectũ pro effectu ſeu opere recipit. Nimis infelix, vilis, atq; iniuſtus eſt, qui hominum magis quã Dei honorat præſentiam, metuítque

tuitq́; iudiciũ. Non ergo id tibi, chariſſime mi, vnquã conueniat, ſed illud S. Heliç vbique & ſemper mẽte reuolue, Viuit Dominus, in cuius cõſpectu ſto hodie. Itaque (ſicut ait Boëtius) magna nobis inducta eſt benè agendi neceſſitas, quoniam ante oculos iudicis cuncta cernẽtis omnia agimus.

De enormitate peccati ex parte peccãtis. AR. XI.

HVcuſque de enormitate peccati tractatum eſt ex parte Dei: in quem omne peccatũ cõmittitur mediatè, vel immediatè. Quamuis enim quædam peccata dicantur eſſe in Deum, quædã in proximũ, quædam in ſeipſum, puta in ipſum peccãtem, eo quòd quorundam vitiorum immediata materia, proximũq́; obiectũ ſit Deus, vt ſunt ea, quæ virtutibus theologicis directè ſunt contraria: quorundam proximus, quorundam ipſe is, qui peccat: nihilominus omne peccatũ in Deum eſt, qui omne peccatum deteſtatur, prohibet, punit. Lege quippe diuina omne prohibetur, aut diſſuadetur peccatum. Nũc itaq; exigit ordo & de peccati enormitate aliquid fari ex parte peccãtis, & hoc quantũ ad homines. Primò igitur peccati enormitas poteſt attendi ex noſtra inferioritate. Quò enim quis ſubditus legislatore, ac præceptore minor, atque inferior eſt, eò eſſe debet hu-

milior, itémque ſubiectior. Vnde grauior quò ad aliquid videtur eſſe cõtéptus, ſi ipſi legiſlatori. ſeu ſuperiori rebellis ſit, quàm ſi maior ipſe eſſet, aut maior eo id faceret. In ordine autem intellectualium ſubſtantiarum homo ipſe vltimum locum ſortitur. Nonne ergo legiſlator ille ſuperlatiſsimus Deus ſanctus, adorãdus, immẽſus, indignari plurimũ poteſt, dum videt nos viles vermiculos, lutea vaſa portãtes, vanitati, ac cineri comparatos, infinitis vitijs in anima & corpore plenos, ſuis nõ obedire præceptis, ſuam maieſtatẽ inhonorantes, ſuorum beneficiorum non recordantes, omni hora ipſum inceſſabiliter offendẽtes, ſuis exhortationibus, quas per ſuos facit miniſtros, non acquieſcentes, ſuam quoque pręſentiã non curantes? Præterea ex hac noſtræ prauitatis, ac vilitatis conſideratione etiã noſipſos noſtros in Deum exceſſus vehemẽter exaggerare, aggrauare, deteſtari, atque deflere. Item & noſipſos aſpernari, reprobare, & caſtigare debemus: eò quod nos pauperrimæ, miſerrimæ, ac viliſsimæ creaturæ mox morituræ, imò quotidie morientes, Dominũ noſtrũ, Deũ ſuperſublimẽ, ac infinitũ, Deum omnipotẽtẽ, ſupergloriosiſsimum, ſupereſſentialem toties, & tam grauiter inhonorauimus, offendimus, ſpreuimus,

mus, & quotidie offendere non ceſſamus. Ecce nos puluis, & cinis, nos putredo, & vermis, qui velut flos egredimur, & conterimur, qui fugimus tãquã vmbra, & nũquã in eodẽ ſtatu permanemus, contra regem regũ, contra principẽ vniuerſorum, contra creatorem mundi ſuperlaudabilem, inuariabilem, & ſuperexaltatũ, qui eſt ſimpliciſſimus, puriſſimus, ſuperſplendidiſſimus, ac ſuperſanctiſſimus ſpiritus, tam frequenter, tãque enormiter præuaricati ſumus, & inceſſanter peccamus. Quid igitur inaniſſimè gloriamur? quid vaniſſimè ſuperbimus? cur nos non humiliamus, ſpernimus, deflemus, & caſtigamus noſipſos ieiunijs, ac flagellis, vigilijs, orationib⁹, cæteriſque pœnitẽtiæ actibus? Itaq; nobiſipſis iugiter diſpliceamus, & corã ſupermundiſſimo Deo animas noſtras indeſinenter profundiſſimè humiliemus, neminem aliũ contemnẽtes. Secũdò peccati enormitas ex parte peccãtis penſatur ex ſuperioritate peccantis, vtpote ex prælatione, ac præſidentia eius. Quò enim qui peccat maior eſt, prælatus, princeps, ſeu iudex, vel officialis, eò ad ampliorem obligatur iuſtitiam, charitatem, exemplaremque vitam, prȩſertim cùm (teſte Philoſ.) iudex, & præſidens debeat eſſe viua lex, & æquitas animata. Vnde peccata eius

Geneſ. 18.
Iob. 14.

eius enormiora redduntur, præſertim ſi in ſpiritualibus præſit, & prædicationi, ac doctrinæ intẽdere habeat. Vnde quod homini ſimplici eſſet veniale, aut ſimplex peccatũ mortale, talibus fit mortale, & nõnũquã etiam dupliciter, multipliciterq; mortale. Tertiò peccati enormitas, quò ad peccantẽ, accipi poteſt ex parte gradus, vel ordinis eius, qui peccat. Quemadmodum grauius eſt peccatum ſacerdotis, magiſtri, ſiue doctoris, quàm idiotæ, ac laici. Quartò, ex parte ſcientiæ eius qui peccat. Cuius quò maior fuerit lucratura, eò fit grauior eius culpa ſemper, cęteris paribus, Chriſto pre-
Lucæ 12. teſtante, qui ait: Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & nõ faciens, plagis vapulabit
Iacob. 4. multis. Iacobo quoque Apoſtolo, qui ait: Scienti bonũ, & non faciẽti, peccatũ eſt illi.
1. *Pet.* 2. Etenim, ſicut princeps aſſerit apoſtolorũ, Melius erat non agnoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum reuerti. Quintò ex parte virtutis Quò enim homo in ampliori interdum perfectione vixit, & ſpiritalior fuit, eò ſi ad vitam reuertatur carnalem, abominabilior demonſtratur; ac vilior, ſemper cæteris paribus. Tales ſunt, qui cũ ſpiritu cœperunt, carne cõſummantur. Sextò ex parte ſtatus, aut profeſſionis, Vt ſi religioſus apoſtatet, aut regulam non

Digitized by Google

non obſeruet, in quo contra iuſtitiā agens mortaliter peccat. Septimò ratione voti, aut ſimplicis promiſſionis. Votum quippe (vt dicunt doctores) plus obligat iuramē-to, ita vt periuro probetur deterior voti tranſgreſſor. Octauò ex parte beneficiorū peccanti datorum. Quia, vt dictum eſt, quò plura, ac potiora quis deſuper beneficia eſt ſortitus, eò enormiora ſunt eius peccata. Vnde quò Deus peccantem diutiùs, atque benigniùs, vt cōuertatur, expectat: eò dānabiliora eius peccata redduntur. Nonò ex aſſidua peccandi conſuetudine, quæ induratione ac obſtinationem ducit. Quia, vt Salomō ſcribit: Impius cùm in profundū peccatorū venerit, contemnit. Decimò, ratione ætatis. Idem namque peccatum in ſenioribus vituperabilius, quàm in iunioribus iudicatur. Vndecimò ex facilitate nō peccandi, ſeu reſiſtendi peccato. Quemadmodum in hominibus bonæ indolis grauius eſt peccatum quàm in pronis ad vitia. Propter quod decimoquartò de Ciuitate Dei loquitur Auguſt. Primum præceptum in paradiſo tanto maiore iniuſtitia violatū eſt, quāto faciliori poſſet obſeruantia cuſtodiri. In peccatis autē eorū, qui bonæ ſūt indolis, eſt maius de volūtario, quoniā ab intrinſeco minus impellūtur ad mala, Ideò

Prou. 11.

cæteris

cæteris paribus, grauiùs peccant, præſertim cùm & Dei beneficiis infeliciter abutantur, & ingratiores ſint creatori. Ex his vnuſquiſque vitiorum ſuorum enormitatem perpēdat, quoniam in quibuſdā omnia vel plenè omnia iſta peccatum grauantia concurrunt: In quibuſdam autem multa, in aliis pauciora. Tibi autem chariſſimo meo vltimum horum ſingulariſſimè conſiderandum propono, ne præclaræ tuæ indolis bonitate dānabiliter abutaris: ſed digno conatu virtutibus tantò vigilantiùs innitaris, quantò faciliùs virtuoſus effici vales. Quod ſi feceris, deuotiſſimus, & Deo gratiſſimus eris. Si verò teipſum neglexeris, & vitiis locū præſtiteris, magna vehemēter erit iniquitas atque dānatio tua. Vnde ſecundo de ciuitate Dei dicit Aug. ſi quid in te laudabile naturaliter eminet, non niſi vera pietate (id eſt, cultu diuino) purgatur atque perficitur: impietate autē diſperditur, & punitur. Poſtremò in omnibus præinductis aggrauatio ipſa peccati intelligēda de cæteris paribus.

De enormitate peccati ex parte materiæ, circa quam verſatur, ſeu obiecti.

ART. XII.

VT tactum eſt iam, quædā peccata dicuntur eſſe in Deū, quædā in proxi-
mum,

mum.quædã in ſeipſũ,certúmque eſt, peccata in Deum eſſe grauiſſima, loquẽdo in genere. Nũc quoque tractatum eſt de grauitate peccati ex parte Dei. Quemadmodũ autem peccata in Deum feruntur grauiſſima propter bonitatem,maieſtatẽ,ſanctitatem,charitatẽ,ac beneficẽtiam eius: ſi quãtò proximus,in quem peccatur,fuerit Deo ſimilior, tantò enormiora erunt peccata. Vnde enormitas peccati in proximum primò attenditur ex parte auctoritatis,dignitatis,ac poteſtatis eius, in quem peccatum cõmititur. Qui quãtò maioris fuerit auctoritatis,ſeu poteſtatis,tantò grauius eſt in eum peccare, ſicut apparet in peccatis cõtra ſummum Pontificem,aut Epiſcopum factis,&in crimine leſæ maieſt. Hinc in patrem ſpiritalem Dei vicarium,paſtorẽ, ſeu prælatum peccare eſt multum enorme, cũ ſit potiſſimùm contra charitatem quæ illis debetur,& iuſtitiã,per quã illis reuerentia & obedientia ſunt exhibendæ. Propterq; de talibus loquitur, Qui vos audit,me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit Moſes quoque ad rebelles ait Iſraëlitas,non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Deũ. Hinc itidẽ ad Rom. docet Apoſt. Paulus, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi

Lucæ 10.
Exo. 16.
Rom. 13.

niſi à Deo: quæ autē à Deo ſunt, ordinata ſūt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationē acquirunt. Secundò, penſatur enormitas peccati in proximum ex parte propinquitatis, quemadmodū grauius eſt fratrem carnalem occidere, aut propriam ſororem violare, grauiſſimum verò in parētes peccare, cùm filius ſit de illorum ſubſtātia natus, & quaſi aliquid eorum. Tertiò ex parte beneficiorū, quæ peccans à proximo, in quē peccat, ſuſcepit. Sic rurſus graue nimis eſt in parētes impiè agere, à quibus proles adepta eſt eſſe, alimentū, cuſtodiā, & doctrinā. Itē in magiſtros, quib' honor debetur, & amor, imo (ſecūdùm Phil.) magiſtris ac parētibus nō poteſt reddi æquiualens. Ideò ſcriptū eſt: Quàm malæ famę eſt, qui relinquit patrē, & eſt maledictus à Deo, qui exaſperat matrem. Quartò ex parte bonitatis, virtutis, ſeu ſāctitatis eius, in quē peccatur. Qui quātò melior, iuſtior, ſanctior fuerit, tā tò iniquius eſt in eū peccare. Sed & eruditis ac ſapientibus ſpecialis honor debetur. Hinc irreuerentia, ſeu iniuria ipſis irrogata ampliùs aggrauatur. Quintò ex parte ſtatus, gradus, ſeu ordinis. Vnde in ſpiritales, clauſtrales, & religioſos peccare, ſpecialiter eſt enorme. Sextò ratiōe
ætatis

Digitized by Google

ætatis. Senioribus nāque reuerentia maior debetur, & in ipſos peccare, grauius eſſe cenſetur. Hinc ſiquidem ait ſcriptura: Coram cano capite conſurge, & hon &c. Septimò ex parte ſimplicitatis ac innocētiæ, vel etiam ſtoliditatis eius, in quē peccatur. Qui quātò innocentior fuerit atq; ſimplicior, tantò crudelius eſt in eū delinquere. Simili modo ſi fuerit vſu rationis priuatus penitùs aut certè partim. Talibus quippe ſunt maior cōpaſſio, & ſubuentio impendēdæ: Idcircò pro grandi malo fertur in libr. Iob, Deridetur iuſti ſimplicitas. Octauò ratione charitatis, itémque fiduciæ, quas habetis, in quem peccatur, ad eum qui peccat in ipſum. Siquidem quo quis ampliùs diligit aliquē, & magis confidit in ipſo, tantò grauius eſt, in ipſum peccare, iniuriam inferendo, nocendo, fallendo. Vnde apud Iob legitur: Qui deridetur ab amico ſuo, inuocabit dominū & exaudiet eū. Et in Eccleſiaſt. Ne derelinquas amicū antiquū. nouus enim nō erit ſimilis illi. Hinc ſimulatores, & callidi prouocant irā Dei. Nonò ex parte imperfectionis cuiuſlibet, ſeu monſtroſitatis. Vnde in Leuit. iubetur, Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum. Tales ergo deridere. aut lædere eſt vehementer impiū ac crudele. Decimò ex

Leuit. 19.
Iob. 12.
Eccleſ. 9.
Iob. 36.
Leuit. 19.

Digitized by Google

parte impotentiæ, paruitatis, atque inopiæ eius, in quē peccatur. Ideò impotentes, abiectos egenos opprimere, perſequi, ſpoliare aut lædere, eſt valdè enorme. Hinc Salomon ait, Qui conuiciatur pauperi, exprobat factori eius. Et Moſes: dominus, inquit, facit iudiciū viduæ & pupillo, amátque peregrinum. Vnde de talibus præfato modo iniuriam paſſis ſciptum eſt: Clamor

Deut. 10. eorū in aures Domini Sabbaoth introiuit. Vndecimò ex parte cōtrarij euētus proximi, in quem peccatur. Hinc deſolatis, afflictis, tentatis tribulationem adijcere, iniuriâque inferre, plurimum graue eſt, cùm

Iob. 30. talibus cōſolatio debeatur, ſicut beatus Iob ſe feciſſe teſtatur dicens: Flebam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Et alibi, Cùm ſederē, inquit, quaſi rex circunſtante exercitu, erā tamen mœrentium cōſolator. Idcircò monet nos quidam ſapiens: Non deſis plorantibus in

Rom. 12. conſolatione. Et Apoſt. Flere cum flētibus. Ex his conſiderare quilibet valet enormitatem ſuorum peccatorum in proximum, quantum eſt ex parte proximi, in quem delinquit. Generaliter quoque, quo maius nocumētum aut malum quis peccādo intulerit proximo, eo grauius peccat, cæteris paribus. Ideò virginē deflorare multum

enor

enorme eſt. Detractio quoque, quæ tollit bonam famam, argento & auro præferendam, & ſeminario diſcordiæ, quæ dilectionem auro & argento, ac famæ præponendam aufert aut minuit, ſunt peccata prorſus enormia, & furto vtique grauiora. Iterum, quo materia peccati fuerit Deo magis conſecrata, eo maior fit culpa. Vt ſi bona eccleſiæ, ornamenta, vtenſiliáque altaris furetur aut rapiat, velatam, ſeu voto caſtitatis aſtrictã illegitimo modo cognoſcat. Poſtremò tuæ induſtriæ, ô dilecte, erit enormitates peccatorum tuorum in proximos quodammodo commiſſorum ſapienter penſare ſecundùm conſiderationes pręfactas eadémque dignè corrigere, diligenter in poſterum declinare, & ad vnumquẽque te ordinatè habere, ſecundùm conditionem, ſtatum, vel qualitatẽ ipſius. Quemadmodum ad Romanos docet Apoſtolus: Reddite omnibus debita. Cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. *Rom. 13.*

De enormitate peccati ex parte circunſtantiarum ac finis. ART. XIII.

PRæterea nomẽ circunſtãtię in actu virtutis ordinaliter ſumitur à circõſtantia ſecundùm locum. Quemadmodum enim id localiter rem circunſtat, quod eã attingit, & tamẽ ei extrinſecũ eſt, ſic cõditiones

Digitized by Google

actuum humanorũ quę ipſos actus cõcernunt, & tamen extra eorum ſubſtãtiã ſunt circunſtantiæ appellantur. Sicut in prima ſecundę quæſtione ſeptima Tho. ſcribit. Sunt autem circunſtantię ſeptẽ, quę verſu hoc continentur: Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur quomodo, quando. Penſandũ eſt namque quis fecit, quid egit, quibus ſubſidijs operatus eſt, quo loco, quo tempore, quo fine, & qualiter. Sed quoniam à fine accipit actus ſpeciem, & ipſum opus eſt de ſubſtantia actus. Idcircò quòd finis, & opus circunſtantię nominantur, non eſt intelligendum de fine principali & actu ad id, quod eſt, ſed de aliquo fine adiuncto, & quadam proprietate circa opus, ſeu actũ. Harum circũſtantiarum potiſſima eſt, cur, id eſt, quo fine quid factũ ſit: idcircò quo-al qd ſit fine magis illicito ac peruerſio, eo peccatũ ampliùs aggrauatur, & ſi quis opus ſuum ordinet ad plures fines prohibitos, quantò fuerint fines plures, ac peruerſiores, eò ſit maior peccati enormitas. Vt ſi quis furetur, vt voluptati, gulę, ac venereis poſſit vacare, ad mundanos quoque honores pertingere. Prætereà ſi quis actus fuerit de genere bonorum, ſi tamen finis eius ſit vanus & prauus, ipſum opus erit illicitũ, vt ſi quis oret, ieiunet, eleemoſynam faciat

ciat intuitu laudis humanæ. Itaque quoniã (teſte diuino Diony.) bonum ex integra cauſa, concurrentibus videlicet omnibus virtutum circonſtantiis iã prætractis: defectus verò, ſeu malum, ex cuiuſlibet circunſtantiæ omiſſione contingit: ideò peccati grauitas tantò fit maior, quantò plures circunſtãtiæ deſeruntur, & quanto ab ipſa virtutis cõuenienti circunſtantia magis recèditur Hinc ergo nõ iã duntaxat doleamus, quòd ea, q̃ in ſe vitioſa, abſolutéq; mala ſũt fecimus, vel agẽda omiſimus, ſed etiã quia peccauimus tempore magis indebito, loco magis prohibito, fine multum peruerſo, auxilio inhoneſto, & modo prorſus incõgruo, vtpote intimoratè, ac irreuerenter omnino. Cõſiderandũ quoq; quoties, & cũ quali perſona, cũ quãnta etiã volũtate peccandi, itémque cũ quali ſcãdalo proximi: Quò enim volũtas peccãdi, puta ipſa volitio mali, eſt magis intẽſa, eò eſt grauior culpa. Similiter nos conſiderare cõuenit, & oportet in bonis quę agim⁹, an debito loco, & tẽpore apto ſint facta, cũ recta quoq; intentione ac reuerẽter. Grauius nẽpe eſt tẽpore cultus diuini, ac feſtis diebus, & in eccleſia, præſertim in choro, mẽte vagari, cõfabulari, circũſpicere, vitiiſque intendere. Bona ergo, quæ agere obligaris, cũ præin-

Digitized by Google

ductis virtutũ circunſtantiis, quantum tibi poſſibile, eſt, chare mi, adimplere coneris, &peccatorum tuorum grauitatem ex omnibus nunc præfatis peccatum grauantibus vigilanter conſideres.

De fugibilitate, odibilitate & deformitate peccati, ſecundùm ſe.

ART. XIIII.

QVoniam Deus, qui peccato inhonoratur, infinitæ honorabilitatis, amabilitatis, pulchritudiníſque conſiſtit, peccatum infinitę fugibilitatis, odibilitatis, & deformitatis eſſe cẽſetur, quippe quod diuinæ volũtati, ſanctitati, ac æquitati omnino diſplicet & cõtrariatur. Hinc pro nulla re, nullo timore dãni, periculi, ſeu tormenti nullo amorę cõmodi, proſperitatis aut gaudij peccatũ cõmitti debet, ſiue admitti, ſecundũ legem diuinã: imo potiùs debet homo mortẽ grauiſſimam ſponte ſubire, quã minimũ peccatum veniale incurrere. Idcirco qui adulatione, aut cominatione, qui humano fauore ad peccatũ inducitur, imperfectum ſatis ſe eſſe declarat. Denique minimũ malũ culpæ, hoc eſt, minimũ peccatũ, fugibilius ac odibilius eſt quocũque malo pœnæ, ſeu quouis ſupplicio, etiã infernali, quãtũ ad id, quod merè ſupplicium eſt. Pro nullo ergo tormẽto, damno, incõmodóque

modoq́ue vitãdo, peccãdũ,ſed poti⁹ debet homo omnẽ pœnã velle ferre, quã Deum offẽdere. Nam Deum offendere,eſt Deum puta immẽſum bonum amittere, eiusq; ſuperſanctę voluntati ꝓpriã directè opponere. Nunc ergo,mi præamãde,cõſidera,quãta ſit eorũ peruerſitas,& à vera perfectione diſtãtia, quorũ tota affectio die ac nocte tẽdit ad ea,quę lege prohibentur diuina,qui blãdiendo,dãdo,currendo laborant eas ad ſuum conſenſum allicere,cum quib⁹ ſuã expleant immũdiſſimam voluptatẽ, qui ſtudent in hoc mundo proſperari, honorari,ditari. Stet ergo inflexibilis mentis noſtræ ſtatus,nec proſperis extollamur,neque aduerſis vincamur,nec timore humanæ offenſæ,increpationis, vel confuſionis à via iuſtitiæ corruamus, mortem animæ, id eſt peccatum, incomparabiliter magis quàm mortem corporis formidemus.

Contra eos,qui amplius timent, vitant & odiunt malum pœnæ quàm malum culpæ.

ART. XV.

TImor eſt fuga, ſeu deteſtatio mali. Quò ergo quid peius eſt, eò fugibilius & fortius deteſtãdum eſſe cõuincitur, cùm malum ſit timoris obiectũ. Porrò iam patuit, quòd malum culpæ ſit fugibilitatis immenſæ,malum autẽ pœnę ſeu ipſa pec-

cati punitio, vel quæcunque aduerſitas afflictiua, non eſt in ſe abſolutè malum, aut ſimpliciter fugiendũ, ſed à Deo iuſtè infligitur, eſtque ad deletionẽ peccati, & gratię infuſionem in ſeculo iſto proficuum: in purgatorio quoque delet peccati reatum, in inferno autem eſt diuinæ iuſtitiæ opus, & culpæ ordinatiuũ quãuis ſit ipſi dãnato nociuum. Cùm ergo hæc ita ſe habeãt, quã imperfecti, viles & pueriles exiſtunt, qui in vita hac potiùs timent, & fugiunt iuſtã peccatis ſuis punitionem, increpationẽ, cõfuſionem, q̃ ipſam peccati fœdiſſimã deformitatem, diuinæ ſanctitatis offenſam, ac Dei altiſſimi inhonorationem? Iſti ſunt inordinati ac miſeri, in quibus diuino amori præponderat amor priuatus, in quibus maior eſt timor ſeruilis, quàm filialis, qui plus honorãt ac metuũt aſpectũ, iudiciũq; humanum quàm diuinum, non verentes agere Deo præſente ac intuente, quod homine iudice, conſpiciente, operari formidant. Hi de proprio magis triſtantur temporali ſeu corporali incommodo, damno, atque ſupplicio, quàm de Dei offenſa, de gratię amiſſione, quàm de animę læſione. Iſti appropinquante aut imminente humano examine, atque iudicio emendationem quandam prætẽdunt ac ſimulãt: ſed eo qui time

timebatur abſente,& in breui ad iudicandum ac puniendum nõ redituro, viuunt vt ante. Eia ergo mi prædilecte, Deũ ſynceriſſimè formidemus, malum culpæ incõparabiliter odiamus, iuſtam punitionem, in hoc ſeculo cordialiter affectemus, hilaritérque feramus damnum: animę noſtræ peccatum magis quàm temporaliũ rerum amiſſionẽ, aut corporis afflictionẽ fideliſſimè defleamus Poſtremò hæc omnia implere poterimus ſi illud Salo. efficaciter attendamus: Fili, honora Deum & valebis: præter eum verò ne timueris alienũ. Hinc rurſus ait, Qui timet Deum, nil trepidabit. Qui timet hominem, citò corruet. Non quòd ſuperiores noſtros nequaquam metuere debeamus, cùm Petrus dicat Apoſtolus: Serui, ſubditi eſtote dominis veſtris cum omni timore, ſed quòd timendi non ſunt vt homines, ſed vt Dei vicarij ac miniſtri, ne propter eorum timorem Deum in aliquo offendamus. Pro gratia adipiſcendi perfectionem in iſto articulo iam deſcriptam miſericordiſſimum Deum indeſinenter, cordialitérque exora.

Prou. 7. *Prou. 29.* *2. Petr. 2.*

Quomodo diuerſi diuerſis ex cauſis, atque motiuis videant peccata. ART. XVI.

PRætereà ſunt, qui à vitijs retrahuntur ſolo ſeruili timore, hoc eſt, pœnarum

formidine, non æternæ felicitatis affectu, neque ipſius Dei ſyncero amore. Iſti quandiu huiuſmodi ſunt, nil merentur. Tamen huiuſmodi timor ad charitatē, gratiamque diſponit, in eo quòd retrahit à peccato. Nil meritoriū eſt vitę æternę, Deóque gratum, ac placitum, niſi ex charitate Dei procedat, atque amore iuſtitiæ fiat: dicente Aug. vigeſimoprimo de Ciuitate Dei, Vitia laborioſa difficultate vincuntur, neque id fit veraciter ac ſynceriter, niſi delectatione veræ iuſtitiæ. Qui prefato modo declinant à malo, & facere bona quædam videntur, ſunt ſerui mali, ac infideles, quoniam manet in eis affectus peccati, & complacentia mali. De tali genere ſeruorum ait ſaluator apoſtolis: Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius. Et rurſus: Seruus nō manet in domo in æternum. Porrò alij vitant peccata præmij, deſiderióque felicitatis æternæ. In iſtis non eſt amor Dei perfectus, & omnino ſyncerus: quoniā ad ſeipſos reflectuntur, propriū cōmodum cogitātes ac intuentes & de retributione, ſeu præmio multum ſe occupātes, imo ſi hi proprium cōmodum magis quàm Dei honorem aſpiciant & affectent, ſi ex priuati amoris affectione potiùs, quā ex diuinę charitatis motione ad opera bo-

August. Ioan. 15.

na

na inducãtur, nil merentur, & puri mercenarij nominãtur: nihilominus licet mercedis intuitu, felicitatiſque cæliſtetis affectu Deo ſeruire: ſic vt honor Dei proprio pręmio pręferatur ipſúmque beatitudinis pręmiũ, quod optatur, ad Dei honorẽ ac gloriã ordinetur, quod qui fecerit, nõ erit mercenarius tantũ, ſed inſuper & amicus, quoniã Deũ, atque iuſtitiã præ omnibus amat. Iſti nondũ perfecti dicũtur initialẽ ſeu mixtum habere timorẽ: quoniã à peccato ſe abſtrhuunt, virtutibus quoque inſiſtunt, partim timore ſupplicij gehennalis, vel etiam præſentis ac temporalis, partim ſpe præmij ſupercæleſti. Veruntamen amor Dei in eis præponderat priuato amori, & Dei honorem ac gloriã principaliter, finalitérque deſiderãt. Ideo ſunt in ſtatu ſalutis ac gratiæ. Inſuper alij recedũt à vitijs, & faciũt bona ſolo diuinitatis amore, ac diuini honoris zelo ſyncero, tota mẽte ad Deum ardenter cõuerſi, nihil vtique cupiũt niſi vt Deus glorioſus ac ſãctus in omnibus honoretur, ac diligatur, præmiũ verò nõ cogitãt, neque inſpiciũt, qui ad ſeipſos nõ reflectuntur: imo ſibiipſius totaliter moriuntur, vt Deo puriſſimè viuãt, quemadmodũ conteſtatur Apoſtolus, viuo, inquiens, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Præter Gal. 2.

terea ſi hi viciſſim præmiũ cogitent, & affectent, non erit hoc per inordinatam reflexionẽ ad ſe, ſed per charitatiuá relationem ad Deum, & ob hoc quòd Dei voluntas eſt, vt æternam felicitatem deſiderent, quatenus in bono confirmati, deóque feliciter perfruẽtes, perfectiſſimè vacent honori, dilectioni, ac laudibus eius, ſicq́uę prę mij amor charitatis perfectioni non repugnabit. Iſti ſunt amici, ac filij Dei, quorum mentes in ipſũ charitatis diuinæ, zelíque iuſtitiæ ſynceriſſimum affectum conuerſæ ſunt. Et hi vbique & ſemper virtuosè ſe habent, quoniam ratio benè agendi eſt in ipſis vniformis, pura, ac ſtabilis, vt pote ipſemet Deus, amor ipſius iuſtitiæ, zelus, diuinitatiș præſentia, puritatis dilectio, ingẽs diuini honoris affectus, cõplacẽtia boni honeſti, omníumque vitutũ. Nunc ergo, mi fratrer prædiligẽde, vitia fuge, bona exerce potiùs ex puriſſimo Dei amore, æquitatíſque zelo, ac puritatis affectu, quàm pœnarũ formidine vel mercedis intuitu. Et ſi nondum perfectionem hanc attigiſti, ora Deum pro ea: interim verò fuge peccata, ſaltem æternæ damnationis timore, cæleſtíſque beatitudinis dilectione.

Quòd peccati enormitatem in hac vita plenè comprehendere non valemus.

ART. XVII.

QVemadmodum vigeſimoprimo de Ciuit. Dei loquitur Aug. ideò pœna *Auguſt.* æterna, quæ pro temporali peccato inſligitur, dura, & iniuſta ſenſibus videtur humanis, quia in hac vita mortali deeſt nobis ille altiſſimæ, atque puriſſimæ ſapiētiæ ſenſus, quo ſentiri poſſit, quantum nefas in præuaricatione committitur. Iam quippe multipliciter eſt oſtenſum, peccati enormitatē tāto cōſiſtere ampliorē, quo maior eſt Dei bonitatis, cui in peccato res caduca præfertur, itēq; quo ſublimior Dei maieſtas atq; auctoritas, quæ per peccatū inhonoratur, quo etiam maior eſt ſanctitas Dei, & æquitas, quæ peccati fœditatē abominatur, itēq; quo maior eſt charitas Dei ad nos, & quo plura ac potiora ſunt eius beneficia ſuper nos. Quoniam itaq; diuinę bonitatis immenſitatē, diuinæ maieſtatis incircūſcriptibilem ſublimitatem, diuinæ ſanctitatis & æquitatis mundiſſimā infinitatem, magnitudinē quoq; diuini amoris beneficiorūque eius ſuper nos in hac carne mortali comprehendere non valemus imò nec ſatis lympida acie contemplari, certum opinor, quòd peccati enormitatē plenè in hoc ſtatu cognoſcere nequaquā poſſumus. Hinc viri perfecti atque ſancti,

quantò

Digitized by Google

quãto in ſeculo iſto Deum ſynceriùs atque ſublimiùs cõtemplabãtur, & ea, ex quibus peccati enormitas perpenditur, ac grauatur, (de quibus iã ſcripta ſunt plura) mente diuinitus plus illuſtrata, & vncta diligẽtiùs intuebãtur, eo ſeipſos ampliùs deſpexerũt humiliauerũt, caſtigauerũt, peccata, quę ſua etiã minima, ac venialiſſima vehemẽtiſſimè põderauerunt, plaxerũt, ac correxerunt. Denique vnũ peccatũ aggrauatur ex alio. Cùm ergo cogitationũ affectionũ, locutionũ, cõmiſſionũ, & omiſſionum noſtrarum peccata ſunt adeò multa (ſaltẽ venialia) quòd mentis noſtræ cognitionẽ, ac numerum ſuperãt & euadunt, certum eſt, quòd vitiorum noſtrorum enormitatẽ intelligere non poſſumus, niſi ex gratia valdè ſingulari vtcunque. Ideò ſcriptum eſt:
Pſal. 18. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis mũda me, Domine & ab alienis parce ſeruo tuo. Hinc vtique quicquid aduerſitatis euenerit nobis, meritò cum omni gaudio patiẽtiſſimè ſuſtineremus pro peccatis noſtris occultis, latentibus, multis, ac magnis. Sed quoniã peccatorũ noſtrorum enormitatem nõ ponderamus, non ſatis humiliamus coram Deo cor noſtrum, nec in ad-
Apoc. 3. uerſis gratias agimus Deo, qui nos amat, arguit, & caſtigat, ſed impatientia victi ad
inor

inordinatam triſtitiã, ac puſillanimitatem prolabimur. Ampliùs cætera paulò antè deſcripta peccatũ grauãtia tã ex parte peccãti,& obiecti ſeu materiæ,circa quã verſatur peccatũ,quàm finis,ac circunſtãtiarũ ſunt tot,& tãta in ſpeciali:quòd nemo noſtrum omnia ea cognoſcere poteſt diſtinctè. Ideò peccatorum noſtrorum grauitatẽ plenariè intelligere nõ valemus. Sed noſipſos in infinitum humiliare debemus, diuinámque iugiter inuocare clemẽtiã, atq; in ſola Dei miſericordia reſpirare,dicentes cũ vero pœnitẽte: Cõprehenderũt me iniquitates meę,& nõ potui vt viderẽ. Et rurſus: Iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrũ. Et alius:Peccata noſtra creuerunt vſque ad cælum. Poſtremò, etſi impietatũ noſtrarũ enormitates plenè cõprehendere nequeamus:tamen quòd verè tã incomprehenſibiliter ſint enormes, clariſſimè innoteſcit ex pœna illa infernali, acerbiſſima,&ſẽpiterna,quam iuſtus Deus pro vno mortali infligit peccato. Qui tamẽ etiã in inferno miſericordiã miſcet iuſtitiæ,puniẽdo citra cõdignum. At verò tãta eſt peccati mortalis,quãtuncũque parui enormitas. quòd nulla creatura eſt Deo tã chara,in toto vniuerſo mũdo,quin eã odiret,ęternaliterq; dãnaret pro vno peccato morta

Ibidem.

mortali,ſi finaliter deprehenderet eã in illo. Adhuc tãta eſt peccati enormitas, quòd facit peccantem Deo eatenus diſplicentẽ, vt omniũ bonorũ, quæ antè peregit, Deus
Ezec. 18. ipſe nõ recordetur. Sicut per Ezechielem Dominus iuſtus iudex teſtatus eſt: Si auerterit ſe iuſtus, & fecerit iniquitatem omnes iuſtitias, quas fecerit, nõ recordabor.
1.*Cor*.10. Itaq; qui ſtat, videat ne cadat, nemo ſecu-
Prou. 18. rus eſt. Et in Prouerbijs dicitur: Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Ampliùs quã incomprehenſibilis ſit peccati enormitas, hinc poteſt attendi, quod pro humani generis peccato ſatisfacere, illúdque auferre nulla creatura fuit idonea, ſed ipſummet vnigenitũ Dei, verũ immẽſúmque Deum, decuit, & modo quodã oportuit, incarnari, & pro hominum redemptione à peccati reatu pati ac mori. Si iſta, mi amantiſſime, ritè penſaueris, peccata abhorrebis, deflebis, ac fugies, téque coram diuinæ maieſtatis præſentia timoratè habebis.

De diuerſis effectibus, ac nocumentis peccati.

ART. XVIII

CAuſæ contrariæ, cõtrarios ſolent habere effectus. Peccata autẽ, vitioſique habitus virtutibus, & earũ actibus cõtrariantur. Quemadmodũ ergo gratia naturã perficit, ſic peccatũ ignobilitas lædit ac inficit.

Digitized by Google

ficit eam. Et ſicut virtutes, ac dona ſpiritus ſancti vires animæ reddũt ad benè agendũ expeditas ac faciles, à ratione quoque & ſpiritu ſancto benè, promptéque mobiles, ſic peccata, & habitus vitioſi, vires præfatas à bonis retardãt, ad bona agenda infirmas efficiũt, ad mala pronas cõſtituunt, ad diabolicũ inſtinctũ, paſſionúmque impetũ aſſequendũ faciles reddunt. Hinc Hugo in libro de arca Noë: Animam, inquit, diuino deſertã auxilio quæcúnque tentatio impetierit, ſubuertit. Beda quoque teſtatur quòd homo in peccata ruens, ſpoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus. Vt itaque ordinatus fiat proceſſus, dicẽdũ, quòd peccatũ mortale primò ſpoliat mentẽ gratuitis, gratia gratum faciẽte, & charitate infuſa, cęteríſque virtutib⁹, quãtũ ad hoc quòd ſunt meritorię in agẽdo, ſeptẽ quoque donis ſpiritus ſancti. Secundò maculat animã, quæ maculatio gratuitorum ſpoliationem cõcomitatur, éſtque amiſſio ſpiritalis pulchritudinis, ac nitoris. Nõ ſicut in corporalibus macula eſt perditio proprię pulchritudinis ac nitoris, ex contactu alicuius immundi, ita in ſpiritualibus ponitur macula pro amiſſione ſpiritalis nitoris. Anima autẽ duplicem ſortitur nitorem. Vnus eſt luminis naturalis, ſeu rationis. Alius eſt

Hugo.

Beda.

diuinæ illuminationis per gratiam: Porrò dum anima inferioribus, terrenis, atque carnalibus rebus inhæret, agit vtique contra lumē naturalis rationis, & gratiā diuinę illuſtrationis: ſicque ſpiritalis nitor, quā tum ad lumen naturale, minoratur, & obfuſcatur, ſed quo ad lumen gratiæ omnino aufertur. Tertiò, per peccatum minoretur ac læditur naturalis inclinatio ad virtutes: nunquā tamen totaliter tollitur quantū ad ſuā radicē, quoniā naturā rationalis creaturæ cōcomitatur. Quod verò diuinus ac ſanctus Dionyſius aſſerit, quarto capitulo de diuinis nominibus bonum naturæ, ſeu naturalia etiā in dæmonibus integra perſeuerare, intelligēdū eſt de ipſa intellectualium creaturarū eſſentia, naturalibúſque potētijs, nō de inclinatione prædicta. Quartò, peccatū ad pœnā perpetuā obligat, ſicut de ipſis ait Iudas in ſua Canonica, φ procella tenebrarum conſeruata eſt eis in ęternum. In Apoc. quoque legitur, Cruciabitur iniquus, igne & ſulphure, & fumus tormentorum eius aſcēdet in ſecula ſeculorū. Quintò, peccatum conſcientiā ipſam amaricat. Quia, vt Sapiens ille ſcriptū reliquit, præſumit ſæua perturbata conſcientia. Vnde & amicorum Iob quidam aſſerit, Sonitus terroris ſemper in auribus impij.

Dionyſi. *Iudas.* *Apocal.*

Ideò

Ideò loquitur Hieremias: Amarum eſt, te reliquiſſe Dominũ Deũ tuũ. Peccatũ quippe conſcientiæ parit remorſum, qui ſynderesis remurmurat malo. Hinc gaudium ſpiritale, & pax interna, ac vera & ordinata lætitia, in impiis locum habẽt. Sextò peccatũ mẽtẽ indurat, ita quòd cõpunctionis & gratiæ receptiua non eſt, nec intima eius verbum Dei ingreditur, ſed bonis ac ſalutaribus rebus reſiſtit, niſi Deus omnipotentiæ ſuæ clementiſſimã gratiæ opem impendat, córque molliſicet. Idcirco in Prouer. libro aſſerit Salomõ. Impius, cùm in profundũ peccatorum venerit, cõtẽnit. Prou. 18. Et apud Eſaiam Dominus ait vitiis habituator in malo, Scio quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ænea. Iſti ſic indurati, nõ erubeſcunt de malo, imò lętãtur cùm malè fecerĩt, & exultãt in rebus peſſimis. Vnde de talibus Hiere. teſtatur. Frõs mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Quo enim quis grauiùs, diutiùs, atq; frequẽtiùs peccat, eò ratio eius ampliùs excęcatur. Et quãto plus ratio excæcat, tantò plus errat, ſumendo mala pro bonis falſa pro veris nociua, vana, & villia pro ſalubribus & fixis ac precioſis. Septimò peccatum facit peccantem inſenſibilem, quantum ad ea quæ ſunt ſuæ

Eſa. 48.

Hiere. 2.

Digitized by Google

peracta facit infructuoſa, & à gloria regni cæleſtis excludit: quemadmodum ſcriptũ eſt: Tollatur impius, ne videat gloriã Dei. Vndecimò, de membro Chriſti facit membrũ diaboli ſiquidẽ per charitatem Chriſto incorporamur, ſed per peccatum mortale charitatẽ perdendo, incorporamur diabolo, qui eſt iniuſtorũ caput princépsq; Duodecimò hominẽ, qui eſſe debet tẽplũ Dei, facit inferno conſimilem. Sicut enim in inferno ſunt ignis, & frigus, fœtor, caligo, vermis, confuſio, ſitis, odiumq; boni honeſti: ita in peccatore eſt ignis iræ, impatientię, auaritiæ, frigus inuidiæ fœtor luxuriæ, vermis conſcientiæ, ſitis cõcupiſcentiæ, inordinatio, atq; peruerſitas animi, deteſtatio quoque virtutũ. Decimotertiò, facit inſtabilẽ: peccator nãque omni vento paſſionũ, tẽtationum, ac vitiorum proſternitur, agitatur, & circunfertur: quẽadmodũ ſcriptũ eſt: In circuitu impij ambulant. Sunt enim tanquã puluis, quem proijcit ventus à facie terræ: eo quòd corda eorum non ſint per vigorem virtutum ſummo, & incõmutabili vni, vero, ac ſimpliciſſimo bono infixa: ideoque in rebus creatis vagãtur, mentéque diuiduntur, & inordinatiſſimè afficiuntur. Vnde loquitur Hiere. Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis *Pſal. 11.* *Pſal. 1.*

TT 3

facta eſt. inſuper ſicut eſca in hamo decipit piſcē, ſic peccatū fallit peccantē: quia dum vanè impiéque delectat, ad triſtitiam ſempiternā perducit. Hinc decimoquarto de ciuitate Dei aſſerit Aug. Dicere poſſumus omne peccatum eſſe mēdacium. Nō enim peccamus niſi ea voluntate, vt benè ſit nobis: & tamen hinc malè eſt nobis. Rurſus peccatum aſſimilat peccantem ſerpenti, qui graditur ſuper pectus, & comedit terram: ſic peccatores terrenis inhærent, & eis ſe ſatiare laborant. Peccatum quoque peccantē fatuum eſſe demōſtrat, quia peccādo quiſque ſeipſum magis magiſq; onerat, grauat, & opprimit. Ligna, quibus in inferno crematur, ſibi ſupra dorſum ponit, & colligit. Ipſi etiam ſeruit, qui nihil niſi eius æternam damnationem requirit, tantóque eum grauiùs cruciabit, quantò ſibi pleniùs ſeruit. Inſuper peccatum veram libertatem tollit, atque miſerrimā efficit ſeruitutem: quia (vt apud Euangeliſtam ſaluator teſtatur) omnis qui peccat, ſeruus eſt peccati. propterea quarto de Ciuitate Dei Aug. fatetur, Bonus, etiā ſi ſeruiat, liber eſt. Malus autē, etiā ſi regnet, ſeruus eſt tot dominorum quot vitiorū. Itemq; quarto de ciuitate Dei, Arbitriū hominis tūc verè eſt liberū, cùm vitijs peccatiſque non ſeruit. Salomon

Auguſt. (margin, beside "piternā perducit")

Auguſt. (margin, beside "tetur, Bonus")

Digitized by Google

mõ quoque in Prouer. lib. proteſtatur, Iuſtitia eleuat gentem, miſeros facit populos peccatũ. Si enim pœna facit hominem miſerum, multoque amplius culpa, tãtò vtiq; amplius, quò deteſtabilior eſt culpa quàm pœna. Vnde duodecimo de trinitate Aug. Velle, inquit, quod non decet, miſerrimum eſt. Et denuò, ſola mala voluntate quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quia deſiderium malæ voluntatis impletur. Et quia peccator vanis inhæret, peccatũ finaliter eũ, qui peccat, inanẽ, vacuumque relinquit, dicente Apoſt. ad Rom. Quẽ fructũ habuiſtis tunc (ſcilicet in peccatis, quando peccaſtis) in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Præterea peccatum præcipuè grauat peccatorem tẽpore mortis, facit enim eum dolere de temporalium rerũ, videlicet deliciarũ, diuitiarum, honorum quoque ſæculi huius, quæ inordinatè dilexit, amiſſione: facit quoque eũ timere de diuini iudicij diſtrictione, infernali punitione, & dæmonum occurſione, qui tunc potiſſimè nituntur peccatorem ad deſperationẽ ac alia mala inducere, tũcque dolet iniquus, quòd tempus ſuum tam infructuosè, ac vitiosè expendit & perdidit, ſed hæc eſt pœnitentia ſera. Ad hæc autẽ poſt mortẽ peccata ineffabiliter grauant animã

Prou. 4.

Auguſt.

Rom. 5.

ſtos, quoniã corã iuſto Dei iudicio oſtendũt eos cõfuſione ac pœna æterna digniſſimos, merẽturq; audire verbũ illud terri-
Mat.25. ficum: Ite maledicti in ignẽ æternũ Participatione ſuffragiorum eccleſiæ ſpoliat reprobos, irreparabiliter quoque tenẽt eos à ſummo bono, & fonte felicitatis auerſos. Poſtremò, ſicut peccata nocẽt exiſtentibus in peccato: ita grauãt & eos, qui pœnitendo à peccatis ſe retrahũt. Primò quia gloriã primæ innocẽtiæ nũquã recuperant: ſicut ſemel corrupta, nunquã erit virgo. Secũdò quia ad tẽporalem obligãt pœnã videlicet dignam ſatisfactione. Tertiò, quia retardãt à gloria, quã pœnitens non intrabit, donec ab omni reatu, maculaq; purgatus, ad baptiſmalẽ redeat puritatẽ. Quartò, quia tẽpus amiſſum, atque prẹteritũ, quod ſibi cũ prẹmio cõquirere potuit, nunquam recuperabit. Frequẽter quoque cõtingit ꝙ peccator pœnitens ex priſtinorũ vitiorum ſuorum reliquiis manet tepidior in affectu, ad faſtidiũ boni procliuior, in ratione obſcurior, ad benè agendum debilior, ad reſi-
Auguſt. ſtẽdum malis fragilior. Ea propter vndecimo de ciuit. Dei Auguſt. diſſeruit: Mẽs noſtra, cui ratio & intelligentia naturaliter ineſt, vitijs quibuſdã tenebroſis ac veteribus inualida eſt, nõ ſolùm ad inhærendum

Deo

Digitized by Google

Deo fruendo, ſed etiam ad perferendū incõmutabile lumen, donec de die in diem ſanata, ac reuocata, fiat tantæ capax felicitatis. Ex quibus pateſcit, quàm inſipiẽter ſe habeant, qui tardant cõuerti, & poſt certum tempus dicũt ſe velle omnino cõuerti, interim in ſuis vitijs permanentes. Non enim ritè perpendunt, in quanta interim dãna, nocumẽta, pericula incidant. Proinde peccatum ſemper pluribus nocet. Primò, ei qui peccat. Secundò, proximis, & toti eccleſiæ, quia interim proximus ſcandalizatur, & ipſa eccleſiæ acies ad ſtandum cõtra diabolum quodammodo minoratur, ac infirmatur in eo, qui impiè cõuerſatur. Tertiò, nocet in purgatorio cõſtitutis, quoniã non iuuantur tam efficaciter ab iniuſtis, ſicut à bonis. Quartò, nocet damnatis, quia quò plures in infernũ deſcendunt, tãtò eſt illic maior horror, vlulatus, ac cruciatus, ſiquidem ibi locũ non habet, quod dicitur, Solatium eſt miſero, ſocium habere malorũ. Quintò, nocet quodãmodo beatis in patria per modum ſubſtractionis: quò etenim copioſior eſt numerus beatorum, eò præmium accidentale fit maius ex ſocietate felici, vno de felicitate alterius gloriante. Poſtremò, ex recidiuatione in priſtina vitia, incurrit peccator plurima mala ac

damna:nam culpa ſit grauior ad dimittendum, Hiere. teſtante, Quã vilis facta es nimis iterans vias tuas. Vulnus quippe iteratum difficiliùs, tardiúsque ſanatur: Deus quoque ſit difficilior ad placandum, diabolus fortior ad poſſidendũ, quemadmodum Chriſtus in euangelio ait, quòd tunc vadit diabolus, & aſſumit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitãt ibi. Fiúntque nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Peccatum etiã fortificatur ad prçualendum rationis iudicio, ſicut de ſe loquẽs aſſerit Augu. Plus valebat malum inolitũ, quàm bonum inſolitum. Demũ & ipſe peccator fit impotentior ad ſurgendum. Ecce, mi prçclariſſime, quãta, & quàm ineffabiliter mala incurrit homo peccando. Et vtique, ſi iſta peccati nocumenta legendo, & cognoſcendo, vitam non corrigis, peccata non deteſtaris, puritati coram Deo non inſtas virtutum, inexcuſabiliter culpabilis comprobaris, neque naturalem egregię tuç indolis probitatem id aliquo condecet modo. Eluceſcit autem ex his, quàm verè ab Augu. dictum ſit 2. de ciuitate Dei, Peccatum nocet naturæ, & per hoc contra naturam eſt, quo tamen vitio magna multúmque laudabilis oſtenditur ipſa natura. Cuius enim ratione vitium vituperatur,

Hiere. 2. *Luce 11.* *Auguſt.* *Idem.*

tur, proculdubio natura laudatur, nam recta vitij vituperatio eſt, quòd illo dehoneſtatur natura laudabilis.

De nocumentis & effectibus peccati venialis. ART. XIX.

QVibuſdam ſatis videtur, ſi à mortalibus peccatis abſtineãt, infernaliáque tormẽta euadant. Vnde venialia vitare non enituntur, nec diligenti cordis inſiſtũt cuſtodiæ, nec ad perfectionem feruntur, ſed cum quadã mediocritate Deo ſeruire contẽti ſunt, non cum metu, tremore, atque timore ſuã ipſorum operantes ſalutem, iuxta Apoſtolicum documentũ. Iſti ſunt plurimum imperfecti & ſæpenumero dãnabiliter fallunt ſeipſos, ac pereunt nõ attendentes peccatorũ venialiũ nocumẽta, & quòd mortale nequeat euitare, qui venialia abijcere non conatur, quodã dicente: Qui negligit modica, paulatim decidet. Vnde ſecũdùm Hugo. Taliũ cõuerſatio eſt plerũque periculoſior, quàm eorũ, qui grauiter peccant, nõ quòd in ſeipſa deterior ſit, ſed quia interdum difficiliùs conuertuntur, & non putantes ſe in peccatis eſſe mortalibus, mortalibus contabeſcunt. Hinc ſecundùm Gregorium aliqui in peccatis minoribus tanto periculoſiùs iacẽt, quãtò illa minora ſunt. His quippe timendum eſt valdè, quod in

Hugo.

Gregor.

Apoc. in Apo loquitur Chriſtus, Scio opera tua, quia nec calidus es, nec frigidus. Vtinã calidus eſſes, aut frigidus. ſed nunc, quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Vt ergo, mi amantiſſime, ad pleniſſimam emendationem te dones, & minora ſicut maiora vites peccata, de venialiũ peccatorum nocumentis, atque effectibus modicũ tãgã: In primis igitur Gre. teſte, ſicut peccatum mortale obtenebrat, ſic veniale mẽtẽ obſcurat, & quodammodo maculat. Internam nanque animę pulchritudinẽ minuit, rationiſq́, lumen partim obfuſcat, ſicut & immundi pulueres in oculũ corruẽtes. Secundò veniale peccatum ad pœnam obligat, vel in præſenti, vel in purgatorio, aut in inferno luendam, nullum enim malũ relinquitur impunitum. Sed pœna pro veniali in hoc mundo perpeſſa, aut patiẽda quaſi incomparabiliter minor eſt pœna illa, quæ in purgatorio ei debetur. In inferno autem propter mortale, cui adiunctum eſt, æternaliter puniri aſſeritur. Tertiò veniali poteſtas animę ad bona laſſatur, ac retardatur, quoniam aliqualiter onerat eam. Quartò feruorẽ charitatis diminuit, ſicut modica aqua in ignem proiecta ignis minuit caliditatẽ. Quintò veniale perfectionis adeptionem tantò plus impedit, quãtò minus

Digitized by Google

minus vigilanter vitatur ac deploratur. Idcirco & multi religioſi ad verá perfectionem parum propinquāt, vel nunquá attingunt, quoniam venialia cũ inceſſabili diligentia non declinant, nec mentem ſuam in diuinæ, æternęque lucis prę ſentia ſemper timoratè conſtituunt, imò faciliùs ad inania reſoluuntur. Sextò familiaritatem mentis cum Deo, ſpiritualémque illam ſecretam cõſolationem ſpiritus ſancti, & guſtum bonitatis diuinæ, non modicè impedit: niſi quis quotidiano feruore venialia iſta deploret, caſtiget, extirpet. Septimò, retardat à gloria, quā nemo ingreditur niſi ab omni venialium culpa pœnáque plenè mudatus. Octauò, ſicut in præſenti charitatis feruorem, perfectionis incrementũ diminuit ita in patria felicitatis præmia aliquomodo minora: nõ illa, quæ iam charitati, & bonis debentur operibus, ſed quę deberẽtur, ſi venialia nõ fierent, quia tunc opera ex feruentiore charitate procederẽt. Nonò, venialia ad mortalia prædiſponunt, niſi dignè iugiter emendentur. Decimò, facit tempus infructuoſè ac negligẽter expendi: poſſẽtque maxima bona fieri interim dũ venialibus peccatis ſumus intenti. Præterea, ſicut ad remiſſionẽ mortalium requiritur deteſtatio vitij cum volũtate

tate de cætero abſtinendi:ſic & veniale in hac vita nõ dimittitur, niſi actu atque propoſito deſeratur. Itaque his venialiũ nocumentis, affectibúsque pẽſatis, retrahere ab eis, quemadmodum vera poſtulat ratio:

De infinita miſericordia Dei. ART. XX.

DE enormitate, fœditate, ac impietate peccati iam dicta ſunt multa, & quàm Vehemẽter Deus ſanctus, ac ſuperſublimis inhonoretur peccatis, eadẽque deteſtetur, vtcunque nũc patefactum eſt. Ne ergo ex horum cõſideratione quiſpiã in puſillanimitatẽ labatur, aut deſperatione frãgatur, vel nimio mœrore deficiat, ſeu ſcrupuloſitate indiſcreta tabeſcat: aliquid ſuper incomprehenſibili, & immenſa miſericordia Dei dicendum eſt. Itaque ſicut bonitas Dei eſt pura, infinita, & ſuperplẽdiſſima: ita dulcedo, liberalitas, atque clementia eius eſt prorſus illimitata, ineffabilis inexcogitabilis, omnem noſtrã malitiam, indigentiã, miſeriámque in infinitũ excedens, ac ſuperans, incõparabiliter vtique amplius, quàm vniuerſa pelagi aqua minimã guttam, aut moles orbis cœleſtis minutiſſimũ granum. Nemo ergo vitiorum ſuorum enormitate deſperet: quia per hoc diuinæ miſericordiæ maximam irrogaret iniuriam, incrcatámque veritatem Dei altiſſimi vehemen-

Digitized by Google

mentiſſimè inhonoraret; quaſi minor eſſet bonitas, atque clementia Dei, (qui omnibus quãtuncũque iniquis, tamẽ veraciter pœnitentibus, veniã ſpopondit, & gratiam) quã ſua iniquitas. Denique nõne ſuperinfinita eſt miſericordia Dei adorandi, ac glorioſi, qui omni momento cernit tot peccata committi in ſeculo, ſéque à tot tam ineffabiliter inhonorari, ſperni, & blaſphemari, & tamen conſeruat eos in eſſe bona naturæ, atque fortunę inceſſãter communicat eis, alit, veſtit, ac prouidet. Imò cùm iuxta præhabita, tam incõprehẽſibilis ſit enormitas peccati mortalis, nonne in hoc innoteſcit magna, & mirabiliter infinita pietas Dei, quòd vnquam dignatur ei recõcialiar, aut eum inſpicere, vel ad ſuã charitatem & gratiam capere, à quo vel ſemel mortali peccato offenſus eſt! Et ecce illos, à quibus toties, tãque grauiſſimis eſt peccatis offenſus, contemptus, terrenis rebus poſtpoſitus, nõ ſolùm ad veniã pacẽ, & gratiam dignatur recipere, ſed & ſæpè incõprehenſibili pietate præuenit eos, & corda eorum compunctione interna immutat feliciter ad ſalutem, omnem cordis duritiam tollens ab eis, & tanta eos gratia implens, vt vbi abundauit iniquitas, ſuperabundet & gratia, atque ex inimiciſſimis fiãt

Deo chariſſimi. Non ergo eſt deſperandũ de aliquo Proinde, vt ait Bonauent. Deus ex miſericordia ſua peccatores patiẽter expectat, benignè reuocat, puniri, & vlciſci diſſimulat, à multis periculis liberat, gratiam liberaliter donat, datam multiplicat, multiplicatã conſeruat, cõſeruatã in cæleſtibus præmiat. Denique Deus peccatorem ad ſe redeuntẽ hilariter ſuſcipit ad pœnitentiã, cor emollit, offenſam citò dimittit, iniuriæ poſt remiſſionem non meminit. Rurſus ex miſericordia dat Deus aduerſa, vt peccata expurget, dat proſpera, vt ad amorem prouocet, dat ſacramenta, vt meritũ accumulet, dat præcepta, vt pręmio ditet. Poſtremò Deus ex miſericordia ſua errãtes ad ſe reducit, redeuntes ad ſe conducit, cadentes erigit, ſtantes ſuſtẽtat, perſeuerantes ad gloriã introducit. Ecce quanta & quàm verè ineffabilis, incomprehenſibilis, & immenſa eſt Dei noſtri clemẽtia, pręſertim ſuper electos. Veruntamẽ ex hac diuinę miſericordię cõſideratione nemo audẽtiùs peccet, de diuina benignitate inſipientiſſimè præſumẽdo. Maledictus nãque qui peccat in ſpe, nẽpe quò meliorem, ac clementiorẽ Deũ eſſe cognoſcimus, eò intentiùs ipſum amare debemus, nõ inhonorare, ac ſpernere. Vnde inter deſperationẽ ac

præſum

præſumptionem ſapientiale medium obſeruemus, cum timore ſperando, & cũ ſpe timendo, ſicque ſollicitè, ac amorosè coram Deo iugiter conuerſando.

De his, quorum conſideratione peccata efficaciùs euitantur. ART. XXI.

MVlta, & pene innumerabilia ſunt, quę nos ad euitandum vitia debẽt inducere. Primò conſideratio breuitatis, vanitatis, inſtabilitatis atque fallaciæ vitæ prędentis. Quæ enim eſt vita noſtra, niſi fumus celerrimè euaneſcens, & vapor ad modicum parens? Etenim dies noſtri ſicut vmbra ſupra terram, & nulla eſt mora quantũ cunque etiam longa videatur aut fuerit in hoc ſæculo vita noſtra, tamẽ comparatione vitæ futuræ nunquam finiendæ, eſt tanquã momentũ, ſecundũ quod ſanctus Iob loquitur: Parce mihi, domine, nihil enim ſunt dies mei. Videmus quoque ad oculũ, quam multos, & innumerabiles fallat quotidie vita præſens: qui mundi huius diuitijs deliciis, atque honoribus delectati, obtenebrati, infatuati, ea quæ ſalutis ſunt, negligunt, ſpiritalia bona non expetunt, neque ad mortem omni die ſe pręparant. Ideo ſicut viuunt, ſic finiunt Et ſicut Deum infeliciſſimè inhonorant, dum ſani, incolumésque conſiſtunt, ſic tẽpore mortis ab

Iob. 7.

ipſo iuſtiſſimè relinquuntur, ſpernuntur, & condemnantur. Nonne ergo ſalubrius eſt vitã hanc pro amore futuræ æternæq; feliciſſimæ vitæ contemnere, omnem ipſius vanitatem ac impietatẽ abijcere, & bono illi diuino, æterno, immẽſo fideliſſimè adhærere? Ecce in hac præſenti inſtabiliſſima vita, neceſſe eſt nos aut æternam felicitatem, aut æternam damnationem mereri. Elige igitur, mi amantiſſime, quod tibi ſalubrius conſpicis, & peccata cordialiſſimè deteſtare, odi, deuita. Secundò, ad vitanda peccata valet nõ modicè diligens cõſideratio mortis, nobis inceſſabiliter ac velociſſimè propinquãtis, in qua finem miſerrimum ſortietur vita vitioſa, quæ modò delectat. Tunc enim quærẽt peruerſi (huic mundo magis quã Deo intẽti, ac adhærentes) vnius horæ inducias, & ſola eorũ peccata migrabunt cum eis. Tertiò conſideratio ſummę ac rigoroſiſſimæ diſtrictionis diuini iudicij, vtpote quàm horribile erit ſtatim poſt mortem ante Chriſti tribunal præſentari, ab ipſo iuſtiſſimè iudicari, ſuæ prolationem ſentẽtiæ præſtolari, à dæmonibus, ac propria conſcientia accuſari, coram Deo & ſanctis ipſius vitioſus videri. Itẽque conſideratio extremi ac generalis iudicij in fine mũdi vẽturi, quod adeò erit terri

terribile, vt nulla illud lingua queat exprimere, nulla mens viatorum concipere. Itaque qui profundè conſiderat, quàm miſerabile, triſte, horribile erit tunc cum corpore & anima in infernalem lacum deſcēdere, in ignem æternum corruere, in tenebroſiſſimo inferi carcere in æternum, ac deſperabiliter clauſum manere, diabolorum doloroſiſſima ſocietate potiri, & vltra quàm dici poſſit indeſinenter torqueri, is indubitanter peccata vitabit, commiſſa deplãget, cor ſuum timoratè cuſtodiet. Quartò, conſideratio efficax totiùs infernalis ſupplicij. Itaque quē mundus iſte, & carnis voluptas, vel vanitas cordis delectat, ac allicit, ſi ritè perpenderit, ad quantam deſolationē, æternalēque pœnā, & omniū calamitatum, ſeu miſeriarum plenitudinē prædicta perducant, ea protinus abhorrebit ac fugiet. O mi amabiliſſime frater, vtinā tibi iſta, vt dignum eſt, ſaperēt, quā promptiſſimè tunc mundum deſpiceres. Ecce enim quis velit nunc per vnius ſpatium horæ in fornace ardente pro toto mundo iacere? Cur ergo non vitas quotidiana peccata, etiam veniáliſſima, quibus tanta in purgatorio infligenda eſt pœna, grauior omni ſupplicio, quod in præſenti infligi poterit vita? Iſtæ quatuor cōſiderationes à peccato

Digitized by Google

retrahẽtes pręcipuè pertinent ad imperfectos & inſipientes, qui timore mali potiùs quàm boni amore declinant à vitijs. Quintò autem valet ad idem conſideratio illius ſummæ & incomprehenſibilis felicitatis cæleſtis, quam Deus daturus eſt ijs, qui eius amore vitãt, odiúntque peccata. Cùm ſpes præmij minuat vim flagelli, nihil in ſęculo iſto eſſe poteſt tam laborioſum, pœnale ac arduum quod non prõptè, & æquanimiter ſuſtinebit, qui æternæ illius beatitudinis inexcogitabilem gloriam dignè perpenderit. Sexto, valet ad idem deuota, fiducialis, ac frequens oratio, vt homo ſine gratia Dei pijſſima ſe non poſſe peccata effugere penſans, nõ ceſſet Deum pro gratia virtuoſè viuendi præcordialiter exorare
Gregor. Oportet quippe (vt ait Gregor.) ſemper orare & non deficere. Quoniã quidẽ verè peccatores ſum⁹ atq; indigni per nos ipſos gratiæ thronum, & Deum maieſtatis accedere, virginem ſanctã, alioſque ſanctos, ac ſanctas in patrocinatores eligamus, ac inuocemus. Septimò ad vitandum peccata prodeſt pręcipuè conſideratio diuinæ præſentiæ, qua Deus nos vbique, & ſemper intuetur, atque cõſiderat: ex qua cõſideratione oritur in nobis caſtus pudor de omni inhoneſto. Octauò, conſideratio beneficio

ciorũ ipſius. Porrò ad perfectos potiſſimè attinet vitare peccata, ex conſideratione diuinæ bonitatis,cui in peccato bonũ caducum præfertur. Ex conſideratione quoque diuinæ maieſtatis, quæ peccato mortali infinitè quodãmodo inhonoratur. Itẽ ex conſideratione diuinæ ſanctitatis & æquitatis, cui peccatum diſplicet infinitè: Ex cõſideratione etiam charitatis diuinæ, qua Deus prior dilexit nos.Inſuper ex ipſo virtutũ,ac puritatis amore,& deformitatis peccati horrore, quemadmodum quidam aſſeruit.Quãuis ſcirẽ Deum mihi ignoſciturum,nõ peccarẽ propter peccati inordinationẽ. At verò in profectu religioſorum conſcribitur,quò generalia remedia contra peccata communiter ſunt hęc:Primum eſt volũtaria paupertas,vt homo in omnibus patiatur penur iam etiam in veſtitu,ac victu,cæteríſque neceſſariis Quemadmodum enim tẽporaliũ abũdantia plurimorum eſt occaſio vitiorum: ſic paupertas à multis retrahit malis.Secundum eſt deſpectio hominum,vt quis in omnib.cõtemnatur,exprobretur, & confundatur, ſic enim ſuperbiæ tumor reprimitur, ſingularisque gratia à domino impetratur. Tertium eſt ſtrenuum magiſteriũ, quo homo cogitur facere, quæ ſibi aliàs diſplicerent, & ea *Ioan.2.*

omittere, quæ libenter efficeret, atque in ſingulis propriam relinquere voluntatem Quartum eſt elõgatio à ſæculariũ conſortio, per quod quies, & puritas animæ impeditur. Quintum, eſt quancunque aduerſitatẽ ac tribulationem patiẽter ſufferre Ea, ſicut ſancti patres in eremo concorditer docuerunt, ad vincendũ tentamẽta diaboli & peccata potiſſimè iuuat, proprij cordis ſecreta alicui viro ſpiritali idoneo plenariè aperire, eiúſque conſiliis aſſentire. Diabolus namque cùm ſit princeps tenebrarum, odit, fugitque lucẽ ſeu fraudũ ſuarum manifeſtationem, ac humilem ſuiipſius accuſationẽ, inſidiarum autẽ ſuarum occultationem maximè amat. Hinc ait ſaluator: Omnis, qui malè agit, odit lucem, qui autẽ facit veritatẽ, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta. Verũ aliqui ſunt malè ac periculoſè verecundi, cogitationũ, affectionũ, & tentationum ſuarũ ſecreta pãdere non volẽtes modo nunc tacto, idcirco victi labuntur, & variis vitiis implicãtur. Certum eſt inſuper, quòd frequẽs, atque deuota ſacramentalis confeſſio plurimum valet ad fugiendum peccata, & gratiã promerendam. Imo, ſicut quilibet Chriſtianus debet quotidie ſaltem aliqua hora, actualem habere peccatorum

ſuo

Digitized by Google

ſuorum contritionem, ſic quoque debet quotidie firmum habere propoſitum confitendi tempore opportuno. Similiter fugere otia, prodeſt ad vitandum peccata. Otia namque dant vitia. Ideò aſſumenda eſt ſemper aliqua occupatio fructuoſa. Præterea reor quòd nihil efficacius ſit ad omnia mala vitanda, ad reſiſtendũ diabolo, ad proficiendum in omni virtute, charitate, & gratia, ad inſiſtendum ſanctis operibus, ad vacandum Deo mente compuncta, dulci ac pia, quàm interna, frequens ac diligens meditatio dominicæ paſſionis. In hac enim videmus, quantum Deus dilexit nos, quantum etiam patientiam, manſuetudinem, humilitatem Chriſtus in paſſione monſtrauit ac docuit, & qualiter in cruce diſtentus pro occiſoribus ſuis precatus ſit: quæ omnia dignè pẽſando, omnem ſuperbiam, iram, impatientiam, carnalitatem, atque inuidiam abijciemus, charitati, mitigati, patientię, pœnitentiæque ſtudentes. Ecce, mi prædilecte, omnium horum iam deſcriptorum conſideratio prouida ad vitandum ea, quæ Deo diſplicent, & tibi potiſſimè nocent, id eſt, peccata, te ſemper inducat, vt mente purgata, creſcas ſemper in charitate diuina & gratia, vniuerſiſque chariſmatibus ſpiritus ſancti.

Quomodo habere ſe debet, qui ad perfectionem cupit pertingere. ART. XXII.

QVicunque internæ puritati, ac ſanctitati optat ſtudere, verámque perfectionem attingere, primò omnium debet totam conuerſationem ſuam, in vera humilitate ac diuino timore fundare. Deus namque ſuperbis reſiſtit, humilibus verò
1.Pet. 5. dat gratiam tantò pleniorem, quò profun-
Iacob 4. diorem habuerint humilitatem. Et rurſus
Eccl. 27. ait ſcriptura: Si non in timore Dei tenueris te inſtãter, citò ſubuertetur domus tua. Secũdo, debet venialia peccata quaſi mortalia abhorrere ac fugere, quantum poſſibile fuerit: eo quòd venialia incremẽtum gratię, charitatis feruorem, ſanctitatiſq; munditiam modo præinducto impediant. Sed ſine venialibus eſſe, & viuere, non valemus, per tempus notabile. Tertiò, debet vitam ſuam in omni die, & nocte frequenter, ac diligentiſſimè conſiderare, venialia deplorare, punire, ſeque in omnibus diiudicare, humiliare ac ſpernere: aliorum autem facta non debet curiosè obſeruare aut iudicare. Quartò, debet in omnibus, quæ agit, oculum circunſpectionis habere, actualitérque attendere, & curare, ne Deum aliquo modo offendat. Cùm enim in actibus humanis in-

diui

diuidualibus non ſit indifferens (vt Sanct. Thomas affirmat) ita quòd omnis actus hominis ex rationis deliberatione procedens eſt vel bonus & meritoriùs, vel malus moraliter ac demeritorius, certum eſt, quòd niſi quis in vniuerſis, quæ agit, circunſpectè omnino ſe gerat, in multa venialia incidet. Ideò ſcribit ad Timotheum Apoſto. *1. Tim. 5.*
Sine præiudicio nihil facias, id eſt, præuio diſcretionis iudicio. In Eccleſiaſt. quoque *Eccle. 23.*
conſcriptum eſt: Fili, ſine conſilio nil facias, & poſt factum non pœnitebis In omnibus ergo penſandum eſt, an liceat, an expédiat, an proſit. An liceat quoad Deum, an expediat ad proximi ædificationem, an proſit ad meritum ipſi, qui operatur. Qui talis eſt, ſemper, omníque loco timoratè ſe habet, qualis fuit S. Iob: Vere- *Iob. 9.*
bár, inquiens, omnia opera mea, ſciens quòd non parceres, domine, delinquenti. Quintò, debet omni cuſtodia cor cuſto- *Prou. 4.*
dire, ne aliqua cogitatio vana, vel affectio inordinata in eo moretur. Sextò debet ſibi in conſuetudinem vertere, vt ſiue comedat, ſiue bibat, ſiue ſe veſtiat, vel quicquid foris peragat, aut laboret, aut alios audiat, aut alijs ipſe loquatur: ſem- *Pſal. 5.*
per, quantum gratia auxiliãte potuerit, cor ſuum leuet ad Deũ, & intra ſe aliquid diui-

Digitized by Google

Pſal. 50. num reuolat, dicendo mẽtaliter: Cor mundum crea in me, Deus, & cætera, quę deuotioni ſuę dulciora, conuenientioráque fuerunt. Præſertim verò debet Deum inceſſanter precari pro gratia ampliori, & cordis cuſtodia. Septimò, debet in omnibus ſynceriſſimam intentionem habere, Dei venerationẽ feruenter zelando, magis quàm propriũ meritum, aut præmium cogitãdo. Octauò, debet in omni aduerſitate, & corporis afflictione cordialiter iucundari, inquantum hæc ſibi proficua ſunt quantum
Bernard. ad Deum. Verùm, quoniã ingratũ eſt ſpiritui ſancto, quicquid ei obtulerimus, neglecto eo, ad quod tenemur, debet in primis debita ſua reuerenter Deo perſoluere, vtpote orationes vel horas, verba diuina ac ſacra diſtinctè pronunciando, corde tenus aduertendo, & quaſi cum guſtu mentis velut ex proprio affectu ea formando: ſi tamen ſenſum verborum intelligat: alioquin cor ſuum ad Deũ ſalubriter erigat, eius bonitatẽ, pietatẽ ac beneficia contemplando. Poſtremò ad deuotionis exercitationem valet ſubinde tunſio pectoris, proſtratio corporis, oculorũ ac manuum ad cælos leuatio. Hæc amãtiſſime frater, ruditer, cele-
Iacob. 1. ritérque prout occurrit memoriæ, & Deus ipſe (à quo omne effluit bonũ) dare dignatur,

tur,

Digitized by Google

tur, tibi deſcribo, vt ad perfectionis amorẽ cor tuum inflammetur, & qualiter ea adipiſci poſſit agnoſcat. Verè enim, ſi naturalibus donis tibi diuinitùs ingeneratis ſapienter fueris vſus, cum mira facilitate ad ſingularẽ perfectionem pertinges. Idcircò vehementer hortor, cupio, vt affectus tuus circa iſta terrena ſit ordinatus, tẽporales diuitias nõ ampliùs appetẽdo, quàm neceſſitas exigit, temperata vita requirit, interiórque animę tuæ profectus in ſpiritalibus poſtulat. Ait enim IX. de ciuitate Dei Auguſt. Incorporali, ęterno, & incommutabili bono eſt anima hominis tanto diſſimilior, quãto rerũ tẽporaliũ, mutabiliũque cupidior. Sed & carnis delectationes impuras penitùs aſpernerit, quia vt II. de trinitate loquitur Auguſt. Anima rationalis tantò ſpiritualior, mundior, ardẽtiórque efficitur, quantò ampliùs carnalibus moritur. Denique quãtò anima tua corpore tuo extat præſtantior, tantò diligentiùs interiorẽ ornatũ virtutum, ſpiritualéſque diuitias ames, quæras, & congreges: quàm exteriorem corporis, aut veſtitus decorẽ: non hominibus complacere deſiderãs, ſed creatori, ſaluatori, ac iudici tuo præmetuendo, qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis, & benedictus. Amen.

D.

D. DIONYSII CAR-
THVSIANI, SPECVLVM

ſiue dialogus de conuerſione peccatorum.

Colloquutores. Iuſtus, Peccator.

PROOEMIVM.

IVSTVS.

Oſa. 14.
Peccatum quid ſit.

CONVERTERE ad Dominum Deum quoniam corruiſti in iniquitate tua. Cùm peccatum ſit auerſio, ac receſſus mentis creatę à ſummo, immenſo, & incommutabili bono, atque cõuerſio quędam inordinata ad bonum creatum, caducum, & vanum: conſtat, quòd ipſũ peccatum ſit maxima, profundiſſimáque ruina, puta lapſus à ſummo ad infimum, ab optimo ad peſſimnm, à digniſſimo ad viliſſimum. Idcirco peccator merito ſuæ tranſgreſſionis repelli meretur à Deo al-
Apo. 18. tiſſimo, ac præcipitari in profundiſſimũ inferorũ, vt culpę correſpondeat pœna. Cùm ergo hoc ita ſit, admoneo te, peccator, vt, relicto impietatis tuæ errore, te ad inferos pertrahente, ad tuũ redeas creatorẽ: ad

tuæ

Digitized by Google

tuæ ſalutis fontē, in quo ſolo ſalus tua cō-
ſiſtit. Vſquequo per abrupta ambulas vitio-
rum? Cur itinera eligis tenebroſa, ad terrā
mortis caligine coopertā ducētia? Aperi o- *Matt. 7.*
culos cordis, & penſa quò tendas PECCA- *Rom. 14.*
TOR. Quis tu, qui me increpare, docere, iu-
dicare præſumis, cum ſcriptū ſit: Nolite iu- *Leui. 19.*
dicare, & non iudicabimini? Item, Tu quis
es, qui iudicas alienum ſeruum? Suo Domi-
no ſtat aut cadit. IVST. Putásne intelligis,
quę allegas? Nōne ſicut de occultis & igno-
tis iudicare vetamur, ſic de manifeſtis iu-
dicare liceat? Imo & ſæpè iubemur, quemad-
modum per Moſem loquutus eſt De[9]: Iu- *Eodem.*
ſtè iudica de proximo tuo. Et cur increpatio-
nē grauiter accipis, cū rurſus per Moſem
loquutus ſit Dominus: Publicè argue fra-
trē, ideſt, proximū tuum peccātē: ne habeas
ſuper illo peccatum? Cur nō attēdis, quòd
Salomon dixit: Viro, qui corripientē dura *Prou. 29.*
ceruice cōtēnit, repentinus ſuperueniet in-
teritus? An nō credis, quod aſſerit Aug. Si *Auguſt.*
increpare errantem neglexeris, peior eo
efficieris? Nonne peccantē & nō corripien-
tem, eadem inuoluit damnatio? PECC. *Luc. 12.*
quis te huc adduxit, & quis te cōſtituit iu-
dicē ſuper me? Cur me turbas, & inquie- *Exod. 2.*
tas, & à concupita delectatione me impe-
dis? IVST. An ignoras, quòd in Eccleſiaſti- *Eccle. 17.*

co ſcriptũ eſt: Vnicuiq; mandauit Deus de
Mat. 21. proximo ſuo? Nónne tenemur diligere
proximos noſtros ſicut noſipſos? Attende
quod ſummus præcipit iudex: Si peccaue-
Mat. 18. rit in te (id eſt, te ſciente) frater (id eſt pro-
ximus tuus) corripe eum inter te, & ipſum
ſolum PEC Vnde aduenit mihi tribulatio
iſta, qui ſine reſiſtētia in delicijs viuere ſta-
tui? Nónne & peccator es, cum Iacobus di-
Iacob. 3. cat Apoſtolus: In multis offendimus om-
nes? IVST. Videtur mihi impleri in te,
Prou. 17. quod Salomõ dixit: Impius, cũ in profun-
Amo 15. dũ venerit peccatorum contemnit. Amos
quoque propheta: Odio habuerunt corri-
Hiere. 4. pientē. Et itē quod loquitur Hieremias, Sa-
piētes ſunt, vt faciãt mala. Sic quippe & tu,
qui in ſcripturis eruditus eſſe videris, per
Homo eaſdem te armas ad impietatem. Hoc eſt,
multis ad excuſandum, & palliandum vitia tua, &
modis pec ad redarguendum increpantem, & exhor-
cator in tantē te charitatiuè. Veruntamen, vt tuę ſa-
ſcripturis tisfaciam obiectioni, homo in ſcripturis
vocatur. multis modis vocatur peccator. Primò
propter originale. Secundò propter venia-
le. Tertiò, propter mortale peccatũ, in quo
fuit, quãuis nũc in eo nõ ſit. Cùm & Paulus
1. Tim. 1. Apoſtolus proteſtetur, Venit Ieſus pecca-
tores ſaluos facere, quorũ primus ego ſum.
Quartò, ꝑpter mortale, in quo iacet. Por-
rò

rò qui à mortalibus vitijs abſtinet, de venialibus quoque dolet quotidie, & ea deplorat, virtutibuſque inſiſtit, faciẽs q; tenetur, iuſtus cẽſetur, cui & licet, imo iniũgitur, vt eũ qui publicè peccat, corripiat. PE. Scriptũ eſt, Vbi nõ eſt auditus, nõ effundas ſermonẽ. Et ruiſus, Ne mittas falcẽ tuã in meſſem alienam. Deſine ergo eſſe ſolicitus mei, ætatẽ habeo, præcepta cognoſco, permitte me agere, quod delectat. IV. Sapientia tua, & ſciẽtia tua te deceperũt, vt aſſerit Eſai. Ea quoq; quæ noſti, impertinẽter allegas. Aduerte, quod ſãctiſſimus ait princeps Apoſtolici agminis: Melius erat nõ cognoſcere viã iuſtitiæ, quã poſt cognitionẽ retrorſum reuerti. Recordare, & expaueſce, quod filius Dei deprõpſit, Seruus, qui cognouit voluntatẽ Domini ſui, & non fecit, plagis vapulabit multis. Noli Phariſæis te cõformare, qui dixerũt ad lumẽ: Nunquid & nos cæci ſumus? Ne merearis audire, quod illi audierũt à iudice: Si cæci eſſetis, nõ haberetis peccatũ: nunc autẽ, quia dicitis. Videmus, peccatũ veſtrũ manet. PECC. Aduerte tu illud Apoſtoli. Qui ſe putat aliquid eſſe, cũ nihil ſit, ipſe ſeducit. Itémque, Qui ſe putat aliquid ſcire, nõdum cognouit, quemadmodũ oporteat eum ſcire. Cur ergo te eleuãt cor tuũ, & quaſi magna cogit

1. Tim. 6. *Eccle 32.* *Eſa. 47.* *2. Petr. 2.* *Luc. 12.* *Ioan. 9.* *Ibidem.* *Galat. 6.* *1. Cor. 8.*

cogitans, attonitos habes oculos? Cur ſapiētis, ac iuſti officiū tibi aſſumis (ne dicā
Iob. 20. vſurpas) ſicque ſapientē ac iuſtū te eſſe præſupponis, aut iactas? IV. Erinacio aſſimilaris: & dialecticus acer, & recēs effectus es. Verùm, vt cerno, correptione acuta non emendaris, nec proficis imò potiùs obduraris: Aliud ergo aſſumam genus ſermonis, quo te ad tuorum recognitionem, deplorationem, emendationémque vitiorum, ac periculorum queam reducere.

COLLOQVVTORES, SENIOR, ET IVVENIS.

Captatio beneuolentiæ peccatoris.

ARTICVLVS I.

SENIOR.

Prou. I. AVdi, fili mi, diſciplinam patris tui, vt addatur gratia capiti tuo. Fili mi, ſi ſuſceperis ſermones meos, vt audiat ſapiētiam auris tua, tūc intelliges iuſtitiā, & iudicium, & æquitatem, & omnem ſemitam bonam. IV. Quæ eſt hæc vox dulcis, quæ reſonat in auribus meis? SEN. Amator ſum animæ tuæ, & eius opto ſalutem. Et quoniā extra viam ſalutis te eſſe intueor, ad vitam ſalubrē & rectam te reducere nitor: ideo dulcibus paternæ charitati verbis te affari & aggredi orſus ſum. IV. Quemadmodum omnes homines naturaliter

liter ſcire deſiderant, ſic & beatitudinem *Philoſo.*
omnes naturaliter cupiunt. Ideò informa
tionem ad beatitudinem obtinendam ten- *Pſ.110.*
dentem ac proficientem abijcere, impro-
bum fateor, & peruerſum. Nunc ergo me *Pro. 19.*
doce, & feſtinabo accipere. SEN. Initium *& 15.*
ſapiētiæ, quam te cupio edocere, eſt timor *Eccl. 25.*
Dei, vt deſiſtas ab omni iniquitate. Hoc *Bernard.*
itaque in primis te hortor, & inſtruo, vt *Benedi.*
timeas Deum, atque ad mādatorum īpſius
obſeruantias te extendas. Quia ingratum
eſt Deo, quicquid egeris, quicquid ſtudueris, quicquid ei obtuleris, neglectis his ad
quæ teneris. IV. Putabam, quòd in ſcientijs
naturalibus, & ſpeculatiuis, erudire me
velles. Nam & in ſapientia, quæ ſpeculati- *Philoſo.*
ua vocatur, magis quàm practica beatitudo conſiſtit, ſicut decimo Ethicorum ait
Philoſophus, Quòd in ſpeculatione optimi ſpeculabilis, conſiſtit felicitas. SEN. Ad
ſapientiam illam, eiúſque contemplationem per moralem ſcientiam practicam
peruenitur. Ethica namque ad theoricam
introducit. Primò itaque moralia ſcripturæ ſanctæ documenta tibi propono,
quorum finis eſt operatio bona, & conuerſatio virtuoſa. Siquidem quid virtus,
quid vitium, quæ mandata ſint obſeruāda,
diſcimus & docemus, non principaliter vt

ſciamus,ſed vt benè viuendo,virtuoſi efficiamur. Niſi iſtā ſcientiā in primis habueris,& vixeris iuxta eā, nūquā ad ſapiētiam ſalutarē, nunquā ad felicitatem pertinges. IV. Bona, fateor, eſt iſta moralis doctrina, ſed iuxta eam viuere, præſertim in iuuentute, moleſtum videtur. Eſtque difficile & cū pœna quadā cōiunctum, in timore Dei aſſiduè ſtare SE. Longè aliter ſenſit,qui dixit, Nihil dulcius, quā timere Deum. Et denuo: Timor Domini delectabit cor. Nihilominus, ſicut dicis: In ſeruili timore ſic iugiter eſſe, eſt graue. Sed arcta eſt via ſalutis. Et regnum cælorum vim patitur. Atq; neceſſe eſt vincere ſemetipſum. Denique (ſicut dixit Apoſtolus,) Hi qui ſunt Chriſti, carnē ſuā cum vitiis & concupiſcentiis crucifigūt. IV. Durus eſt ſermo iſte, & quis iuuenum poteſt eum audire, ac adimplere? Quis ſic refrænare poteſt ſeipſum, cū naturale ſit homini, liberum eſſe, ac libertate gaudere? SE. Duorum tibi optio datur: Aut temporaliter atque carnaliter nūc gaudere cū ſeculo, & poſt vitā hanc breuē damnari, & puniri ęternaliter in inferno. Aut certè in vita hac per arctā viā ſalutis incedere, & de culpis pręteritis pœnitere: ſicque poſt vitæ huius curriculū æternæ beatitudinis conſequi brauium. IV. Grauis conditio

Cur quid diſcimus aut docemus.

Eccl. 33.
Eccle. 1.
Mat. 7.
Mat. 11.
Galat. 5.
Ioan. 6.
Gregor.
Matt. 7.

tio,atque horribile verbũ, & tamen inter hæc duo medium eſſe videtur. Quòd ſi nõ eſſet, quis non potiùs eligeret tẽporaliter pœnitere in hac tota vita, quã poſt eã ſortiri æterna ſupplicia? SE. Quod eſt medium illud, cùm dicat Hierony. Impoſſibile eſt iam gaudere cum mũdo, & poſtea regnare cum Chriſto? imo cùm proteſtatur veritas ipſa. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis? IV. Veritas non dixit, niſi pœnitentiam egeritis in iuuentute, peribitis: ſed, Niſi pœnitẽtiã, inquit, egeritis, ſubintelligẽdũ eſt, aut terminum huius vitæ, peribitis. Et quod affirmat Hierony. Impoſſibile eſt iam gaudere cum mundo, & poſtea regnare cum Chriſto, ſic reor intelligendum, quòd impoſſibile ſit toto huius vitæ tempore gloriari cum ſæculo, & poſt vitam hanc beatificari in Deo. Verùm poteſt contingere, imo cõtingit quotidie vt aliquis in iuuentute in deliciis conuerſatus, libertatéque propria ad libitũ vſus, in ſenio conuertatur. Inſuper creditur frequẽter accidere, vt aliquis in iuuentute, ac ſenectute conuerſatus iniquè, in ipſo mortis articulo pœniteat, ac ſaluetur. Nónne in extremis plurimi cõuertuntur? Et certè vbicũque ceciderit lignum, ibi erit, ſiue ad auſtrum, ſiue ad aquilonem. Quis tã enor-

Hieron.

Luc. 15.

Hieron.

Eccl. 11.

2.Para. 10. miter videtur peccaſſe, etiã in tota ſua iuuẽtute, ſicut Manaſſes rex Iuda, qui tamen in ſenectute verè pœnituit? S E. Satis abundas in verbis, & in acumine intellectus, imo & in ſcripturis, ſed vtinam omnibus his ſalubriùs vtereris. Hinc frequenter cõtingit, vt difficiliùs ſit cõuertere ingenioſos, ac literatos, atque prudẽtes ſeculi huius, quã idiotas ac ſimplices. Ad quod inſi-
1.Cor. 1. nuandũ dixit Apoſtolus: Videte vocationẽ veſtrã, fratres, quia nõ multi ſapiẽtes ſecũdùm carnẽ, nõ multi potẽtes, nõ multi nobiles ſunt inter vos, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus vt cõfundat ſapientes.
Mat. 11. Hoc ipſum & ipſemet Chriſtus inſinua-
Luc. 10. uit dicẽdo: Cõfiteor tibi, pater domine cęli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudẽtibus, & reuelaſti ea paruulis, id eſt humilibus. Itaque multipliciter tibi perſuaſiſti, eſſe mediũ inter duo, quorũ tibi optionem propoſuit, vt ſcilicet homo in iuuentute ſua in concupiſcentiis viuat, & in ſenectute pœniteat, aut etiam toto ſuo ſanitatis tempore conuerſetur ad libitum, & pœniteat in extremis. Hoc quoque mediũ tu ipſe elegiſſe videris. I V V E. Fateor ita eſſe, præſertim cùm (teſte Apoſtolo)
Rom. 5. Vbi abundauit iniquitas, ſuperabundet
Eze. 18. & gratia. Cùm & per Ezechielem prophetam

phetam loquutus ſit Dominus: In quacunque hora impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatũ eius non recordabor amplius. SEN. Quàm periculoſum, damnoſum, & peruerſum ſit iſtud, tibi monſtrabo.

Quàm periculoſum, impium, & damnoſum ſit pœnitentiam vſque ad tempus ægritudinis aut ſenectutis differre. ART. II.

SENIOR.

IN omni materia acquieſcẽdum eſt prudentibus & expertis in ipſa materia. Cùm ergo ipſemet Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſapientia Dei patris, & magni cõſilij angelus, & vniuerſi ſancti ipſius apoſtoli, & prophetæ, ac ſancti doctores, hanc pœnitentiæ dilationem omnino diſſuadeant, concorditer reprobent, ac vehementer condemnent: certum eſt, quòd ſtultiſſimum, & iniquum ſit, pœnitentiam ſic differre. IV. Vbi Chriſtus ſic reprobat eam? Nónne in euangelio ait: Beati ſerui, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: & ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi? Ergo in quacunque ætate inuenerit hominem præparatum ad mortem, beatus eſt homo: quid ergo eſt neceſſe in iuuentute pœnitere, & ſemetipſum in arduis virtutum exer-

Non differendam pœnitentiam.

1. Cor 1.

Eſai. 9.

Lucæ 12.

citiis cruciare ac pondus diei & æſtus tam diu portare, cùm valeat homo breui compendio adipiſci ſalutem? Præterea in euangelica parabola loquitur Chriſtus: Cùm ſerò factũ eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Cùm veniſſent ergo, qui circa vndecimã horã venerãt, acceperunt ſingulos denarios; veniẽtes autẽ primi arbitrati ſunt ꝙ plus eſsẽt accepturi. Acceperũt autẽ & ipſi ſingulos denarios, & accipientes murmurabãt aduerſus patremfamilias, dicẽtes Hi nouiſſimi vna hora fecerũt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus põdus diei, & æſtus? Quibus verbis paulò poſt addidit dominus: Sic erũt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Poteſt ergo accidere, vt cõuerſi in ſenectute æquales fiant in præmio cõuerſis in iuuẽtute Imo, vt in Homilia ſcribit Gregor. Quidam ſerò conuerſi, & de magnis ſibi ſceleribus cõſcij, feruentiores fiunt innocentibus, ac manè conuerſis. Atque, vt aſſerit Auguſt. Non diuturnitas temporis, non numeroſitas operis, ſed maior charitas, meliorque voluntas, præmiantur à domino. Non ergo oportet ad agendum pœnitentiam feſtinare. Denique cùm ſit valdè difficile in viis iuſtitiæ diu perſe

Mat. 10.

Gregor.

Auguſt.

perſeuerare, periculoſum apparet in iuuẽtute conuerti: cùm iuuentus habeat multa ac magna incitamenta peccandi, atque recidiuãdi: cõſultius ergo videtur ad ſenectutẽ, vel ęgritudinẽ, conuerſionem, pœnitentiáque differre: quatenus cor tũc tantò ardentiùs, ac feſtinãtiùs, & perſeuerantiùs conuertatur ad Dominũ, quantò vidit ſibi de propinquo maius imminere periculũ, ac minus ſupereſſe de tẽpore, quemadmodum cernimus in quibuſdã reis, & criminoſis, & morti adiudicatis, quòd pœnitent vehementer. S 2. Audi, mi fili, & diuinam ſcripturã ſanè intellige: noli ex verbis veritatis fabricare arma iniquitatis, noli abuti eloquiis ſpiritus ſancti, noli decipere temetipſum. Cur pedibus tuis expandis rete dãnationis, cur laqueis perditionis teipſum innectis? Porrò, quòd in præinducta argumẽtatione abuſus ſis verbis ſcripturæ, eliciẽdo & concluendo ex ſermonibus Christi, id quod intentioni Chriſti directè contrariũ eſt, nunc tibi ex verbis Domini noſtri Ieſu Chriſti oſtendã. Certè in euangelio loquutus eſt, Vigilate, quia neſcitis qua hora dñs veſter vẽturus ſit. In quibus verbis, ſi ritè intelligis, exhortatur, vt indeſinẽter, & abſque dilatione vigilemus, hoc eſt cuſtoditi ſimus, atque ad mortẽ diſpoſiti:

Soluũtur obiecta de differẽda pœnitentia.

Mat. 24.

quoniã inceſſanter ſumus incerti, quando viſitandi ſimus à Chriſto per mortem ac particulare iudicium, cùm infinitum extet periculum inueniri imparatum. Hinc alibi apertiùs monet: Vigilate, quia neſcitis diẽ
Mat. 25. neque horã. Quolibet ergo die, & indeſinẽter ſic cõuerſari tenemur, quaſi morituri quocunque die. Hinc apud Marc. ait: Videte, vigilate, & orate, neſcitis enim, quando tempus ſit. Eodẽ quoq; cap. rurſus hortatur ac iubet: Vigilate, neſcitis enim quã-
Eodem. do Dominus veniet, ſerò, in media nocte, an galli cantu, an manè, ne, cùm venerit repente, inueniat vos dormientes, id eſt, torpore vitiorũ oppreſſos. Inſuper præcipit: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et vos ſimiles eſtote hominibus expectantibus dominum ſuum, quãdo reuertatur à nuptijs, vt, cùm venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei. Hoc autẽ ſcitote, quoniã, ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuã. Et vos, eſtote parati, quia qua hora nõ putatis, filius hominis veniet. In quibus vtique verbis vult nos indeſinenter omni hora eſſe paratos ad vitandum æternę dãnationis periculũ: quia hora, qua non putamus, perhibet ſe venturum tam ad particulare

ticulare noſtrum iudicium (quod in morte agitur ſingulorum) quã ad vniuerſale iudicium. Amplius pœnitentiã, & conuerſionẽ differre, nõ eſt aliud quàm in peccatis manere, alios ſcandalizare, carnaliter viuere: quòd quàm damnabile ſit, Dominus pãdit ita loquens apud Matt. Si dixerit ſeruus malus in corde ſuo, dicens: Morã facit dominus meus venire, & cœperit percutere pueros, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & diuidet eum (id eſt ab electorum grege ac pręmio ſeparabit) & partem eius cum infidelibus & hypocritis ponet. I V. Satis probaſti vtile eſſe, ac tutius ſine dilatione conuerti, ac pœnitere: non tamen quòd ſit neceſſariũ ad ſalutem, nec cæteris meis ſatiſfeciſti inſtantijs. S E. Inſtantiæ tuæ innumerabiles decipiunt homines, qui ſub ſpe pœnitendi in poſterũ manent in vitijs, differuntq; conuerti. Etenim quo diutius in vitijs perſeuerant, & plus habituãtur, radicantur, & aſſuefiũt in eis, ſicq; mole vitioſæ ac peſſimæ conſuetudinis opprimũtur, vt vix queãt conſurgere, atq; per hoc quotidie ineptiores ad conuerſionem redduntur, & vix vnquam veraciter pœnitent. Et quamuis quidam talium tandem aliquan-

Matt. 24.

Miſerè imponitur differentibus pœnitentiam.

do vel in ſenio, vel tempore ægritudinis, conuertantur, hoc tamen reſpectu, & comparatione aliorũ paucisſimis datur, miniméque conſultum eſt, ſe periculo huic cõmittere, in quo tam pauci euadunt. Quis audeat ire per iter, in quo vix vnus de centum euadit? I V. Nónne in extremis vſque ad vltimum vitæ ſuæ momentum poteſt vnuſquiſque pœnitere mortalium? Et quis tam amens, qui videns ſe protinus moriturum, non de ſuis pœniteat culpis? An nõ vides, quòd Chriſtiani quantumlibet mali, tamen dum putant ſe morituros, cõfitẽtur, atque eccleſiaſtica ſuſcipiunt ſacramẽta? quod, niſi de ſuis dolerent peccatis, non facerent. Certè tales ſunt innumerabiles, quibus, ni fallor, ſpem, remediumq; ſalutis non audebis negare: alioquin homines ad deſperationem induces. S E. Verba ſuſcipe

Auguſt. Auguſt. dicentis: Qui dum ſani ſunt, pœnitent, & ſe emendant, ſecurè hinc exeunt, id eſt, ſalubriter moriuntur: qui autẽ tũc pœnitent, quando diutiùs ſe viuere poſſe non putant, an ſecurè hinc exeant ego non ſum ſecurus. Et hoc loquitur Auguſt. non quòd dubitauerit, an tales ſaluentur, dummodo ex vera pœniteant contritione, & decedãt in ea: ſed quia paucisſimi talium veram habent contritionem, & confitentur ex con-

ſuetu

ſuetudine quadã, eccleſiæ, aut ex ſeruili timore diſtrictionis diuini iudicij, atq; ęterni ſupplicij, nõ ex vero zelo iuſtitię charitateq; Dei, ſine qua nihil proficit ad ſalutẽ. Denique huius rei ſatis probabile ſignũ eſt, ꝙ ſi viderent ſe diutius viuere poſſe, nõ confiterentur, nec à ſolitis reſipiſcerent culpis, ideò non amore boni, ſed timore mali ad huiuſmodi pœnitentiam inducũtur, quamuis ex ſpeciali gratia omnipotentis queat accidere, vt pœniteant verè. Idcirco nec deſperãdum affirmo ſed periculoſiſſimum eſſe proteſtor, pœnitẽtiã ſic differre. Priuilegia quoq; paucorũ nõ faciunt legẽ. At verò tempore magnę ægritudinis, & præſertim tempore mortis, natura infirmantis ita debilitatur, interioréſq; ſenſus tam dirè grauantur, & ratio tam grauiter offuſcatur, vt difficillimum ſit tunc veram habere deuotionem, ſalubrem cõtritionẽ, perſeuerãtiámque finalem, ſine valdè ſpeciali gratia Dei quæ illis tunc datur, qui eã tempore ſuæ incolumitatis promeruerunt: qui autẽ dũ ſani & fortes ſunt, & apti ad Dei obſequium, Deum creatorem ſuum paruipendunt ac deſerunt, in hora neceſſitatis extremæ ab ipſo relinqui merentur. Adde quòd in extremis agonizantes tam acriter à dæmonibus impugnantur, vt etiã ſi

Sine charitate nihil proficit ad ſalutem.

Priuilegia paucorum legem non faciunt.

ſi virtuoſè iã antè fuerint conuerſati, abſque præcipuo Dei auxilio nequeāt præualere. Atque vt S. vir Climachus ſcribit, dæmones, qui peccatoribus adhuc ſanis fallacitèr perſuadent peccata non eſſe ita enormia ſicut fertur, Deum quoque miſericordiſſimum eſſe & omni momento etiam in extremis paratum ad indulgēdum tempore mortis, è contrario oſtendunt agonizanti, quàm multa & enormia fuerint eius peccata, quanta fuerit ſua ingratitudo, quã infinita ſit iuſtitia Dei, & quàm horrendum ſit in manus eius incidere, ſicq; infelicem inducunt ad deſperãdũ, niſi forſan ſuccurrat omnipotens, qui tunc eos non derelinquit, qui in ſua iuuentute, ac ſanitate ei fideliter ſeruierunt. Poſtremò cõuerſionem, pœnitentiamq; differre eſt tempus non ſolum infructuoſè, imò & vitioſè expēdere, ſpiritalia lucra negligere, hoc eſt, profectũ in omni gratia, & virtute, in multiplicatione meritorum, in incremento cœleſtium præmiorum: propriam animam vitijs lacerare, dæmonibus deſeruire, Deo altiſſimo prorſus ingratum exiſtere, qui emendationē iniqui tam miſericorditer præſtolatur, qui ei pro malis tot bona largitur, & ipsũ ad meliora hortatur, qui in ſeipſo tam infinitæ eſt bonitatis, ſanctitatis, ac dignitatis,

Clima.

Tentatio morientiũ periculoſa.

Heb. 10.

Digitized by Google

tis, vt ſolo eius amore debeamus ad hono rificentiã, & amorem eius allici, & accendi. Hinc impio pœnitentiã differenti terribiliter ait Apoſtolus: Exiſtimas, ô homo, qui impiè agis, quòd tu effugies iudiciũ Dei? An diuitias bonitatis, & patiẽtiæ, longanimitatis Dei cõtemnis? Secundùm duritiã autẽ tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram (id eſt, iuſtam ac diram vltionẽ) in diæ iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. *Rom. 3.*

IV. Præualuiſti mihi, ô Senex & vndique obſtruxiſti mihi os cõtradicendi, veruntamẽ à cõuerſione, & pœnitentia indilata me retrahunt ſpes pœnitẽdi in poſterum, atque penſatio immẽſæ miſericordiæ creatoris, amor quoque priſtinarum, ſolitarúmq; voluptatum, copia facultatũ iucũda ſocietas, ſpecioſitas terrenorum, pœnitentiæ horror, difficultas, & labor virtuosè viuendi, quanquam non negem periculum eſſe in mora, & culpã in dilatione hac ipſa in quibus tamẽ cõfido de meliori. Sed vehemẽter admiror, quòd dicis eorum qui in iuuẽtute, ac tempore ſanitatis prauè viuũt, tam paucos verè pœnitere in fine, in tantum vt vix credere queam iſtud. Idcirco ſi placet hoc per ſcripturas & exempla euidentiùs mihi demonſtres. SE. Quicquid pro tua ſalute agere potero, agam cum gaudio. *Vnde fiat conuerſionis difficultas.*

Declar

Declaratio per ſcripturarum teſtimonia, & exẽpla, quòd pauciſsimi verè in fine vitæ pœniteãt qui anteà ſceleratè vixerunt. ART. III.

SENIOR.

2. *Mac.* 9. SEcũdo Machabæorum narratur, quem admodum Antiochus rex ſuperbus ac impius, propter ſua facinora dirè à Deo plagatus eſt, in tãtũ, quòd ex corpore eius vermes ſcaturiebant, & carnes eius excidebant & effluebant, atque fœtore ipſius totus grauabatur exercitus. Cúmque nec ipſe ſuum poſſet ferre fœtorem vexatione propria informatus & humiliatus ait: Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo, & mortalẽ nõ paria Deo ſentire. Et ſubditur ibi: Orabat autẽ ſceleſtus Dominum, à quo nõ fuit miſericordiam cõſecuturus. Promiſit quoque ꝙ ciuitatem Hieruſalem faceret liberam, quã paulò ante minabatur ſe funditus deſtructurum, quòd item Iudæos ſimiles Athenien faceret, quos dixerat ſe occiſurũ, nec dignos ſepultura habiturum, & quòd tẽplum Dei à ſe antea ſpoliatum optimis donis ornaret: ſancta quoque vaſa multiplicaret, ſacrificiorũque ſumptus præſtaret. Inſuper promiſit ſe Iudæum futurum, & ſacra loca perãbulaturũ, ac prædicaturũ Dei potentiã: nec tamẽ cõſecutus eſt veniã, ſed æternaliter condemnatus: vindicauítque

Deus

Digitized by Google

Deus ſcelera eius in vita hac & in inferno. IV. Hoc ſatis terribiliter ſonat, & deſperationem multis poſſet incutere: prӕſertim, quòd recognouit ſe à Deo propter crimina ſua percuſſum, & emendationẽ promiſit, imò quòd gẽtilitate relicta, legẽ Dei aſſumpturus eſſet: nec tamẽ veniã eſt adeptus, ſed in prӕſẽti atque futuro punitur. Et vbi eſt, quod ait ſcript. Nõ vindicabit Dominus bis in idipſum? Id eſt, non cõſurget duplex tribulatio? SE. Tota illa vitioſi Antiochi pœnitentia ex ſeruili proceſſit timore, ac deſiderio ſanitatis recuperandæ. Porrò ſcripitura, quam allegas, intellitur, quñ pœna vna ſufficit, pro culpæ vindicta, atque dum reus pœnã illã ex vera cõtritione æquanimiter tolerat. IV. Si aliud, quid ex ſcripturis occurrit ad idẽ probandũ, proſequere. SE. Ad Heb. proteſtatur Apoſt. Ne quis fornicator ſit, aut prophanus, vt Eſau, qui propter vnã eſcam vendidit primitiua ſua. Scitote enim quoniã & poſtea cupiens hӕreditari benedictionẽ, reprobatus eſt. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquã cum lacrymis inquiſiſſet eam. Præterea his qui tempeſtiuè renuunt Deo ſeruire, ac tẽpore ſuæ anguſtiæ clamãt ad eum. Dominus per Salomonem ita reſpõdet, Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & *Hebr. 12.* *Prou. 1.*

non

non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne cõſilium meum,&increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu veſtro ridebo,&ſubſannabo, cum vobis, ꝙ timebatis,euenerit,cùm irruerit repentina calamitas & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio,&anguſtia,tũc inuocabunt me,&nõ exaudiam, manè conſurgent ad me,& non inuenient me,eo ꝙ exoſam habuerint diſciplinam,& timorẽ Domini nõ ſuſceperĩt,nec acquieuerint conſilio meo. Denique ſanctus pater Greg.in libris Dialogorum recitat de quibuſdam qui in extremis dæmones viſibiliter conſpexerunt, aut alias territi valdè fuerunt,atque inducias petierunt vnius diei,haud dubiũ, quin deſiderio pœnitẽdi, qui& de ſuis dolebant peccatis,nec tamen profuit eis. Multa his ſimilia ex ſcripturis poſſem vtiq; allegare,ſed ad perſuadendũ beneuolè hæc reor ſufficere. I V. O quã arcta eſt via ſalutis,& quàm intutum eſt,pœnitẽtiam in finẽ differre,ac ſpe vitæ diuturnioris perſeuerare in vitiis! Certè,vt cerno, multi ſpe vana fallunt ſeipſos. Et vtinam Deus omnipotẽs oculo ſuę pietatis immẽſæ immundum&infectum cor meum aſpiceret ac vitioſos à me auferret affectus,ac ea,quæ turpiter amo,&quę malè oblectãt in faſt

Gregor.

Matt. 7.

Digitized by Google

in faſtidium mihi conuerteret. SEN. Paulatim proficitur, & ſucceſſiuè longius itur, & quia peccata tua tibi incipiunt diſplicere: inuoca dominum, & inuocare non ceſſes. Fac quod in te eſt, acquieſce conſilio, & ea, quæ ad deteſtationem turpium voluptatum inducunt, attende. IV V. Quænam ſint hæc, precor te, tange.

Commemoratio horum quæ ad turpium, ac prauatum delectationum deteſtationem, ac fugam inducunt. ART. IV.

SENIOR.

QVædam appetibilia reputantur, quæ tamen in faſtidium, fugam, ac odium conuertuntur, ſi benè conſiderentur quæ ea cõcomitãtur. Quemadmodum delectat aliquem ire ad loca amœna: ſed ſi loca illa ſint raptoribus, atque latronibus plena, tædet & horret eum ad ipſa accedere: ſic voluptas carnis ſuo modo appetibilis eſt, verùm ſi ea conſideres, quæ ea ſequuntur, abhorrebis eandem. IV V. Quæ ſunt illa? SE. Non ſolùm æterna damnatio in futuro ſed & multiplex malum tam culpæ quàm pœnæ in præſenti. Nempè, vt ſcire potes, ad luxuriam vitia multa ſequuntur, imo & propter eã plurima fiũt mala. Nõne ex luxuria oriuntur excæcatio mẽtis, faſtidium diuinorum, inquietudo, & incõſtantia cor-

Ad carnalium deteſtationẽ inducentia.

Digitized by Google

dis præcipitatio, & inconſideratio mentis, ſtultiloquia, ludicra, ſcurrilia, turpiloquia, cõſumptio facultatum, eneruatio virium, odia, lites, cõtentiones, diffamatio, immorigeratio Denique quò maior eſt voluptas luxuriæ, & quò plura ac grauiora ei annexa ſunt vitia, eò intolerabilior æternę damnationis punitio ea conſequitur, ſicut in

Apo. 18. apocalypſi Dominus loquitur. Quãtũ glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tãtum dare ei tormentum & luctum. Ecce quàm breuis eſt delectatio fornicationis, ſed perpetua eſt pœna fornicatoris, ideò rectè aſſerit

Auguſti. Aug. Qui pro tam breui voluptate dat diabolo animam ſuam, pro quã Chriſtus dedit ſeipſum in mortem, ac pretium, & fudit ſanguinẽ ſuum, ſtultiſſimus eſt, aut fatuum mercatorẽ reputat Chriſtum. Inſuper, quẽadmodum & philoſophi quidam egregij faſſi ſunt, in vitijs carnis maxima eſt turpitudo, eſt inhoneſtas, ſuntq; vitia illa prorſus brutalia atq; viliſſima, & brutis aſſimilãt, imo incomparabiliter viliorem, & deteriorem efficiunt hominẽ: ideò Innocen-

Innocen. tius rectè dixit: O extrema libidinis turpitudo, quæ nõ ſolùm mẽtem effœminat, ſed & corpus eneruat, nõ ſolùm maculat animã, ſed & fœdat perſonam. Omne nãque peccatum, quodcũque fecerit homo, extra

corpus

corpus ipſius eſt, qui autē fornicatur peccat in corpus ſuum. IV. Nonne delectatio illa eſt naturalis, & ab auctore naturæ rationabiliter inſtituta? Non ergo tam vitioſa. SE. Pro vt à Deo inſtituta, nec vitioſa eſt, neque illicita, vtpote prout immixta eſt actui coniugali, à recta voluntate mananti. Sed annexa actui venereo, à peruerſa voluntate diuino pręcepto contraria prodēti, eſt vitioſa. IV. Si diſplicet Deo illegitimus cōcubitus, cur Deus perficit eũ, infundēdo animã fœtui, ex cōcubitu tali cōcepto? SE. Actus ille, inquantum operatio potentiæ vegetatiuę, ac generatiuę, à Deo eſt, & complemētum ab eo ſortitur, videlicet formam ſeu animam rationalem, nō autem in quantum eſt actus volũtatis peruerſæ. IV. Nónne ſapientiſſius Salomon dixit: Feci mihi cantatores & cãtatrices, & delicias filiorum hominum, & omnia quę deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quę paraueram. Itémque: Nōne melius eſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? Quis ita vorabit & delicijs affluet, vt ego? & rurſus: Lætare, iuuenis, in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, *Eccleſ. 2.* *Ibidem.* *Eodem.*

& ambula in vijs cordis tui. Ac iterū: Laudaui lætitiā, & quòd non eſſet homini bonum ſub ſole, niſi quod comederet & biberet atque gauderet, & hoc ſolùm ſecū auferret de labore ſuo in diebus vitæ, quos dedit ei Deus ſub ſole. *Eccleſ. 7.* SE. Ex libro quodā Salomonis iam allegaſti, quæ lubricorum affectui magis deſeruire, & fauere videntur, ſed verba in eodem libro contento, & omnium iniquorum ac lubricorum vanitatem, voluptatem ac impietatē reprobātia, non aduertiſti, vel ex propoſito ſubticuiſti. Noueris ergo, quòd liber ille vocetur Eccleſiaſtes, id eſt concionator, quo in libro loquitur Salomon inſtar concionatoris, in perſonis diuerſorum, & ad partem vtranq; videlicet tunc in perſona carnaliū, iam in perſona ſapientum, virtuoſorúmque hominum, quod etiā ex verbis ei⁹ apertiſſimè innoteſcit. Nam & auctoritati, quam primò allegaſti adiecit: Cúmque me conuertiſſem ad vniuerſa opera mea, vidi in omnibus vanitatem & affectionem animi, & nihil permanere ſub ſole. *Eccleſ. 2.* Porrò ſecundę auctoritati adiecit: Homini bono dedit Deus ſapiētiam, & ſcientiā & lętitiā: peccatori autem dedit afflictionē, & curā ſuperfluam. *Eodem.* Tertiæ quoque auctoritati mox addidit: Scito quòd pro omnibus his adducet *Eccle. 11.*

 te

te Deus in iudiciũ. Aufer irã à corde tuo, &amoue malitiã à carne tua: adoleſcentia enim, & voluptas vana ſũt. Præterea quòd verba illa: Lætare iuuenis in adoleſcentia tua, &c. non dixerit eo ſenſu quo allegaſti, conſtat ex hoc, quod eodẽ loquitur libro: Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequã veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent. Similiter quo ſenſu dixerit Laudaui lætitiã, & quòd non eſſet bonũ homini niſi quod comederet, & biberet atq; gauderet, eluceſcit ex eo, quod in eodẽ codice dixit, Melius eſt ire ad domũ luctus q̃ad domũ conuiuij, in illa. n. finis cunctorũ admonetur hominũ, & viuẽs cogitat quid futurũ ſit. Itẽque dixit in corde meo, vadã & afflũã deliciis, & fruar bonis, & vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtrà deciperis? Et denuò: Cor ſapiẽtum, vbi triſtitia, & cor ſtultorũ, vbi lætitia Quod autẽ pœnitẽtia, virtuoſáque vita nõ ſint differẽda, ſed indilatè ac iugiter exercenda Salo. cõteſtatur: Quodcunque, inquiens, poteſt facere manus tua, inſtãter operare, quia nec opes, nec ratio, nec ſapiẽtia, nec ſcientia, erunt apud inferos. IVV. Obiectionibus meis ſapienter, atque ple-

Eccl. 12.
Eccl. 11.
b idem.
Eccl. 8.
Ecc. 7.
Eccl. 2.
Ibidem.
Eccl. 7.
Eccl. 9.

niſſimè reſpondiſti, niſi quòd ipſemet Salomon deliciis carnis ſe totum expoſuit. SE. De hac ſcriptura eum acriter reprehendit. Imo ex vitio illo ad tãtum deuenit demētiam, vt idola coluerit ne ſuas contriſtaret delicias. Ex hoc ergo nō datur hominibus licentia laſciuiēdi, ſed cautela vitandi. IV. Ecce Dauid vir ſanctus, præter ſex vxores ligitimas legitur decem habuiſſe concubinas. Conformiter in Geneſi recitatur, quòd Abraham filiis concubinarū ſuarum largitus eſt munera Si ergo tales, ac tanti viri, prohetæ, patr archæ, nō ſolùm plures habuerunt vxores, ſed multas etiam concubinas, cur ſimplicem fornicationem in tantū condemnas? SE. Ad hæc tibi ſequenti articulo reſpondebo.

2. Reg. 15

Gene. 25.

Quàm enorme crimē ſit adulterium, & qualiter intelligendum ſit, quòd aliqui ſancti in veteri teſtamento, ac lege naturæ, leguntur concubinas habuiſſe. ART. V.

SENIOR.

Quo pacto actus coniugij ſine peccato, & non rarò cū morta

QVamuis actus cōiugalis abſque peccato fieri queat, dum in ipſo nō intēditur voluptas, ſed proles ad Dei obſequium educanda, aut perſolutio debiti carnis, vel euitatio incōtinentiæ in cōthorali: multi tamē abutuntur cōnubio, & ſuas accedunt vxores nō maritali, ſed adulterino affectu,

affectu, hoc eſt, concupiſcentia prædomi- nante, voluptatem quærentes etiam extra limites ipſius coniugij, qui in hoc peccant mortaliter, cùm ſanctus dicat Hieron. Omnis amator feruentior eſt adulter. Hi ſua voluptate & carnalitate ſic excæcantur & indurantur, quòd legitimis non ſunt contenti vxoribus, ſed vagam exercent luxuriam iam cum ſolutis, iam cum maritatis perſonis, imo interdum cum perſonis religioſis. Denique quorundã talium tanta eſt peruerſitas, vt cùm vxores habeant formoſas, bonas, aut etiam nobiles, quibus ſine peccato poſſint vti, nihilominus illis contemptis, potiùs delectantur turpibus ac vilibus, ſeu alijs quibuſlibet puellis, aut fœminis commiſceri, quorum iniquitas ineffabiliter eſt enormis, nec vllam excuſationem admittit. IV. Videtur tibi adulterium eſſe tam graue ſcelus, vt tangis? SE. Iã dixi, & iterum dico & ſentio, quòd ineffabiliter ſit enorme, & inter pecata, quæ fiunt in proximum, poſt homicidiũ eſt de grauioribus vnum. IV. O horribile verbũ, cùm multi tam leui occaſione illud committant! Sed nunc quæſo cauſas tantæ enormitatis expone. SE. In adulterio primò eſt violatio voti fidelitatis, quam cõiugati ſibi inuicem in contractione connubij

li peccato fiat.

Hieron.

Adulterij delictum graue eſt propter nouem.

promiſerunt. Porrò violatio voti, ſecūdùm doctores grauius crimen eſt, quam periurij ſcelus. Secundò, in adulterio maxima eſt inhonoratio, & contēptus ſacramēti matrimonij, quod ipſemet Deus in exordio mūdi inſtituit, in innocētiæ ſtatu atq; paradiſo. Tanti autē iniuratio ſacramēti non caret grandi contumelia Dei. Tertiò in adulterio eſt furtum, dū maritus propriè coniugi aufert ſuū corpus, & ſemē corporis ſui, quod cōiugis ſuæ eſt, & ei debetur, cū dicat Apoſtolus: Vir poteſtatē corporis ſui non habet, ſed mulier. Quartò in adulterio eſt rapina, cùm quis manifeſtè adulteriū agit, imò in adulterio frequenter eſt duplex furtum aut duplex rapina, vt cùm vxoratus cum vxore alterius viri peccat, tunc enim ſuæ vxori aufert ſuum corp⁹, marito quoq; vxoris, quā fœdat, aufert corpus vxoris illius. Quintò in adulterio eſt ſacrilegium, id eſt abuſus rei ſacræ. Coniugati quippe, in ſua deſponſatione ſolēniter ab eccleſia benedicuntur eorūmq; corpora conſecrantur ad prolificandū Deo, vt ſobolē generent, in qua fides, & cultus Dei conſeruentur: idcirco cùm adulterio polluūtur, ſuis corporib. ſacrilegè abutūtur. Sextò in adulterio, maxima fit iniuria proximo, cuius vxor contaminatur, quod tam viro illi, quàm ſoboli eius

Gen. 2.

1. *Cor. 7.*

eius eſt valdè iniurioſum, & confuſiuum. Sicq; adulteriũ eſt iuri naturali valdè cõtrarium. Naturalis etenim iuris præceptum eſt: Quod tibi nõ vis fieri, non facias alteri. *Tob. 4.*
Adulter enim nequaquam vult coniugem ſuam ab alio iniquinari, imò multi potiùs vſque ad mortem reſiſterent, quàm hoc ipſum permitterent. Septimò in adulterio eſt origo exhæredandi verã ſobolem propria portione, dum ad filium illegitimũ de- *Deu. 20.*
uoluitur hæreditas legitimæ debita proli. Et dato, quòd ex adulterio ſoboles non *Num. 5.*
naſcatur, adulterans tamen tanto periculo ſe cõmittit. Prætereà tanta eſt grauitas huius facinoris, quòd pro eo iuſſit Dominus in veteri teſtamẽto mortẽ infligi. In ſacrificio quoque zelotypię dicebatur vxori de adulterio ſuſpectæ: Si concubuiſti cũ adultero viro, his maledictionibus ſubiacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplũq; cũctorũ in populo ſuo: putreſcere faciat ſemẽ tuum, & tumẽs vterus tuus diſrumpatur: Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrẽ tuum. Ampliùs, cum Dauid rex Dei ſui oblitus, adulteriũ perpetraſſet, Do- *2. Reg. 12*
minus dixit ad eum: Non recedet gladius de domo tua (id eſt, de ſobole, & poſteritate tua) vſque in ſempiternum, eo quòd deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Ce-

Digitized by Google

thæi. Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas, & dabo eas proximo tuo, & dormiet cũ vxoribus tuis. Hoc autẽ dicitur De⁹ feciſſe, quia iuſto iudicio permiſit hoc fieri, quemadmodum Pharaonẽ dicitur induraſſe. Vnde elicitur, quòd qui aliorũ cognoſcunt vxores, hoc promerentur, vt ipſorum quoque coniuges conſtuperentur. Poſtremò quidã gentiles, ſicut Ægyptij, intantũ abhorruerunt adulterium, quòd dixerunt illud homicidio grauius eſſe: vt aliqui expoſitores ſcripturę fatẽtur, exponẽtes quod in Geneſi recitatur, Cùm propè eſſet, vt Abrahã ingrederetur Ægyptũ, dixit Sarai vxori ſuę, Noui quòd pulchra ſi mulier, & quòd cùm te viderint Ægyptij, dicturi ſunt, vxor illius eſt, interficiantq; me, & te reſeruabũt. Dic ergo obſecro, quòd ſoror mea ſis, vt benè ſit mihi. I V. Nimis grauas atque magnificas adulterij culpam, & forſan vt terreas, ac reuoces homines inde. Sed nõ apparet tam graue, vt aſſeris, & forſitan tropicè ac hyperbolicè loqueris. S E. O male fili, adhuc inclinatio tua infecta eſt, & ad tãtũ ſcelus inclinat te: ſed audi quid S. Iob in lege naturæ loquutus ſit. Si deceptum eſt (inquit) cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſcortum

tum ſit alterius vxor mea, & ſuper illam incuruentur alij: hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima. Ignis eſt vſque ad perditionē deuorās, & omnia eradicans genimina. IV. Si ita eſt, cur ſancta ſcriptura affirmat præfatos ſanctos patriarchas Abraham Iacob, & Dauid habuiſſe cocubinas? SE. Qualiter intelligendū ſit hoc, ipſa ſcriptura nō tacet, quoniam concubinas illas interdum vocat vxores, aliquando concubinas quoniam erant vxores ſecundariæ, minúsque principales, quæ iuxta modum loquendi in veteri Teſtamento, concubinæ vocātur. *Gen. 25.* Nempe quòd Abraham legitur filiis concubinarum munera præſtitiſſe, exponitur de filiis Agar, & Cethuræ: quæ tamen ab aliquibus vna fuiſſe mulier aſſerūtur, ipſáque Agar in Geneſi vxor Abrahæ appellatur. *Gen. 16.* in eodem quoque Geneſeos libro narratur. *Gene. 25.* Abraham aliā duxit vxorē nomine Cethuram. Idē patet in Geneſi de Celpha, *Gen. 30.* & Bala, quæ interdum vxores, aliquando *2. Reg. 12.* cōcubinæ ipſius Iacobi vocantur. Denique quod de vxoribus Dauid Dominus dixit, Tollam vxores tuas, & dabo eas proximo tuo: certum eſt de decem concubinis Dauid intelligi. prout ſecundo Regum deſcribitur. IV. Cur ſanctus vir ille, voluit tot vxores habere, quòd non videtur iuniori

Cur antiqui iuſti tot legantur habuiſſe vxores.

nioribus exẽplare: SE. Tempore legis Moſaicæ cultus veri Dei quaſi in ſola Iſraëlitica viguit plebe, in qua per generationem carnalẽ cõſeruabatur. Ideò deſiderio ſobolis ad Dei obſequiũ educãdæ nõ voluptatis affectu Dauid tot cõiuges ſumpſit quibus & moderãter eſt vſus, nocturnis tẽporibus lacrymis cõpunctionis magis quàm

Pſal.6. laſciuijs vacãs, ſicut in pſalmo teſtatur: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ, lacrymis meis ſtratũ

Io.Chry. meũ rigabo. Quocirca ait Chryſoſtomus: Summus rex erat, qui iſta dicebat, ſummus rex erat, qui iſta faciebat. IV. Ecce inſtructionibus, & exhortationibus tuis optemperare deſidero, ſed retrahit praua cõſuetudo & quamuis ratio deprecetur, & conetur ad optima, atque ſyndereſis remurmuret malo, cõſciẽtia quoque remordeat. paſſiones tamẽ fortes ſunt valdè, & caro infirma ſenſualitáſq; infecta, fomes, etiã, & lex peccati regnãs in mẽbris ſtimulare nõ ceſſãt. Obiecta itẽ alliciũt, ſocietas trahit, dęmones tentãt, & ſanguis eſt calidus. Quid in tot impugnationibus, ac incitamentis peccandi, facturus eſt miſerabilis adoleſcens, aut iuuenis? SE. Plures, & fortiores nobiſcum ſunt quàm contra nos. Imò omnipotens eſt, qui paratiſſimus eſt ad ſe cõfugien

Digitized by Google

fugientes, in ſe ſperãtes, ſuũ auxiliũ inuocantes, iuuare, cõfortare, defendere, qui & angelis ſuis mãdauit de nobis, & per ſcripturas, ac ſuos miniſtros nos inſtruit, multa & efficacia præbens ac docens remedia contra vitia carnis. IV. Tange, ô ſenex, tange, & doce me remedia. S E. Sic agam. *Pſal. 90.*

De multis remedijs contra vitia carnis.

ART. VI.

SENIOR.

SIcut conſuetudo paulatim contrahitur, ita paulatim expellitur, non ſine conatu, & præſertim cum adiutorio Dei. Primũ ergo remedium cõtra vitia carnis eſt propriam fragilitatem, ac pronitatem ad vitia corã Deo humiliter, ac frequenter cognoſcere, & Dei ſubſidiũ ad præualendum his vitijs fideliter, atq; aſſiduè inuocare, & etiã ſanctos Dei, & potiſſimum glorioſiſſimam ac mundiſſimã Dei matrẽ, & eos, ad quos quis maiorem deuotionem & confidentiã habet, ad proprium angelum ſanctum. Secundum eſt ſeipſum auertere à conſideratione, imaginatione, inſpectione, ac recordatione delectationum carnis & carnaliũ operum. Omnis namque appetitio ex præuia aliqua apprehenſione, ſeu cognitione procedit, cùm obiectũ appetitus ſit bonum cognitum: quod enim omnino incognitũ

eſt

eſt, nequaquã appetitur. IV. Quomodo poteſt ſe homo ab horum apprehenſione, & recordatione auertere, quæ oculis carnis & cordis indeſinẽter occurrũt, ac præſentãtur? SE. Hoc facere poteſt, & debet, cõuertẽdo conſideratione ſui cordis ad ſalubria, ac diuina. Nónne Dauid rex dixit: Oculi mei ſemper ad Dominum. Et ſanctus Iob: Cõſiderans, inquit Deũ timore ſolicitor, Tertium remedium valdè idoneũ eſt, ſeipsũ quotidie, imo multoties omni die, diligẽter exercere in præcordiali & compaſſiua meditatione amariſſimæ paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti: Quæ ſi ſic cõſideretur, omnis immũda, ac fœda, ac vilis voluptas in nauſeã vertitur Idcircò meditatio paſſionis Chriſti tũc eſt protinus aſſumẽda, dum oriri incipit in corde tẽtatio, aut recordatio impura, venerea. Quartum remediũ eſt, profundè, & frequẽter attendere propria metuẽda nouiſſima, hoc eſt, mortis acerbitatem, incertitudinem, periculoſitatẽ, & approximationem, diſtrictionem quoque diuini iudicij, & quã horrendũ ſit, incidere in manus Dei viuẽtis, intolerabilia etiam tormenta inferni, quæ tãtò acriùs punient lubricum, quò intentiùs in rebus immundis, & actibus delectatur obſcœnis. Quintum remedium eſt vilitatem

carnalium vitiorum, & mala eis annexa, quantum noceant homini, vigilanter conſiderare: & de hoc dictũ eſt præcedẽti articulo. Veruntamẽ homini adhuc prono ad talia, non expedit talium conſiderationi diu inſiſtere: quia ex hoc magis incitaretur ad ea. Sextum remediũ eſt, occaſiones & incitamẽta horum vitiorum vitare, quæ ſunt amoroſi & incauti mulierũ aſpectus, familiaritates, munuſcula, cõfabulationes, loca ſolitaria, & ſecreta cum fœminis, attactus, amplexus, & oſcula, otium, praua cõſortia, immoderata repletio ventris (præſertim ex calidis cibis ac potibus) amatoriæ cantilenæ, turpiloquia, & muſica quædam. Hinc ait ſcriptura: Virginem ne conſpicias, ne ſcãdalizeris in decore eius. Noli circunſpicere in vicis ciuitatis. Auerte faciem tuam à muliere cõpta. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. Septimum remedium eſt, intenta & honeſta occupatio circa bona. Vnde Hieronymus dixit, Ama ſtudium ſcripturarũ, & carnis vitia non amabis. Octauum eſt cõſideratio præſentiæ ſummi & ſancti Dei, cuius præſentia atque inſpectio meritò retraheret hominẽ ab omni peccato: præſertim à tam turpibus culpis, imò etiã præſentia proprij angeli ſancti. IV. Fateor, quòd qui his remediis

medijs vteretur, & præfato modo ſe exerceret in meditationibus, actibúſque prætactis, vitia iſta contemneret. S E. Laborare oportet. Et ſi pro corporali ſanitate recuperanda, pro temporali lucro homines tot & tanta agunt, & patiuntur, cur pro animarum curatione, pro euadenda æterna damnatione, pro adeptione gratię, ac virtutum, & pro æterna felicitate laborare & aliquid pati piget? I V. Ora pro me, quia ad iſta me dare propono, & fœda corporis inquinamenta vitare. Veruntamen diuitias mundi relinquere nondum paratus ſum.

Exhortatio ad cupiditatem vitandam.

ART. VII.

SENIOR.

ADuertere debes, ô iuuenis, quòd temporalia, & corporalia bona ordinãtur ad bona ſpiritualia, & diuina, ſicut medicina ad ſanitatem, & ſicut media ad finem. Ideo, ſicut medicina nocet, ac lædit, debilitat, & occidit, ſi abundantiùs accipiatur quã ad ſanitatẽ requiritur: ſic temporalia bona, ſi plus appetantur, cõgregentur, aut reſeruentur, quàm neceſſariũ aut vtile eſt ad virtuosè viuendum, ac proficiẽdum in gratia atque virtutibus, ad obtinẽdũ ſalutem æternam, culpa eſt, & ſuperfluitas, quę auaritia nũcupatur, id eſt ordinatus amor

tempo

temporalium rerũ Ideò dixit Apoſtol. Habentes victum, & quibus tegamur, his cõtenti ſimus. I V. Certè ex terrenis diuitijs conſequitur homo commoda multa: prouiſionẽ ſecuram, lautã refectionẽ, honorẽ, famam, & dignitatem. SE. Non vides quòd lauta refectio, promotio ad honores, reputatio hominũ, pretioſus veſtitus, abundans prouiſio pro hac vita, ſunt inſtrumenta peccandi, periclitatio animarum, occaſio vitiorum, origo ſuperbiæ, otij cauſa, materia gulæ, fomentum luxuriæ, impedimentum ſpiritalis amoris. Propter quod dixit Apoſt. Radix omniũ malorum eſt cupiditas. Itémq; Qui volunt diuites fieri, incidunt in tẽtationem & laqueum diaboli, & in deſideria multa, inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitũ & perditionẽ. Hinc ait Chryſo. Diuitiarũ ſequela ſunt gula, luxuria, ira intemperata, furor iniuſtus, arrogantia, ſuperbia & omnis irrationabilis motus. Innocentius quoque, Diues, inquit, in ſuperfluitatem reſoluitur, iactãtia effrænatur, currit ad libitum, corruit ad illicitũ. I V. Nónne hæreditatem parentũ meorum poſſum ſine peccato poſſidere? Nónne multi diuites iuſti fuerunt & ſancti? Nónne Chriſtus diuites habuit quoſdã diſcipulos, Nicodemum & Ioſeph

ab Arimathia, Lazarum, & eius ſorores, Ioannã, Suſannam, & alios vtriuſque ſexus nonnullos: Nónne omnis creatura Dei eſt bona? Cur ergo contemnis diuitias? SE. Si bene aduertiſti, non damno diuitias, nec omnes diuites dico iniuſtos, ſed diuitiarũ abuſum, cupiditatẽ, tenaciã: ídq; affirmo, quòd pauciſſimi ſunt, qui eis non abutantur, ideoque periculoſum ſit, eas habere: nec vltra, quàm vtiles, aut neceſſariæ ſunt ad ſpiritalia bona, licet eas appetere. IV. Nónne multa poſſũt aduerſa, & damna, ac pericula homini euenire? Propter quod prouidentiæ eſſe videtur, cõgregare & reſeruare diuitias: præſertim cùm in ſenectute pluribus indigeat homo. SE. Dominus noſter Ieſus Chriſtus per omnẽ Euangelij textum nos docuit Deum altiſſimum patrem vocare, vt in ipſo filialem cõfidentiam habeamus, atq; ſuperfluã circa temporalia ſolicitudinẽ aſpernemus: nec propter incertos futurorum euentus aduerſos theſaurizemus: cùm & bruta paſcat, & inanimata ſeruet, atque gubernet Deus. Hinc etenim ait: Ne ſoliciti ſitis, quid mãducetis, neque quid induamini. Reſpicite volatilia cæli quoniã non ſerunt, neq; metunt: & pater veſter cæleſtis paſcit ea. Nolite ſoliciti eſſe in craſtinũ. Itémque, Nolite

Matt. 7.

Digitized by Google

lite theſaurizare in terra. IV. Si non licet ſolicitum eſſe in craſtinum, nõ licebit fructus terrę congregare in horreum. SE. Per craſtinum intelligitur tempus futurum. *Eodem.* IV. Vſque in quantum tẽpus licitũ eſt ſibi prouidere de neceſſariis vitæ? SEN. Dicunt quidã famoſi doctores, quòd pro vno anno. IV. Adhuc intelligere nequeo, cur non liceat diuitias poſſidere, ac conſeruare, niſi ſecundùm menſurã, quam præfixiſti, vt pote, prout vtiles aut neceſſariæ ſunt ad ſpiritalia bona: cùm poſſideãtur titulo iuſto & ex ſucceſſione legitima, & multa opera bona fieri poſſunt ex ipſis SEN. Omnia tẽporalia, & terrena ſunt dona Dei, conceſſa hominibus ad benè & ordinatè vtendum, ita quòd homines magis ſunt diſpenſatores diuitiarũ, quàm Domini: propter quod tenentur eis vti ſecundùm pręceptum Domini Dei ſui, cui & de omnibus bonis eis conceſſis daturi ſunt rationem. Audi ergo quid ſancti patres Baſilius atque Ambroſius dicãt, Nõ minoris eſt criminis, habenti ſua auferre ac rapere, quàm cùm poſſis & habes, indigentibus denegare. Eſuriẽtium panis eſt, quem detines: nudorum indumentum, quod includis: miſerorum redẽptio & captiuorũ abſolutio, pecunia, quam in terra abſcondis. Tantorum ſcias te bo-

Digitized by Google

na inuadere,quantis poſſis, & non vis præſtare.Hinc ait glorioſus Hiero. Quicquid ampliùs,quàm nobis opus eſt,à Deo accepimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum eſt,noſtris cupiditatibus vel vanitatibus reſeruamus,quãti pauperes in locis,vbi ſumus paupertate, aut nuditate defecerint,nouerimus nos de animabus illorũ in die iudicij rationẽ daturos.Denique,vt ſãctus Thomas in ſecũda ſecundæ declarat:Tẽporalia bona,quãuis ſint poſſidentis,quantũ ad proprietatẽ: tamẽ quantum ad vſũ debent eſſe illorũ, qui de eorum ſuperfluo poſſunt ſuſtentari. Propter quod ſanctus ait Baſilius : Si fateris ea tibi diuinitus prouenisse, an iniuſtus eſt Deus, res inæqualiter nobis diſtribuẽs? Cur tu abũdas,& ille mẽdicat?Niſi vt tu bonę diſpenſationis merita cõſequaris, & ille patiẽtię brauiis doceatur? IV. Nimis arctam facis viã ſalutis SE.Quæ dixi adhuc minus ſtrictè minúsque terribiliter ſonãt,quàm quod filius Dei in Euãgelio ait, Facilius eſt camelum per foramẽ acus trãſire,quàm diuitem intrare in regnũ cælorum. IV. Omnes ergo diuites ſunt in ſtatu damnationis? SE. Sicut in libro S. Iob legitur:Deus potentes non abiicit, cùm & ipſe ſit potens.Sic dicere poſſumus : Deus diui

diuites nõ abijcit, cùm & ipſe ſit diues Porrò Chriſtus per diuitem intellexit amatorem diuitiarum immoderatum:atq; ad inſinuandum, quàm pauci ſint diuites iuſti, ſic loquitur: vnde & verbis illis præmiſit, Quàm difficile, qui pecunias habẽt, intrabunt in regnũ cælorum! IV. Ad diuitias vehemẽter affici cõſueui, & quomodo poſsũ nunc affectũ meum ab illis auertere? SE. Si cõſideres, quòd diuitiæ ſunt tam periculoſæ, vt dixi, & quòd eis ſint tot mala annexa, quòd itẽ ſuperfluus amor earũ ſit charitatis venenum, & auaritia appellatur, quã Apoſtolus idololátriã vocat. Inſuper ſi attendas, quòd Deus ſit infinitè, & prorſus incõparabiliter vniuerſis, & cunctis creatis amabilior, melior, atque ſuauior: ꝙ etiam ſpiritalia eius dona (quæ ſunt animarum opulentia) ſint ineffabiliter digniora cunctis terrenis diuitijs. Si quoque perpẽdas breuitatem vitæ præſentis, in cuius termino cuncta terrena relinques: ac perpetuitatẽ vitæ ſequẽtis, in qua ſola ſpiritalia bona iuuare, ſuſtentare, ac beatificare te queunt. Nónne fatuũ reputares, quẽ cerneres lutum, & ſtercora pretioſiſſimis gẽmis, ac puriſſimo auro præferre? Quanto magis teipſum arbitrari debes inſipiẽtẽ, quãdiu Deo bonitatis, ac amabilitatis immẽ-

ſæ,& ſpiritualibus donis ipſius, ac felicitatis ęternæ pręfers hęc temporalia & caduca: nec quo ad hoc vis ea cõtemnere, quòd à diuino amore, à gratia, & virtute, à ſpirituali profectu, à ſalute perpetua te impediunt, & auertunt? I V. Fortia, ſapientialia ſunt quæ dicis, nec quod dicere valeã habeo: nec tamẽ ex me adhuc ad diuitiarum deſpectũ pertingere queo. S E. Fac quod in te eſt, te ad gratiã diſponendo, & Dominũ inuoca adiutorem, nec deerit tibi. Nónne multi gentiles philoſophi, ex naturali ratione, atque virtutibus acquiſitis cõtẽpſerunt & abiecerunt diuitias, ne earũ amore, & occupatione, à ſtudio ſapiẽtiæ naturalis impedirẽtur? Quantò magis amore ſupernaturalis ſapiẽtiæ, gratię gratum facientis, infuſarũ virtutũ, atque donorum, atq; fructuum ſpiritus ſancti beatitudinis quoque futuræ, ac ſempiternæ, & maximè intuitu & amore Dei tui, id facere debes, vt ſaltem neceſſarijs ſis cõtẽtus? I V. Bonum eſſet ſic agere, ſed quis poteſt? S E. Cur puſillanimis manes? cur in te ſtas, & non ſtas? Fige ancoram ſpei tuæ in Domino. An non vides, quã multi elegantes, docti, locupletes, nobiles, adoleſcẽtes, ac iuuenes, quotidie deſerãt mundum, parẽtes, cognatos, conſortes, & cuncta, quæ habẽt, habituriq; erant

in

in ſæculo,& clauſtra ingrediuntur, imò & ordinē Carthuſienſiū, in quo ſub perpetua manent clauſura? IV. Video, & admiror: nec ſine ſpiritali gratia id fieri poſſe reor. SE. Nunquid perſonarum acceptor eſt Deus? Nónne prope eſt omnibus inuocātibus eū? omnibus inuocātibus eum perſeuerãter, in veritate? nec vlli depoſcenti ſuæ gratiæ denegat opem. IV. Ecce ex his ad diuitiarum contēptum inclinor,& neceſſarijs contentus eſſe propono. Veruntamen ad honores mundi,ad humanas laudes,ad dignitates,ac præſidētiam, adhuc cor meū afficitur,ſeque ad hæc licitè affici arbitratur, cùm iuxta Philoſophum, homini videatur præmium eſſe virtutum: ſolíque ſapientes ac virtuoſi principatu ac prælatione ſint digni. SE. Talis affectio Chriſtianæ religioni non congruit, ambitionis eſt vitium, & veræ humilitati contraria: imo & vitiorum grauiſſimorum origo, quemadmodū in ſequenti pandā articulo.

Acto. 19.
Pſ. 144.
Ariſto.

Quòd ad veraciter Chriſtianum pertineat gloriam, & honorem mundi, laudes humanas, promotionem ad præſidendum aſpernari ac fugere. ART. VIII.

SENIOR.

SCire te puto ſanctam humilitatem eſſe fundamentum virtutum,ſicut ſuperbia

mater eſt,& origo omnium vitiorũ. Agnoſce ergo teipſum,& ita intelliges, an liceat tibi appetere principatũ, honorẽ, laudẽque hominũ. IV. Cognoſco me eſſe rationalem creaturam, nõ ſolùm cunctis irrationabilibus creaturis eminentiorem, ſed multis quoq; hominibus doctiorẽ, atque in multis præeminentem his, inter quos viuo, & ambulo: propter quod dignũ me arbitror honorari ab ipſis, ac ipſis præeſſe. SE. Si propter huiuſcemodi eminẽtias tuas cõtẽdis alijs præſidere, nõ deerũt, qui in his, aut conſimilibus, aut certè maioribus donis erunt, aut reputabunt ſe excellentiores te, & tuæ promotioni reſiſtent, ac tibi præferri nitentur: ſicque inter illos & te orientur diſſenſio, diſplicentia, inquietudo, ſuſpicio, rancor, lis, atque contentio. IV. Hæc quotidie oriri inter eos, qui ad principatũ, & prælationẽ aſpirant, experientia monſtrat. SE. Quomodo ergo opinaris te id licitè affectare, ex quo tot vitia oriuntur, & quod affectantem ſic maculat, inquietat, atque ab omni profectu ſpiritali, & vera mentis trãquillitate impedit, & elõgat. IV. Nónne aliqui iuſti pro principatu obtinẽdo, aut conſeruando decertant? SE. Hi quibus ex iure ſucceſſionis, aut alio titulo iuſto competit principatus, pro eo poſſunt certare, dummodo

modo recta eorum ſit intẽtio, & ipſi ſe dignos exhibeant principatu. Aliunde verò ad præſidentiam aſpirare, prçſertim ad Eccleſiaſticas dignitates, ac promotiones (quibus cura annexa eſt animarum) præſumptuoſum, ambitioſum, incautũ, imo & ſtultũ cenſetur. LV. Nõne his, qui vigẽt, & præpollent ingenio ac prudentia, iure naturali, cõpetit præſidere, vt ait Philoſ?ss. Si ingenio, ac vera prudentia (quç ſine alijs virtutibus non habetur) prçſertim infuſa prudentia, polleant: cçteroſque tranſcendant, præeſſe ſunt digni. Non tamẽ conſequitur quòd ſeipſos ingerere debeant, aut præſidẽtiam affectare, ſed præſtolari, humiliare ſeipſos, ſubeſſe & obedire, quouſque vocẽtur legitimè. Cùm dicat Apoſtolus: Nemò aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Et Eſaias: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram nobiſmetipſis prudentes. Vnde & Paulus: Nolite (inquit) eſſe prudentes apud voſmetipſos. Quòd ſi væ his, qui in oculis ſuis prudentes ſunt, quantò magis his, qui ſe alijs reputant prudentiores potiſſimũ cùm infuſa prudentia prçſupponat charitatem, in qua nemo ſe eſſe cognoſcit pro certo, ſine reuelatione diuina? Sed iam pleniùs exprime mihi quid ſis. Cùm enim dixi,

Digitized by Google

Agnoſce teipſum, nõ id admonere intẽdi, vt noſcas, quid ſis diffinitiué, ſeu per naturã, & quantũ ad dona fortunæ (quæ bonis & malis ſunt cõmunia) ſed vt penſes qualis ſis per conuerſationem. I V. Defectuoſum & fragilem me eſſe nõ denego. S E. Si ergo hucuſque non rectè rexiſti teipſum, nec ſub regimine ſuperioris iuſtè vixiſti, quo colore appetis alijs præſidere? Intuere, quantæ debeat eſſe virtuoſitatis, qui dignus eſt præeſſe hominibus. Nónne iudex debet eſſe quaſi viua lex, ac animata iuſtitia, vt nuſquam ab æquitate & veritate declinet? Quòd ſi quis vera careat humilitate, vtpotè ambitioſus, ô quam lõgè diſtat à virtuoſitate. Denique vniuerſa & ſingula tua peccata clare & efficaciter penſes ac ponderes, non iam primatu, honore, laude & gloria, ſed omni deiectione, cõfuſione, vituperio, ſubiectione dignum te reputabis. Itaq; qui in virtutibus, & profunda humilitate exercitatus non eſt, & qui ſubeſſe, ac promptè obedire nõ didicit, nõ eſt aptus & dignus præeſſe. Nec enim idoneus eſt alios in virtutibus edocere, qui in virtutibus nõ eſt practicè doctus. I V. Si hęc ita ſe habẽt, quid eſt, quòd in eccleſia, non ſolũ ad ſęcularia officia, & ad dignitates ciuiles, ſed ad ſpiritualia quoque regimina

mina & eccleſiaſticas prælaturas, multi inexercitati, & iuuenes, ac ſeipſos ad talia ingerẽtes, quotidie promouentur? SE. Allegare inconueniẽtia, non eſt ſatisfacere veritati, ſed abſurditates augere, ſiue detegere Veruntamẽ, quoniã id, quod tãgis, aſſiduè agitur, Eccleſia vehemẽter declinat, & innumerabiles tam pręſidentes quã ſubditi pereũt ac damnãtur Præterea ſi tales ad præſidendũ ſic aſpirãtes diſtrictionẽ pẽſarent diuini iudicij, nequaquã ſe tãto innodarent periculo, & qui pro ſeipſis non ſufficiunt ſummo iudici reddere rationẽ, nullatenus ſtatũ illum appeterent, in quo pro alijs quoq; obligarẽtur rationẽ dare altiſſimo. Scriptũ eſt enim: Iudiciũ duriſſimum in his quæ preſident, fiet. IV. Si tam periculoſum eſt, præſidere, mirũ quòd aliquis cupit primatũ. SE. Audi quid electus, & illuminatus dicat Greg. Vnuſquiſque toties ad apoſtaſiæ crimẽ dilabitur, quoties præeſſe hominibus gloriatur. Et rurſus, Toties Deũ meum præcedere cupio, quoties proximis meis præeſſe deſidero. Et, quem nunc iudicẽ eſſe delectat, Chriſtum iudicẽ videre in die iudicij non delectabit. Itẽq;, Numerari vitia nequeũt, quæ ex ambitione procedunt. Hinc & ſanctus Bernard. diſſeruit, O ambitio, crux ambientium, quomodo

Philoſ.

Officia & dignitates quã to periculo ambiãtur.

Sapien. 6.

Gregor.

Bernard.

quomodo omnib⁹ placẽs, omnes torques? Et denuò, Quid magis mirandũ, quid amplius deteſtandũ, quid grauiùs puniẽdum, quàm quòd videns filiũ Dei ſummo in regno angelorum, factum nouiſſimum in regno hominum, apponat adhuc magnificare ſe homo ſuper terram? IV. Mirum quòd Chriſtus in Euangelio iſta non tangit. SE. Non ſolùm in Euangelio tangit hæc, ſed exemplo, & verbo apertiſſimè percutit, damnat, cõfundit totius ambitionis inſaniã, omnis arrogantiæ vanitatẽ, vniuerſã laudis humanæ, gloriç ſæcularis, tranſitorijq́; honoris affectionem. Nónne apud Ioannem narratur: Sciens Ieſus, quòd venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit in mõtem ſolus? Nõne de Chriſto verè dixit Apoſtolus: Quòd propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta? Et denuo: Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Nónne in euãgelio ait: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde? Nónne frequenter loquutus eſt, Qui ſe humiliat, exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur? Denique ipſe venit in mundum hunc, & in mundo hoc inter homines cõuerſari elegit,

elegit, non in opulentia temporali, non in deliciis carnis, nō in mundano honore, nō in poteſtate & gloria: ſed in maxima paupertate, in corporali afflictione, in profundiſſima humilitate, abiectione, perſequutione, obedientia, ſeruitute, factus obediēs patri vſque ad mortem. Et dixit: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: Pręterea cùm in cœna nouiſſima, facta fuiſſet inter diſcipulos adhuc imperfectos & rudes cōtentio, quis eorum videretur eſſe maior: reſpondit, Reges gentium dominātur eis, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt ſicut qui miniſtrat. Apud Marcum quoque loquitur, Quicūque voluerit fieri maior, erit veſter miniſter: & quicūque voluerit inter vos primus eſſe, erit omnium ſeruus. Atque vt in Matt. recitatur, interrogatus ab Apoſtolis Ieſus, quis maior eſt in regno cælorū: reſpondit, Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorū. Quicūque ergo humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum.

IV. Vt video, humilitas in primis neceſſaria eſt, & ipſa præcipuè cōmendatur. Eſtque neceſſe, vt homo in oculis ſuæ mentis ſit

vilis

vilis & modicus, & deprimat, non extollat ſeipſum, & cupiat obedire, ſubeſſe, ac paruipendi potiùs, quàm iubere, præeſſe, aut promoueri, quāuis hoc totū ſatis difficile videatur implere. S E. Hoc totum facile fiet nobis, paulatim delectabile erit, ſi conſideremus quotidie omnē Domini noſtri Ieſu Chriſti humilitatem, obedientiā, ſubiectionē, proprias quoque defectuoſitates, & innumerabiles, quotidianasque culpas: ſed & naturales defectus in corpore & in anima, ſordes, fœditatésque carnis, & ꝙ à nobiſipſis nil habemus niſi deficere, & peccare. Imò quòd nec ad momentum poſſimus manere in eſſe, nec aliquid meritoriè agere, niſi ex conſeruatione, & gratia Dei, cui omne bonum ſemper aſcribere obligamur. Si demū penſemus, quantū diſplīceat Deo, & quantum noceat homini ſuperbia, quantā mereatur damnationē, quātū etiam placeat Deo & quātū proſit homini beata humilitas. Nónne inter ſuperbos ſunt iurgia, humiles verò pacificè ac iucūdè conuerſantur adinuicem? I V. Bona doctrina, cui nec quicquam obiicere queo. Pleniùs tamen & compendiſè, quæſo, me inſtrue, qualiter omnia, ad quæ in iſto dialogo ac tractatu me admonuiſti, valeā adimplere. S E. Dirige te in Deo, & hæc omnia implebis.

plebis. IV. Quid eſt dirigere ſe in Deo? SE. Omnia illa appetere, & amplecti, quæ expediunt homini ad cõplacendũ Deo, ad proficiendũ in gratia, & charitate ipſius, ad obtinendum æternã ſalutem. IV. Quæ ſunt illa? SE. Corpus proprium per ieiunia, & abſtinẽtias, per vigilias fructuoſas, & diſciplinas, per pœnitentię opera caſtigare, ſenſualitatem rationi ſubiicere, in aduerſis gaudere, iniurias, correptiones, aſperationes hilariter tolerare, ad aſſiduam mentis vnionẽ cũ Deo indefeſsè conari, per orationes feruẽtes, per meditationes ſalubres, per ardẽtes affectus, atque in omnib' corã Deo cuſtoditè, & timoratè, ac ſynceriter conuerſari. IV. Ad carnalium deliciarũ deſpectũ, ad tẽporaliũ diuitiarũ vilipenſionẽ, ad tranſitoriũ inaniũ, fallaciũque honorũ horrorẽ ac fugam, per omnia præinducta me attraxiſti: Veruntamen, quoniam ſenſus & cogitatio cordis humani proni ſunt ad malũ ab adoleſcentia, in tãtum quòd peccare delectat, & ad ludos, iocos, confabulationes, ſolaria, iugiter inclinamur, nos qui in virtutibus nondum ſumus conſtabiliti, precor, vt aliquid dicas de his, quæ ad peccati horrorem & fugam accendunt.

De his quæ ad horrorem & fugam peccati inducunt, & enormitate ac grauitate peccati, de

ſtu

ſtultitijs quoque peccantium, & de effectibus vitiorum.

ART. IX.

SENIOR.

GRauitas, enormitáſque peccati ex multis pẽſantur, præſertim ex parte Dei per omne mortale peccatum contemnitur, relinquitur, & amittitur. Ideò quantò maior eſt bonitas Dei, tantò deteſtabilius eſt, ei præferre iſta terrena, carnalia, & caduca, & propter iſta vana, fœda, ac vilia ſe ab ipſo auertere, ac bonũ tamen purũ & infinitũ relinquere. Rurſus quo maior eſt auctoritas, ac dignitas Dei præcipientis, eo enormius eſt ipſius præcepta præuaricari, prẹſertim ipſomet intuente. Iterum, quo maior eſt ſapiẽtia Dei, eo ſtolidius eſt, eius documentis & exhortationibus non obtemperare. Amplius, quo maior eſt ſanctitas, ac iuſtitia Dei, eo plus diſplicet ei iniquitas: Quo etiam gratioſiùs nos præuenit ſua gratuita ad nos dilectione, eo peruerſius eſt, eũ nõ redamare, ſed ab ipſo mentẽ auertere. Quo item maiora, & copioſiora ſunt beneficia eius, eo plus improbum, ingratũ eſt, ipſum offendere, & mala pro tot bonis rependere. Poſtremò quo maior eſt dignatio, atque fidelitas eius ad nos, in tantum quòd à nobis pauperrimis vermiculis

Gregor.

Digitized by Google

culis pater appellari dignatur, eo damnabilior eſt noſtra tranſgreſſio. Et ſi vitioſum valde cenſetur carnalibus eſſe rebellē parētibus, nonne ſceleratiſſimum eſt Deo patri omnipotēti non obedire? IV His plane contradici non poteſt SE. Quemadmodū ergo infinitam Dei bonitatem, fidelitatē, dignitatē, ſapientiam, charitatē, beneficentiam, dignationem & eminentiam, in hac vita cōprehēdere nō valemus: ita nec plene ac lympide capere aut exprimere poſſumus quanta ſit grauitas atq; enormitas omnis peccati mortalis. IV. Heu quid audio? Quam enim inter peccata mortalia ſit tāta diuerſitas, ita vt vnum ſit aliquo quaſi incōparabiliter maius & grauius: ſi tāta eſt minimi peccati mortalis enormitas, quid de grauioribus vitijs, quibus me & contaminatum nō ignoro, eſt ſentiēdum? SE. Bene cōſideras. Quēadmodum enim vna virtus eſt dignior alia, ſic vnum peccatum eſt alio grauius. IV. Inchoatā diſputationem proſequere. SE. Frequenter contingit, vt id quod in ſeipſo plenè cognoſci non valet, ex ſuis cognoſcatur effectib. ſic & cuiuſlibet mortalis peccati ineffabilem grauitatē aliqualiter ſcire valemus, ſi cōſideremus qđ Deus naturaliter pius & bonus, nō obſtante omni ſua benignitate & charitate

ad genus humanũ, pro vnoquoq; peccato mortali æternã dãnationẽ & pœnã omni tormento huius vitę acerbiorã, nunquã finiendã infligit, imo pœnarũ cõgeriẽ inæſtimabiliter, doloroſam videlicet pœnam damni & pœnã ſenſus Ipſáq; pœna ſenſus eſt multiplex, quia nunc ęſtuãtiſſimo calore, nunc vehemẽtiſſmo frigore abſque reductione ad mediũ miſeri affligunt dãnati. Nec tãtum ipſo infernali incẽdio gehẽnalique frigore cruciantur, quantum ipſa mẽtis deſolatione, anguſtia, deſperatione, preſſura, dum iugiter penſant tantã eorum calamitatem perpetuò duraturã. Iam dęmonum quoque ſocietas & horrẽdus aſpectus pœnaliſſimus eſt damnatis. IV. Metuẽda iugiter & penſanda ſunt iſta, quòd ſi pro mortali peccato, quantumlibet paruo, infligitur tanta punitio, quàm intoleranda ac vehementiſſima erit eorum pœna qui grauioribus vitijs implicantur, imò multis mortalibus ſordent criminibus? Sed dic an etiam venialia puniantur in inferis & quàm diu. SE. Deus iuſtus nullum malum quantumlibet modicum deſerit impunitum. Nónne Chriſtus in euangelio dixit, Quòd de omni verbo otioſo exigenda ſit in die iudicij ratio? Quamuis autẽ peccato veniali nõ æterna, ſed temporalis pœna

debea

debeatur ſecundùm ſe tamen, in quantum cõiunctũ eſt culpæ mortali, & ratione ſtatus miſerorum in inferno, in quo nulla eſt redemptio, dicunt doctores communiter quòd etiã venialia in inferno æternaliter puniantur. IV. Grandẽ formidinem & tremorem mihi iſta incutiũt, & certè inſenſati ſunt qui iſta nõ penſant. ſed abſque terrore & ſigno perpetrant mala. SE. Multæ & magnæ ſunt peccãtium ſtultitię. Prima 1
eſt, quòd peſſimo & crudeliſſimo ſuo hoſti deſeruiunt, à quo tanto grauiora recipient ac ſuſtinebunt tormẽta, quãto plus ſeruierint & acquieuerint illi. Secunda quia à 2
ſũmo & optimo ſuo amatore ſcilicet Deo auertunt ſe, & eius voluntati, præceptis, documentis, conſilijs renuunt conſentire. Tertia, quia ſpiritaliter corda ſua excæ- 3
cant, iuxta quod ſcriptum eſt, Excęcauit eos malitia eorum. Quarta, quia lethaliter 4
vulnerant, imò occidunt animas ſuas, ſicut in libro Sapien. ſcriptum eſt: homo per malitiam occidit animam ſuam. Et item, Os quod mentitur occidit animã. Quinta, 5
quia ſeipſos diabolo incorporant, illaqueant, tradunt & vẽdunt. Sexta, quoniam 6
omnia præcedentia merita ſua mortificãt. Septima, quia omnes ſpiritales ſuas diui- 7
tias, ſcilicet gratiam, virtutes & dona

8 ſpiritus ſancti amittũt. Octaua, quia ſpiri-
tũ ſanctum eiúſq; inhabitationẽ pijſſimam
à cordibus ſuis excludunt, atque in eis dia-
9 bolo exhibẽt manſionem. Nona, quia ſciẽ-
10 ter & ſponte ad inferos gradiuntur. Deci-
ma, quoniam vilia corpora ſua præferunt
ſuis nobilibus & immortalibus animabus,
magíſque amant & quærunt temporalia
quàm æterna, præſentia quàm futura, ter-
rena quàm cæleſtia, carnalia quàm ſpiri-
11 tualia ac diuina. Vndecima, quòd dæmonũ
ſuggeſtionibus acquieſcunt, & angelorum
12 ſanctorum inſpirationibus inobedientes
cõſiſtunt. Duodecima, quòd matrem ſuam
eccleſiam ac bonos prælatos ſpiritaléſque
patres ſuos audire contemnunt. IVVE. In-
comparabiliter magnæ & inexcuſabiles
ſunt iſtæ ſtultitiæ. Nũc de effectibus vitio-
rũ aliquid adde. SE. Quemadmodum cha-
ritas virtutéſque cæteræ faciunt hominem
dei amicum, filiũ adoptiuum, ſeruum fide-
lem, æternæ vitę hæredẽ, membrũ ac mili-
tem Chriſti, deo conſimilem & vnitum, ſic
omne mortale peccatũ facit hominẽ ad-
uerſarium Dei, filiũ & ſeruum ac membrũ
diaboli, dignum pœnis inferni, ſpiritali-
ter mortuum, miſerum, pauperem, cæcum
& nudum: ita quòd ſuæ ſalutis ſit imme-
mor, nec ſua aduertit pericula, nec ea quæ
Dei

Digitized by Google

Dei ſunt, ſapiunt ei, nec vitiorum ſuorum percipit læſiones, imo ad ea quæ ſuã concernunt ſalutẽ, inſenſibilis exiſtit. Venialia quoque peccata ad mortalia diſponunt, charitatis feruorẽ diminuũt, ſpiritalẽ conſolationẽ impediunt à profectu retrahunt ſpiritali, ratardant à gloria, & magna purgatorij merentur tormenta mẽtis quoque inquinant puritatem, & eius cum Deo familiaritatẽ præpediunt, tẽpus infructuosè expendunt. Idcircò qui mortalia peccata cupit vitare, neceſſe habet diligentiam adhibere, vt & venialia, quo ad eius fieri poterit, declinet, & quotidiana peccata deploret quotidie, atque in via virtutum proficiat, quia in ea nõ progredi neque proficere, regredi eſt & deficere. IV. Iam tam a mihi loquutus es de enormitate peccati, de ſtultitiis peccatoris, de effectibus vitiorũ, de ſuppliciis damnatorum, vt ſaxo & ferro ſit durior, qui ex his non cõpungitur, nec terretur, nec vitia deteſtatur, nec pœnitere & conuerti feſtinat. Ego itaque conſideratione horum pœnitere & mox conuerti propono, auxiliátéque Deo dignos pœnitentiæ fructus agere cupio. ſed; proh dolor! adhuc terret me arctitudo viæ ſalutis, difficultas virtutũ, pœnitentiæ labor, pugna tentationum, & perſeuerantia laborioſa

vſque in finem, ideò precor vt ad hæc arripiēda me animes & confortes, méque mœſtum ac tremulum conſoleris. SE. Libenter quantum Dominus dederit, faciem.

Exortatio, conſortatio & conſolatio, ad aggrediendum viriliter ac iucunde viam ſalutis, pœnitentiam ſalutarem, conuerſionem perſeuerantem. ART. X.

SENIOR.

COnſiderare debes in primis, ô iuuenis, quòd Dominus noſter Ieſus in euāge. ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugū meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus veſtris. Iugū enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Mox ergo vt viā pœnitentię ac ſalutis cœperis introire, & laborē ac difficultatē ſenſeris in eadem, accede ad Chriſtum, & ipſe reficiet te, Quúmque iugum præceptoris ipſius ſuper te ſumpſeris, & mandata eius exequi cœperis, inuenies requiem animæ tuæ, & experieris quòd iugum CHRISTI, id eſt, lex euangelica, ſuaue exiſtat, & promptè ac dulciter Deo obediens ſeruiens eris. IV. Quid eſt ad Chriſtum accedere, & quid eſt refici ab eo? SEN. Ad Chriſtum accedere, eſt eius pietatem, charitatē, & omnipotentiam

tentiã cõſiderare, & ipſum cõfidenter, humiliter, ac perſeueranter orare, vt dona gratiæ ſuę dignetur augere in ipſo orante, & conſolationẽ internam interdũ conferre: & præſertim charitatẽ accẽdere atq; in omni tentatione & neceſſitate gratioſè aſſiſtere ac iuuare. Ad hunc ſpiritalẽ acceſſum hortatur Apoſtolus dicens: Adeamus cũ fiducia ad thronũ gratiæ eius, vt miſericordiam cõſequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno. Et Pſalmiſta: Accedite, inquit, ad eum & illuminamini: & facies veſtrę nõ confundentur. Denique quàm confidenter debemus orare, ipſemet Chriſtus infallibilis veritas docet, dicẽdo: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis: Omnis enim q̃ petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperiet̃. Atque, vt idẽ teſtat̃, Oportet ſemper orare & nõ deficere. Oportet quoque Deũ maieſtatis & ſanctitatis immẽſæ vbique præſentẽ ac omnia intuẽtem, cum grandi reuerẽtia & diligenti cordis cuſtodia inuocare: non ex arida conſuetudine, nec corde diſtracto, pigro ac tepido. Qui ergo ſic inuocauerit Deũ, exaudietur certiſſimè, & cõſolationes diuinas experietur frequenter: ſicq́ue celeriter in charitatem proficiet, & accẽdetur cor eius in Deo, ita

quod cum ingenti alacritate, ſpiritalique gaudio ſeruiet ei. Sicut hortatur propheta, Seruite domino in lætitia Introite in conſpectu ei⁹ in exultatione Paul. quoq;, Gaudete in domino ſemper. Verũ ad hæc impetranda & cõſeruãda neceſſe eſt carnales & mundanas conſolationes deſpicere, ac vitare, & coram Deo timoratè, cuſtoditè ac ſolicitè ambulare, cogitando ac venerãdo aſſiduè omnipotẽtis dei pręſentiã IV. Magna ſunt hæc Virtus tamẽ, vt puto, ex ſua natura eſt ardua, eſtq; diffi-ile ac laborioſum, actibus virtutum inſiſtere. SE. Meliùs intuere Quid.n dulcius & quietius charitate pietate, mãſuetudine, patiẽtia, ſobrietate? Quid verò amar:us ac pœnalius inuidia & rãcore. crudelitate, indignatione, ira, impatien:ia & guloſitate? Virtus ergo ex ſua natura ſuauis eſt, & actui ſuo habet delectationem annexã, idcirco menti bene diſpoſitæ delectabile eſt virtutum actibus inhærere & ſpiritualib. exercitijs occupari. Quid dulcius animæ deuotæ ac feruidæ, quã deũ laudare, pſallere, orare, contẽplari, diligere, & ipſum brachijs charitatis intra ſe amorosè cõſtringere? Hinc Iacobus Apoſtolus aſſignans quædam remedia prauæ triſtitiæ expulſiua diſſeruit. Triſtatur aliqs veſtrũ, oret æquo animo & pſallat.

Digitized by Google

lat. IVVE. Vnde oritur difficultas inſiſtendi actibus virtutum in multis hominibus? SE. Dimiſſis peccatis manent adhuc in homine nouiter conuerſo reliquiæ peccatorum id eſt, pronitas ad peccandũ, difficultas ad bene agendum, infirmitas reſiſtendi tẽtationibus ex priſtina aſſuefactione iniqua. Hæ autẽ reliquię vitiorũ paulatim tolluntur per exercitia bona, per aſſuefactionẽ ad meliora, per charitatis profectũ, per diligentẽ exercitationẽ in omni virtute, ſicq; vitijs extirpatis cũ ſuis reliquijs & paſſionibus reformatis, virtus eluceſcit, atq; facillimũ fit virtutum actibus occupari, Deo vniri, in ipſo quieſcere, & ea quæ Dei ſunt ac ſalutis intẽdere: imò ſic mens in affectũ totius boni honeſti totaliter transformatur, ac in Deo firmatur, atque ab eo quotidie copioſi⁹ locupletatur, lympidi⁹ illuſtratur, frequentiùs viſitatur, validiùs quoque accenditur, & vberiores cõſolationes ſortitur: ita vt cum viro ſancto dicere poſſit Deo, Secundũ multitudinẽ dolorũ meorũ in corde meo, cõſolationes tuæ lętificauerunt animam meã Et cũ Apoſt. Benedictus Deus qui cõſolatur nos in omni tribulatione noſtra. IV. Bona & conſolatoria ſunt hæc verba. SE. Si Deus eſt in iſto exilio, in valle hác lacrymarum, in hoc pœnitentiæ

loco,ſuos electos tam dulciter conſolatur, & tãta chariſmata gratiarũ largitur,quantam putas beatitudinẽ,quàm glorioſam & copioſam mercedẽ præparauit eis in cœlis in throno gloriæ ſuæ,in patria beatorum? IV. De hoc audire te opto SE. Spes & conſideratio præmij minuunt vim flagelli, & difficultatem laboris alleuiãt. Si ergo perpenderis quãinæſtimabilem & exuberantiſſimã atq; æternã mercedẽ, felicitatem & gloriam præparauerit Deus altiſſimus ſuis fidelibus ſeruis pro temporali eorũ obſequio, pro breui labore, pro modico cultu, maximè autem pro pia ac feruenti eorum affectione ad Deũ, fateberis nihil dignum ad præmia illa cæleſtia te agere poſſe, non terrebit, ſed delectabit te pœnitẽtię labor, obſequiũ dei, & omnis aduerſitas. Propter quod ait Apoſt Nõ ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriã illam Et rurſus, Id quod in præſenti eſt momentaneũ & leue tribulationis noſtrę ſupra modum in ſublimitate æternũ gloriæ põdus operatur in nobis. Imo ſi poſſemus quotidie millies mortẽ pati pro gloria illa, & mille annis deo ſeruire pro fruitione illa beatifica ſummi boni per vnum diẽ habẽda, adhuc non eſſet cõdigna omnis hæc paſſio, & vniuerſa hæc ſeruitus ad tantam mer

mercedem & gloriam, quæ cõſiſtit potiſſimè in clara, immediata ac iucũdiſſima viſione diuinæ eſſentiæ: atque in pleniſſima ac ſuauiſſima fruitione bonitatis æternæ ac infinitæ. Quàm incomparabiliter putas eſſe iucudũ ſummi & adorandi Dei, vultum ſuperpulcherrimum in ſe ipſo clariſſimè intueri, eiúsque infinita dulcedine ad libitũ frui, quũ ipſe glorioſiſſimus Deus ſit vniuerſis & ſingulis creaturis prorſus infinitè pulchrior, melior, amabilior, dulcior, perfectior, atque felicior? Deinde cõſpicere, qualiter natura noſtra ab vnigenito Dei filio ſit in vnitatem perſonæ aſſumpta, gratioſiſſimè decorata, & glorioſiſſimè exaltata. Videre inſuper electiſſimam & præclariſſimam Dei genitricem, ac virginem, omnéſque ordines angelorum ac ciuium ſupernorum. IV. Tantæ mercedis & gloriæ conſideratio tam immenſa, & nunquam finienda felicitas, omnem teporem pigritiæ, omnem horrorem laboris, omne tędium meritò debent excludere: alacritatem ingerere, charitatem accendere, & ad indeſinentem excitare profectum virtutum. SEN. Quamuis hoc ita eſt, potiùs tamen debemus Deo ſeruire, & ipſum diligere, propter puram ac infinitam bonitatem, honorabilitatem & ſanctitatem

ipſius

ipſius quàm præmiorum intuitu, IV. Ad hæc ſucceſſiuè pertingitur. Verũtamen de cæleſti felicitate & gloria illa plus aliquid audire inardeſco. SE Quid tibi plus dicere poſſum? Apoſt. dixit: Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt quę præparauit diligẽtibus ſe. Ecce tãta eſt charitas, liberalitas, dignatio Dei ad ſuos electos: quòd præparauit eis ſeipſum, vt ſuæ gloriæ infinitæ ſint participes & conſortes, & ipſum poſſideãt, intueantur, & guſtẽt ſicuti eſt in ſeipſo, atque quòd ipſe eſt per naturã ſint ipſi per participationẽ & gratiã cõſummatã, ſicque pleniſſimè transformentur ac feliciſſimè abſorbeantur in ipſum, & inauertibiliter ac æternaliter cũ ſecuritate perfecta fient intẽti vultui gloriæ eius cũ ardẽtiſſima charitate & ſuperfluentiſſima iucũditate. Certè tãta eſt pulchritudo deitatis æternæ, tãta iucũditas viſionis lucis diuinæ & increatæ, tanta dulcedo beatificę fruitionis ſummæ ac præſtantiſſimæ bonitatis: vt quamuis non liceret manere in gloria illa niſi horula vna, propter hoc tamen innumerabiles anni ſæculi huius pleni deliciis merito cõtemnerẽtur. Ibi inceſſabilis & infatigabilis laus creatoris, cõtentio plena, ita vt nihil amplius appeti poſſit, ſumma concordia,

cordia, inuiolabilis amor, inuariabilis ſtatus, æterna ſecuritas, iucundiſſima prorſus ſocietas. IV. Satisfeciſti deſiderio meo, & nunc toto corde cum ingenti affectu ad pœnitentiam & conuerſionem indilatam paratus ſum Sed precor dignare me informare, qualiter inchoandum, proſequendum & conſummandum ſit mihi.

Qualiter pœnitens & conuerti volens, debeat, inchoare, proſequi & complere.

ART. XI.

SENIOR.

SIcut ſanctus aſſerit Auguſtinus: Initium bonorũ, confeſſio eſt malorũ. In primis ergo debes in ſecreto & quieto loco vitam tuam præteritã diligenter diſcutere, peccata tua quantum poteris, omnia ad memoriã reuocare, atque de his intra te cordialiter ac vehementer dolere, ſicq; ad cõfeſſionem procedere, & ea diſtinctè ac dolorosè cum pleno emendationis propoſito confiteri: & quicquid tibi pro ſatisfactione à confeſſore iniungitur deuotè, & in ſtatu ſalutis humiliter adimplere, & à recidiuo inceſſãter cauere. Deinde quum dicat Saluator: Si vis ad vitam intrare, ſerua mandata: oportet te præcepta Dei atque eccleſiæ omnia obſeruare, quantum ad tuum pertinet ſtatum. Vt ait Apoſtolus Iaco

Iacobus. Si quis totam legem impleuerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Debes ergo Deum ſuper omnia toto corde diligere, & teipſum ac omnia tua, & cuncta quæ agis, cogitas, appetis aut loqueris, ad Dei honorem & gloriam, & ad diuini amoris ordinare profectum. Quatuor nouiſſima tua iugiter in memoria habe. Totam conuerſationem tuam in timore Dei initiali ac filiali, & in profunda ac ſtabili funda humilitate. Coram proximis exemplariter viue. Ad reſiſtendum tentationibus ſemper eſto paratus. In dubijs quære à ſapientibus ac diſcretis conſilium, doctrinam. Quotidie antequam eas dormitum examina temetipſum qualiter diem expenderis, quid mali in ea commiſeris, quid boni omiſeris, & ſic de omnibus tuis peccatis, quotidianisque culpis dole, ingemiſce, plora, veniam pete, emēdationem propone, & ſuo tempore confiteri intende. In lecto decenter & pudicè te habe, mox, quando euigilas, cor tuum leua ad Deum orando, ac ſalubria meditando: & dum ſurgis, primùm quære regnū Dei & iuſtitiam eius, ac diem fructuosè expēde. In cibo, potu, ſomno, ac veſtitu moderamen obſerua, paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti quotidie diligenter recogita.

Motus

Motus animæ ac paſſiones vince ac rege, proximis eſto benignus, affabilis, charitatiuus. Pauperibus liberalis, imo ad omnia opera miſericordiæ tam corporalia quàm ſpiritalia pro poſſe intentus, linguā refræna. In exterioribus occupationibus mentem multoties ad Deum erige, diſcretionem in cunis obſerua, præſentiam Dei aſſiduè penſa Iuſtitiam dilige, eſto ſyncerus, omni calliditate, duplicitate, ſimulatione excluſis, maioribus eſto ſubiectus. Nemini quicquam debeas, niſi vt diligas omnes. In his & conſimilibus te exerce, profice, perſeuera. IVVEN. Saluberrimæ prorſus doctrinæ, quibus Deo præſtante obtemperare conabor. Et nunc, ô Senior venerande, ô pater dilecte, ex totis præcordiis gratias tibi ago, me totum tibi exhibeo ac rependo. SEN. Conuerſioni & gratitudini tuæ toto corde congratulor, de tuo profectu in Domino lætor. Præſtet nobis altiſſimus taliter conuerſari in ſæculo iſto, vt vitæ huius completo curriculo congregemur, & beatificemur ſimul in cælo, in creatore noſtro, qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis & benedictus Amen.

*

D.DION

D. DIONYSII CARTHVSIANI, DE FONTE *lucis, ac ſemitis vitæ, tractatus admodum fructuoſus ac ſpiritualis.*

PRAEFATIO.

QVis ſapiens, & intelliget iſta? intelligens,& ſciet hæc? Quia rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabũt in eis: præuaricatores verò corruẽt in eis. Verba iſta ad literã protulit ſãctus pro-
Oſe.14. pheta Oſeas. Primò ad inſinuandum difficultatem ſui voluminis. Secundò, ad deſignandam paucitatem intelligentium ſua dicta. Et horum rationem ſubiungens adiecit, quia rectæ sũt viæ Dei. In quibus iuſtos aſſerit ambulaturos, trãſgreſſores verò caſuros in eis. Quia & ſi interim fortè in eis cœperint proficiſci, nõ tamen in eis ſalubriter perſeuerant Porrò iuxta myſticum ſenſum verba hæc ritè ſuſcipiuntur de cognitione idonea triplicis viæ, qua itur ad fontẽ beatitudinis, ad vltimũ finẽ, ad creatorem omniũ Deum ſublimem & benedictũ, in cuius lympidiſſima, amoroſa, & fruitiua cõtemplatione omniũ mentium creatarum conſiſtit felicitas, quemadmo

Digitized by Google

admodum ipſe teſtatur vnigenitus patris æterni, loquens ad patrem. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum Deum. Et rurſus alibi, Ego ſum, inquit, α & ω, principium & finis. De quo Hieremias propheta: Verè, inquit, in Domino Deo noſtro ſalus Iſraël. Denique, quoniam pauci ad hunc beatiſſimum ac beatificum finem, Deum incomparabiliter glorioſum per rectas ambulant vias, his potiſſimùm diebus de quibus dixit Apoſtol. Scito quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines amantes ſeipſos, cupidi elati voluptatis amatores magis; quàm Dei. Idcirco ad inſinuandum paucitatem intelligentium efficaciter vias tres quibus ad altiſſimum eſt tendendum, (vtpote viam purgatiuam, illuminatiuam, ac perfectiuam,) meritò præinductum aſſumpſi verbum propheticum: Quis ſapiens & intelliget iſta? & cætera. Si quidem hæc ipſa quæ de hac triplici via dicentur, non niſi verè ſapientibus innoteſcunt aut eluceſcere queunt. Quod ſi quiſpiam aliorum ſe dixerit ea cognoſcere, factis negabit: eritque cognitio eius aut nulla, aut certè informis, nuda & arida atque damnationis meritoria grauioris, quemadmodum ait ſaluator: Seruus qui cognouit voluntatem

Ioan. 17. *Apo. 22.* *Hiere. 3.* *2. Tim. 3.* *Oſe. 14.* *Lucæ 12.*

Domini ſui, & non fecit, plagis vapulabit multis. Præterea omnes iniquos vias Domini ignorare, ſacra copioſè docet ſcri-
Iob. 14. ptura. Scriptum eſt enim: Rebelles lumini neſcierunt vias Dei. Vniuerſi autẽ in mortali exiſtentes peccato, rebelles ſunt lumi-
Baru. 3. ni: lumini ſcilicet incremento, Deo ſancto ac vero, & rectæ rationis iudicio. Hinc etenim dicit Propheta: Viã ſapientiæ neſcierunt, nec meminerũt ſemitarum eius. Propterea omnes huiuſmodi in ſcripturis diuinis inſipiẽtes ac fatui appellãtur. De quibus Salomon loquitur: Stultorum infinitus
2. Cor. 1. eſt numerus. Apoſtolus quoque: Stultã inquit, fecit Deus ſapientiã huius mundi. Eſt quippe in talibus vitium puerilitatis, quod quoq; ſtultitia nũcupatur, veræ ac ſalutari ſapientiæ contrariũ. Nã ſicut infantuli poma & pira præferunt auro ac gemmis: ita miſerrimi huius ſæculi amatores atq; turpiſſimi immunditiarũ carnaliũ dilectores, ſummo & incommutabili, incircunſcripto & incõparabili bono præeligũt ac præponũt iſta caduca, vana, & vilia: quo nihil ſtolidius, nihil irrationabilius, nihil iniquius valet excogitari. Itaque cõſtat, quàm pauci ſunt veraciter ſapientes, vtpote ſoli in charitate & gratia conſiſtentes, quorum cor à mortali immune eſt culpa. Quum etenim ſuper

Digitized by Google

ſupergloriosiſſimus Deus fons ſit totius lucis ac ſapiētiæ, certū quòd omnes à Deo auerſi,in tenebris atque ſtultitiis cōuerſantur, Pſalmographo concinēte : Neſciuerūt neque intellexerūt, in tenebris ambulant. Apoſtolus quoque, Obſcuratū eſt,ait,inſipiens cor eorum. Quum ergo hæc ita ſe habeāt,ego te,ô chariſſime mi, in Chriſto cupiēs veræ ac ſalutaris ſapiētiæ eſſe alumnum,atque per Dei itinera ad æternæ beatitudinis brauiū gradientū, propono,auxiliante ac peragente ſuperdulciſſimo ſpiritu ſancto ex tuo amore cōſcribere aliquid de viis Dei ſynceris ac ſplendidis : præſertim de triplici via ſalubri,qua vera ac ſempiterna obtinetur felicitas. Procedámque breuiter ac ſuccinctè quaſi pro quotidiano exercitio iſta cōpingēs , quemadmodū iā frequēter ac deuotè rogaſti Deniq; ante annos ferè duodecim opuſculū tibi ſcripſi de arcta via ſalutis, & mūdi contemptu nihilominus interim, per vias latas obtenebroſas ambulaſti Nūc verò maturioris factus ętatis,ac pœnitēs corde, ſacros in vrbe ac deuotione ordines aſſumpſiſti ꝓponēs poſt hac ſacerdotaliter atque canonicè cōuerſari Et quoniā Domino annuēte,intra dies quindecim primā cātaturus es miſſam,ego in ea aliquid tibi offerre deſide-

rans, aurũ verò & argentũ non habens, cogitaui charitati tuæ præſens deuotionale exercitium, ac paupertatis meæ opuſculum in illa offerre: cõfidens hoc ipſum probitati ac prudẽtiæ tuę magis, quàm nummos aliquot aureos placiturum: affectuoſiſſimè precans, vt in eo perſeuerãter poſthac exerceatis quotidie, ſicut nunc firmiter decreuiſti, nec in priſtina ruas mala. Ad quod te multa ſanè nunc obligant, vt puta canonicatur, ſacerdotium, literatura, & alia id genus quam plurima.

De multiplici via, de qua ſacra agit ſcriptura.

ARTICVLVS I.

Hiere.6. INterrogate quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis requiem animabus veſtris. Via dicitur mediũ inter duo extrema. Quædam ergo ſunt viæ Dei, per quas Deus ad ſuas creaturas præſertim intellectuales ac rationales procedit: non locum mutando, ſed eis aliquid influendo, aut in ipſis aliqua diſponẽdo, ſiue iudicia exercẽdo, ſicque proceſſus & influentiæ, operationes, decreta & exultationes Dei, vocantur
Prou.8. viæ ipſius. De quibus per Sapientem, increata ac genita ſapientia, quæ eſt verbum æternum & vnicus filius Dei fatetur: Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum.
Iob.29. De quibus & apud Iob quoque aſſeritur.

Ecce

Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum eius. Et Apoſt. Quã incomprehenſibilia, inquit, ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ ipſius. Alię ſunt viæ Dei per quas rationalis creatura graditur ac pertingit ad ipſum: vt ſunt diuina præcepta & euangelica Chriſti conſilia, opera bona, deſideria virtuoſa, cogitationes ſanctæ, loquutiones fructuoſę, atq; aduerſa pro Deo æquanimiter tolerata. De quibus vijs ſcriptũ eſt, Iuſtæ ac veræ ſunt omnes viæ tuæ, domine Deus omnipotẽs rex ſanctorum. Chriſtus quoque in euangelio: Arcta, inquit, eſt via, & anguſta porta quæ ducit ad vitã. De primis autem vijs ait propheta: Vniuerſæ viæ domini, miſericordia & veritas. De ſecundis verò: Vias tuas domine demõſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Præterea ſecũda viæ diſtinctio eſt, quòd vna eſt via electorũ, alia reproborũ. De quibus Salomon: Iuſtorum inquit, ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectũ diẽ. Via autem impiorũ tenebroſa, neſciunt vbi corruunt. Via electorum eſt conuerſatio virtuoſa, via pœnitentialis, obſeruatio præceptorum. De qua canit Pſalm. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. Via autem reproborũ eſt vita iniqua, conuerſatio carnalis & intimorata, tranſgreſſio legis

Rom. 12.

Apoc. 15.

Matt. 7.

Pſ. 108.

Digitized by Google

diuinæ. De qua via ait Saluator: Lata eſt
Matt. 7. via & ſpatioſa porta, quæ ducit ad perditionẽ. Porrò via hæc electorũ rectè ſplendida appellatur ac pulchra. Primò, quia ex pijſſima directione ſpiritus ſancti procedit & eius luce perfunditur, in omne equidem actu meritorio indigemus actuali motione ac directione ſpiritus ſancti, qui (teſte
Philip. 2. Apoſtolo) operatur in uobis & velle & poſſe. Secundò, quia ex gratia gratũ faciẽte & charitate (quæ ſunt ſpiritualia lumina mẽtis) progreditur, atq; earũ ſplẽdore formatur & clarificatur. Tertiò, quia ex rectæ rationis iudicio oritur. Omnis etenim actio virtuoſa ex deliberata naſcitur ratione. Quartò, quoniam Deo, qui eſt lux pura ac infinita, ſuperſplendidiſſimus ac ſuperpulcherrimus omniũ finis, noſtra corda cõiũgit. Nempe qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cũ eo. Quintò, quoniã vitiorũ tenebras fugat ab anima, eamq́ue venuſtat ac lucidã facit atque formoſam, in tantũ vt ſponſus cæleſtis loquatur ad eam: Quã pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Oculi tui colũbarũ, abſque eo ꝙ intrinſecus latet. Capilli tui, & cætera. Et quoniã via impiorũ iſtis luminibus caret. mentem deornat, obtenebrat, atque à Deo auertit,

tis,eam quoq; dęmonum eſſe manſionem, & ad infernalem trahit caliginem. Idcircò ritè tenebroſa vocatur,iuxta illud Hieremiæ, via impiorum quaſi lubricum erit, in tenebris impellentur & corruent in ea. Sed quæri poteſt quomodo via impiorum tenebroſa feratur in tantum vt impij quò ruant ignorare dicantur,quũ aliqui ex certa ſciẽtia & ex deliberata ratione atq; propoſito peccẽt,qui,teſte Hieremia,Sapiẽtes ſunt vt ſciant mala, qui quaſi de induſtria recedũt à Deo, qui vtiq; ſciũt ſe mala agere,& ad ea quæ tenẽtur, negligere,in profundũ etiã cadere vitiorum, ac promereri ſupplicia infernorũ? Et reſpondendũ quòd iuxta theologos atque philoſophos omnis peccãs ignorat,errat,maleq́; iudicat. Quia & ſi bene iudicet in communi, non tamen in particulari, imo paſſione, ignorantia, aut malitia rationis ſuæ iudicium incertis agendis ſeu fugiẽdis corrumpitur,excęcatur,ac deprauatur,& malum ſub ſpecie alicuius boni acceptat. Idcircò diuinus Dionyſius proteſtatur, quòd nullus ad malum reſpiciens agit.Et Sapiens: Omnis, ait, via viri recta ſibi videtur.Et rurſus: Stultis illudit peccatũ.Itẽ:Excæcauit,inquit, eos malitia eorum. Inſuper tertia viæ diſtinctio eſt,quòd quędam eſt via intrinſeca ac for-

malis, vt actio bona aut mala. De qua ſanctus Iob profitetur: Deus conſiderat viam meam, & omnes greſſus meos dinumerat. *Iob.31.*
Alia eſt via extrinſeca obiectalis. Sicque filius Dei aſſerit de ſeipſo: Ego ſum via, veritas, & vita. Et Eſaias loquitur Iſraëli, Prębuiſti dorſum tuũ viã omni pertranſeunti. *Ioan. 14.*
Quarta diſtinctio eſt, quòd quędã eſt via euidẽter mala. Alia verò eſt via apparenter ſeu veriſimiliter bona, & tamen veraciter mala: De qua apud Sapiẽtẽ legitur: Eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducũt ad mortẽ. Hæc via ſolet & bonos decipere, quoniã quædã ſunt vitia quę virtutes eſſe putantur, vt immoderatus rigor, iuſtitia, remiſſio, pietas, diſſolutio, hilaritas ac recreatio bona. Sic quidam perſuadent ſibi, Eccleſiaſticorũ pluralitatẽ beneficiorũ licere, vt valeãt hoſpitalitatem & cætera miſericordiæ opera copioſiùs exercere, nõ attendentes, quẽadmodum diuino Dionyſio edocente, bonum oporteat eſſe ex integra cauſa, nec bona malis permixta Deo placere, nec eleemoſynas de rapina eſſe acceptas, nec opera pietatis quę in diuini cultus vergunt minorationẽ ac derogationem & in eccleſijs demembrationem defunctorumq; deſtitutionem Deo grata cõſiſtere. Sic miſeri decipiunt ſemetipſos. *Pro.14.* *Diony.* *Eſai.63.*
Poſtre

Poſtremò quinta viæ diſtinctio eſt, ꝙ triplex eſt via ſalutis. Prima, eſt via purgatiua. Secũda, illuminatiua. Tertia, vnitiua ſeu perfectiua. De qua via triformi in præſenti opuſculo tractare noſtra ſtat ſentẽtia.

Qualiter Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit via purgatiua, illuminatiua, & perfectiua.

ARTICVLVS II.

VNus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Dominus Ieſus Chriſtus, qui in vnitate perſonæ eſt verus Deus & verus homo, ſecundũ ſuam deitatem eſt finis noſter, & ſecundùm ſuam humanitatẽ eſt via ad vltimũ finem. Propter quod dixit: Ego sũ via. Nemo venit ad patrem niſi per me. Et alibi, Ego (inquit) ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur. Ipſe equidem eſt via obiectalis & exẽplaris, quum ſit exemplar rectiſſimum quod nobis proponitur imitandũ, ſicut in prima ſua Canonica Ioannes ſcribit Apoſtolus. Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare. Vnde & beatiſſimus princeps apoſtolorum teſtatur, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Et ipſemet Chriſtus eſt loquutus. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Sic itaque Chriſtus eſt via inter fontem beatitu-

1. Tim. 3. *Ioan. 14.* *1. Ioan. 2.* *1. Pet. 2.* *Ioan. 12.*

dinis noſtræ Deum vnum ac trinũ, qui eſt omniũ ſummus vertex ac vltimus finis, & inter viatores mortales, videlicet homi-
1. Tim. 2. nes quos Deo reconciliauit. Propter quod Dei & hominũ mediator perhibetur. Denique Chriſtus eſt via purgatiua quadruplici ratione. Primò, quoniam ſuis terribilibus comminationibus, iuſtiſſimis increpationibus, ſanctiſſimis documentis à peccatis nos retrahit & emendat, vt quum in Euãgelio ait, Niſi pœnitentiã egeritis, om-
Lucæ 13. nes ſimul peribitis. Et rurſus, Eum timete qui habet poteſtatem & corpus & animam perdere in gehennam. Itéque, Dicet & his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Secundò, quoniam ſuæ ſanctiſſimæ conuerſationis exẽplis ab immunditia culpæ nos reuocauit, eripuit & purgauit. Vnde & ipſe ait: Qui ſequitur me nõ ambulat in tenebris. Tertiò, quoniã ſuæ ſaluificæ paſſionis virtute ac merito totum redemit genus humanum à vinculis peccatorum, iuxta illud Apocal. Chriſtus dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et Eſa. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Quartò, quoniam per ſacramenta eccleſiæ ſuos fideles

purgat

Digitized by Google

purgat quotidie. Sacramēta nāque à Chriſti paſſione purgandi ac ſanctificandi vim ſortiūtur, ſuntque vaſa medicinalia, quibus animarū lāguores curātur. Amplius. Chriſtus eſt via illuminatiua, primò, quoniam euangelicæ legis ſapientia nos inſtruxit, ac diuinorū cōtēplatione edocuit, iuxta illud Ioan. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundū. Hinc rurſus in epiſtola ſua Ioannes, Scimus, ait, quoniā filius Dei venit & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verū Deum. Vnde & ipſe loquitur Deo patri, Manifeſtaui nomē tuum hominibus. Secundò, quia à Chriſto tanquam à capite dona gratiæ, & lumen ſapientiæ deſcendunt in membra ipſius virtute ac merito ſuæ ſacratiſſimæ in hoc ſæculo vitæ ac paſſionis, quæ totæ nobis fuerunt meritoriæ. Idcirco apud Ioan. habetur: Gratia & veritas per Ieſum Chriſtū facta eſt, & de plenitudine eius omnes accepimus. Inſuper Chriſtus eſt via perfectiua: Primò, quoniam legem totius perfectionis plenitudinem continentem donauit, perfectā charitatem præcepit, omniumque conſummationem virtutū monſtrauit. Ipſe quippe eſt legifer ſummus, in *Mat. 22.* cuius lege omne malū abigitur, omne bonum docetur. De quo illud Iob veriſſimè

perfi

perhibetur. Ecce Deus excelſus in fortitu-
Eſa.33. dine: & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus.
Mat.22. Nimirum qui Deũ toto corde, tota mente,
tota anima, totiſq; viribus docuit, & præ-
cepit eſſe amandum: nec ſolùm amicos, ſed
etiam inimicos diligi iuſſit, & inter cætera
Ioan. 10. quoque dixit, Eſtote perfecti, ſicut & pater
veſter cæleſtis perfectus eſt. Secundò quo-
niam veram plenam nobis beatitudinem
meruit, & vltimo fini immediatè nos iun-
git. Propterea dicit, Ego vitam ęternam do
Ioan.14. eis. Et rurſus ait ad patrem, Pater quos
dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint
mecum, vt videant claritatem meam. Ter-
tiò, quia præceptis decalogi euãgelica ad-
iecit cõſilia, per quę obtinetur charitas ar-
dentiſſima, puritas ſumma, perfectio vera,
& futuræ beatitudinis in hac vita quãtum
Ioan.15. poſſibile eſt propinquatur. Quartò, quoniã
charitatẽ & omnem virtutẽ perfectiſſimè
adimpleuit, prout ipſe proteſtatur. Maiorẽ
hãc charitatẽ nemo habet, vt animã ſuam
ponat quis pro amicis ſuis. Quintò, quo-
niã tam ardentiſſimè nos amando, & tanta
pro noſtra ſalute agendo ac ſuſtinendo, ad
ſui amorem atq; diuinæ charitatis feruo-
rem nos maximè prouocauit, & quantum
in ipſo eſt, inflammauit. Quod perpendens
Gala.2. Apoſtolus, In fide (inquit) viuo filij Dei,
qui

qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me: Hinc lex euangelica dicitur lex amoris. Itaque Chriſtus eſt via purgatiua in quantum ſaluator, iuxta illud, Venit filius hominis quærere & ſaluum facere, quod perierat. Sícque cõpetit ei hoc nomen Ieſus: Angelo ad Ioſeph loquente: Vocabis nomen eius Ieſum: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuũ à peccatis eorũ. Eſt autem Chriſtus via illuminatiua, in quantum magiſter ac doctor: Prout de ſeipſo in Euangelio faſſus eſt, Vnus eſt magiſter veſter Chriſtus. Et item, Vos vocatis me magiſter & domine, & bene dicitis, ſum etenim. Sícque meritò conſiliarius appellatur, prout prophetico hoc prædictum eſt præſagio: Vocabitur nomen eius admirabilis conſiliarius. Ipſe demum eſt via perfectiua, in quantum ſacerdos & pontifex, ardentiſſimúſque amator. De quo in prima ſua ait canonica ſummus Apoſtolus, Conuerſi eſtis ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum. Ordo autem pontificalis præſertim eſt perfectiuus, vt magnus Theologorum princeps Dionyſius loquitur. Sícque competit Chriſto, vt pater futuri ſęculi & princeps pacis vocetur, quemadmodum apud Eſaiam legitur prophetam.

Luc. 1 *Matt. 1.* *Mat. 23.* *Ioan. 13.* *Eſa. 9.* *1. Pet. 2.* *Diony.* *Eſai. 9.*

Quid ſit via purgatiua formalis.

AR

ART. III.

PEr vnum hominem peccatum in hunc *Rom. 5.* mundũ intrauit, & per peccatũ mors: Quẽadmodum ſacra docet ſcriptura, Deus ab initio fecit hominem rectum, quia ho- *Eccle. 7.* minẽ protoplaſtum in originali creauit iu- *Gene. 1.* ſtitia, per quã caro ſpiritui, ſenſitiua pars rationi, & ratio Deo in omnibus promptè & abſque reniſu fuit ſubiecta. Sed primo pa- *Gene. 3.* rente diuinũ tranſgrediente præceptũ, caro ſpiritui mox cœpit eſſe rebellis, & ſenſualitas rationi, ac ratio Deo. Hinc omnes in originali naſcũtur peccato: & fomes peccati manet in nobis; & caro contra ſpiritum cõcupiſcit, & vulneratæ ſunt rõ ac voluntas atque ad omne malũ ſumus proclines ad reſiſtendũ quoque infirmi. Indigemus ergo in primis, vt in via nos purgatiua exerceamus quatenus à cunctis vitiis expurgemur pręteritis, & innumerabilia vndique vitemus peccata, atque à vitiorũ reliquiis emundemur: vt puta à pronitate & inclinatione ad culpas: ſicque ad originalis iuſtitię redeamus cõformitatẽ. Eſt igitur via purgatiua exercitium & conatus ſeu occupatio, qua tãquã per iter ac medium ad vitiorum expulſationẽ, ad paſſionum & concupiſcentiarum refrænationẽ, ad omniũ affectionũ animæ reformationẽ, ad cordium ſen

Digitized by Google

ſenſuúmque cuſtodiã,ac omniũ euitationẽ culparum tendimus ac conamur. Hoc eſt, planè non conformari huic ſeculo nequã, exuere veterem hominem,atque interiori homine reformari, corpus caſtigare & in ſpiritus ſeruitutẽ redigere, actibus quoque pœnitẽtiæ dignè inſiſtere,ſicque animæ ex purgationi ac puritati inuigilare, intendere, immorari. Nẽpe quum dominus Deus noſter ſit eſſentialiter ſanctus & interminabiliter purus, bonus, verus, ac ſapiens, animã puram ac virtuoſam & ſapientẽ requirit,amat, amplectitur, nec quicquã ab eo nos ſeparat,& ab eius gratiis impedit, niſi peccatũ,per quod creatori noſtro diſſimiles,odibileſque efficimur.Hinc igitur in primis à peccatis emũdari, & ea ſemper vitare oportet.Sicuti teſtatur Eſaias : Hic eſt omnis fructus, vt auferatur iniquitas.Et ſapiens,Odio ſunt Deo impius & impietas eius.Vnde Pſalmogra.Odiſti(inquit) omnes qui operantur iniquitatem. Et denuò ait ſcriptura,Neminẽ diligit Deus niſi qui cum ſapientia inhabitat. Verũtamen quia quotidie,heu peccamus,&in multis offendimus omnes(nã& iuſtus ſepties cadit)propter quod reuera,vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ tanquam pãnus ſunt mẽſtruatæ.Hinc quotidie in via hac purgatiua nos exercere de

Rom. 12.
1 Cor. 9.
Matt. 2.
Leuit. 19
Pſa l.
Sapiẽ. 7.
Iacob. 3.
Prou 24.
Eſa. 43.

Digitized by Google

re debemus,quemadmodum in Eccleſiaſtico legitur, Fili peccaſti, nè adiicias iterum,ſed præteritis deprecare, vt tibi remittantur. Nunc igitur practica huius viæ breuiter eſt tangenda.

Eccle.21.

Qualiter in via purgatiua debeamus nos quotidie exercere. ART. IIII.

LAuamini, mundi eſtote, auferte malũ cogitationũ veſtrarũ ab oculis meis, &diſcite bene agere,ait Dominus. In omni peccato inueniũtur plerunque duo.Primũ, eſt mentis auerſio à ſummo & inuariabili bono Deo altiſſimo & immenſo. Secundũ, eſt conuerſio mentis ad bona creata caduca.vana, fœda ac vilia. Ratione primi peccator Deum maximè inhonorat ac paruipendit,cui tam vana ac vilia præponere ac præeligere non veretur. Ratione ſecundi inordinatè atque illicitè delectatur in rebus creatis ac vanis.Et ratione vtriuſque debetur homini pœna pro culpa ſua. Nã ratione auerſionis ſuæ à Deo. debetur ei pœna damni: videlicet, diuinæ ac beatificæ viſionis carentia. Ratione verò ſecundi, debetur eidem pœna ſenſus, hoc eſt infernalis incendij cruciatus. Hinc volens in via purgatiua ſe exercere, veraciter pœnitere atque purgari, & à vitiis præſeruari,tria per ordinem facere debet, Primò, etenim

Eſai.1.

Digitized by Google

etenim pro Dei cõtemptu & parui pẽſione debet ſeipſum ſummè, ac profundiſſimè humiliare, deijcere, aſpernari, omniq́ue cõfuſione ac pœna digniſſimum arbitrari, & tantò plus quantò omnipotẽtem, & incõparabilẽ Dominum maieſtatis grauiùs, frequentiúſq; offendit. Deũ quoq; toto corde debet extollere ac laudare. Secũdò pro ſua libidinoſa ac vitioſa delectatione, quã habuit in peccando, debet præcordialẽ dolorẽ, ac verã condignã ac proportionatã cõtritionem aſſumere. Vt quò enormiora, ac plura fuerint ipſius peccata, eò intenſior cõtritio ſit, atq; pręcordialior dolor. Quia, vt fatetur S. Hier. oportet vt cõtritio peccatum adęquet, ſeu ei proportionetur, quatenus magnitudini multitudinique culparũ correſpondeat magnitudo doloris, ac per hoc tantò intenſior habeatur dolor de peccato, quã de quocunque corporali damno; temporalique nocumẽto, quãtò malum culpæ maius eſt malo pœnę, & quantò damnabilius eſt ac infelicius, bonum increatum, immenſum, quã tẽporal a amiſiſſe, quanto item deterius eſt animam vulneraſſe, & pœnam æternã promeruiſſe, & corporale dãnum, ſiue incõmodum incurriſſe. Quod non eſt abſolutè incõmodum, ſi ſapienter attendatur aut æquanimiter

Hieron.

Deu. 25.

Digitized by Google

toleretur, imo tunc ſpiritualiter ac multipliciter prodeſt. Tertio, pro pœnis, quę ſuis debentur peccatis, ſic ipſum ſpõtanea pœnitudine caſtiget, & corripi ac corrigi humiliter ſinat, atque ad ſui arbitriũ cõfeſſoris ac iudicis ſatisfacere non omittat. Itaq; volens purgari, Deo recõciliari, placere, vniri, ponat ſe quotidie bis, aut ter, dum amplius ſibi vacat, præſertim ſero aut nocte, corã iudice ſummo in loco ſecreto, & quietò ſeipſum diſcutiens, ac mala præterita ad memoriã reuocans, Deum cum profunda humilitate, cordiali contritione, & vera ad ſatisfaciendum promptitudine, alloquatur, ſic dicendo aut meditando:

OMnipotens & ęterne ac benigniſſime Deus, miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, creator meus & redemptor animę meę, ecce ego ſum impijſſimus, viliſſimus, ac nequiſſimus ille peccator, totus abominabilis, contemptibilis, ac miſerrimus, omni bruto vilior, ac deterior peccando effectus, qui tam enormiter, ac frequenter, tam audacter, & impudenter tuam maieſtatẽ, atque præſentiam inhonoraui, tuam ſanctitatem offendi, tuam bonitatẽ, charitatem & pietatem contempſi, tua præcepta tranſgreſſus ſum, tuis bonis abuſus ſum, tuis beneficijs ingratiſſimus fui. A te Deo meo,

Digitized by Google

meo, Deo totius ſalutis meæ, cor meum auerti, & quotidie tam culpabilis, negligénſque illa & illa peccata commiſi, & tot bona omiſi. Tunc ſpecialiter recordetur, penſet, ac ponderet aliqua ſua peccata grauiora, & quędã etiam quotidiana, & dicat: O ſaluator, & miſerator pijſſime, tu ſcis quã enormiter in hoc, & in hoc, tuã ſanctitatem offendi. Et ſi in peccatis exceſſit carnalibus, illorũ recordationi non diu immoretur, ne aliqua ſibi tentatio ſit illata, aut delectatio inde naſcatur. Sicque ad cuiuſlibet peccati recordationẽ ſpecialiter, atque pro omnib⁹ generaliter intimè doleat, gemat, ſuſpiret, pectuſque ſuũ cum publicano percutiens, & præ verecundia, ac rubore turpitudinis, ac malitiæ vitiorum ſuorum, oculos ad cælum leuare non audens, dicat ex corde illud cum Eſdra: Deus meus, confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper caput meũ, & delicta mea creuerunt vſque ad cælum Et illud: Deus propitius eſto mihi peccatori. Itémque: Quoniã iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Interea peccata ſua recogitando modo prætacto conſideret diligẽter circunſtántias, & omnia, ex quibus grauã-

Luc. 18.

Luc. 8.

Pſal. 36.

tur peccata, videlicet locum tempus, modum, frequentiam, & ſi fuit in ſacris beneficiatus aut literatus, ſeu alijs præſidens, ſeu ex propoſito, & certa ſcientia peccans. Denique, his peractis, genua flectens, aut toto corpore ſe in terram proſternens, manibus ſimul iunctis aut in formam crucis extenſis, oret pro plena remiſſione his aut conſimilibus verbis.

O Miſericordiſſime Deus, ſummè amabilis, præſtantiſſime, ac ſuper omnia deſiderabiliſſime Domine Ieſu Chriſte, propter infinitã bonitatẽ, charitatem & miſericordiam tuã, per omnia, quę pro mea ſalute abſumpſiſti, egiſti, ac paſſus es, per tuã benedictã incarnationẽ, ſanctiſſimã in hoc mundo conuerſationẽ, amariſſimã paſſionem, per tuam chariſſimã genitricem, dulciſſimã atque benigniſſimã virginem Mariam, per omnium ſanctorum ac deuotorũ preces ac merita ignoſce mihi grauiſſimo, atque viliſſimo peccatori, & gratiam tuam pijſſimam mihi infunde, per quã deinceps omnia peccata deuitem, timoratè & virtuosè me coram te habeam, neque deinceps mentem meam miſerrimam à te Deo meo auertã. Pręterea vt peccator in ſeipſo contritionẽ & cõpunctionẽ accẽdat validiùs, poteſt ſibi manus ſuas inſtar furis ligare,

ligare ſeu eas in dorſum reflectere, & corã altiſſimo ſic ſtando dicere: Ecce, ô Deus glorioſiſſime, iudex æterne, ac metuende, ego ſum ille peſſimus latro, & iniuſtiſſimus fur, qui toties peccando, & alios ſcandalizando, propriam animã, aliorúmque animas interemi, & eas tibi creatori, ac ſaluatori ſuo nepharié abſtuli, atque dæmonibus tradidi. Sícque fructũ paſſionis & ſanguinis tui, quantũ in me fuerat, impediui: ac ſuperbiendo gloriã & honorẽ, quæ tibi ſoli debentur, ſacrilegè vſurpaui, & ſuper arenã peccaui. Et iſta dicendo, ex præcordiis doleat, lacrimas fundat, ſéque nõ ſatis dolere pœniteat, pro gratia quoque cõdignæ contritionis diuinam deprecetur clementiã. Quibus iã completis, proponat ſe firmiter emẽdare, occaſiones peccandi vitare, opportuno tẽpore confiteri, ſatisfacere, ſéque in omnibus cuſtoditè habere. 2. Pa. 50.

De proſequutione exercitũ huius, & de vigilanti conſideratione beneficiorum Dei generalium ac ſpecialium. ART. V. Deut. 7.

CVſtodi temetipſum, & animã tuam ſolicitè, ne obliuiſcaris verborũ domini cunctis diebus vitæ tuæ: Quoniam vulnera repetita ſunt grauiora, & poſt indultã veniam recidiuare, maioris peruerſitatis eſt, & ingratitudinis, idcircò non ſufficit ſe

modo præfato accuſare, exercere, veniam, gratiámque poſtulare, niſi poſt illa ſit homo iugiter cuſtoditus, & indefeſè ſollicitus, ne dominum maieſtatis rurſus offendat. Propterea eſt neceſſe, vt omnipotentis præſentiam, & eius districtũ iudiciũ inceſſabiliter penſet, interiores & exteriores ſuos cuſtodiat ſenſus, verba vitet illicita, motus paſſionum refrænet, neminem ſcãdalizare, & oẽs ædificare conetur, opúsque Dei faciat reuerenter, cùm ſit maledictus, qui facit hoc negligenter, in cibo, potu, ſomno, veſtitu ſit moderatus, atque in cunctis ſit arcta eius intentio In his, atque ſimilibus ad ſuã vocationem ſpectãtibus, & quæ Deus ab ipſo requirit, ſe habeat perſeuerãter, fructuosè ac ſtrenuè. Et quia in Dei itinere non proficere, eſt deficere, ſtudeat omni die in virtutibus creſcere, in gratia ſtabiliri in deuotione firmari. Quòd ſi ad modicũ tẽpus ſic egerit, magnũ indubitãter experietur profectũ, tranquillitatẽ, atque dulcedinẽ mentis (vel nonnunquam certè) in Deo. Sed quia hæc adimplere, nõ eſt fragilitatis humanæ: idcircò Dei auxiliũ inuocare nõ ceſſet, atque ad reſiſtẽdum omni tẽtationi ſit ſemper paratus. Prætereà, quoniam diligens conſideratio beneficiorum Dei, nõ ſolùm charitatẽ excitat, auget,

Hier. 24.

Bernar.

get, accendit, ſed deſperationem quoque repellit, ac præſtat fiduciam, & ad cordialem vitiorum deteſtationẽ inducit, & etiã facit amplius ponderare, eorúmque grauitatem clarius intueri, ideo vt peccator exceſſuum ſuorum neceſſitatem aſtutius cernat ac penetret, deteſtetur & odiat, nec tamen deſperet, ſed reſpiret, atque confidat in Domino, expedit valdè, vt beneficia Dei corporalia, ac ſpiritalia, naturalia, & ſupernaturalia, generalia & ſpecialia viuaciter recordetur, ac dominum taliter alloquatur, O ſumme & gratioſiſſime, ac ſuperdulciſſime Deus, quid tibi retribuam pro omnibus, quæ mihi ingratiſſimo contuliſti? *Pſa.125.* Tu enim ex nihilo me plaſmaſti, nõ lapidẽ, aut beſtiam, ſed rationalem me creaturam feciſti, tua imagine & ſimilitudine me cõſignans ad baptiſmi gratiam perduxiſti, in quo animam non ſolùm ab originali mundaſti peccato, ſed gratia ac virtutibus etiã eam ornaſti. Tu vſque in præſens me conſeruaſti in eſſe, & contuliſti neceſſaria vitę, atque à plurimis præſeruaſti periculis, méque tam diu in meis ſuſtinuiſti criminibus, & quotieſcúnque pœnitens veniam poſtulaui, tu miſericordiſſime indulſiſti, & ſemper bona pro malis retribuiſti. Cúmque cõplures iam æterna damnatione per- *Gen.1.*

Digitized by Google

cuſſerit, qui multò minus peccauerũt quã indigniſſimus ego, & qui minora quàm ego dona ſuſceperunt à te: mihi tamẽ pepercisti hucuſque, & post tot, ac tanta facinora me ad gratiã, pœnitẽtiã, & illuminationẽ hanc perduxisti, ſacris literis instruxisti, donáq; varia cõtulisti, inſuper tu pater æterne, vnigenitũ filiũ tuum, pro mea ſalute miſiſti in mũdũ incarnari, inter homines conuerſari, prædicare, ac crucifigi hunc voluisti: eius pretioſiſſimo corpore & ſanguine reficis inceſſanter: ſed & ſpiritum ſanctum fidelibus infudisti, ac contulisti. Tu quoque vnigenite patris æterni tot & tanta pro nostri ſaluatione aſſumere, operari, ac pati dignatus es, & teipſum in ſacramento nobis ita impendis, atque per angelos ſanctos, & homines præſidentes tuos vicarios nos ſemper custodis, & à multis ac magnis retrahis vitijs. Sed, ô benigniſſime Deus, quãtò maior est dilectio, dignatio, beneficentia tua circa me, tantò heu ingratitudo mea est grauior, & prauitas mea inexcuſabilior, atque deterior. Veruntamen quoniam tantum nos dilexisti, tanta pro nobis fecisti ac tolerasti, tam clementiſſimè nos præuenisti, tandiu nos in vitijs ſustinuisti, nuncque ad istã me recognitionẽ ac pœnitentiã ex tua pietate immenſa

Digitized by Google

menſa duxiſti, deſperare nec poſſum, nec audeo, præſertim quoniã tu ipſe deſperationẽ vehementiſſimè prohibuiſti, & qui deſperat, tuæ bonitati, ac pietati incircunſcriptibili maximè derogat, cùm ipſa in infinitum ſit maior, quã omnis malitia, culpa, ingratitudoque noſtra. Quãuis ergo, ô Deus ſanctiſſime, tam dirè peccauerim, vt omnium creaturarũ tuarũ vſu & obſequio ſim indignus, imò hoc millies promeruerim, vt cuncta aduerſum me creata cõſurgant, & ſui in me creatoris vlciſcantur iniuriã, nõ tamẽ deſpero, nec deſperabo, ſed in tua pietate & miſeratione infinita reſpiro, in tuæ benignitatis abyſſum me modò proiicio, in Chriſti vulneribus me ab ira tua abſcondo, per omnia, quæ ipſe pro me egit ac pertulit, miſericordiam, & ſalutem conſequi obſecro, tibi poſt hac inauertibiliter adhærere, ſubdi, ſeruire propono.

De frequenti & affectuoſa meditatione dominicæ paſſionis, & quibuſdam generalibus remedijs, atque auxilijs contra tentationes, & vitia. ART. VI.

MEmoria memor ero, & tabeſcet in me aĩa mea. Sicut Philoſophi dicunt ex actib. ſæpè iteratis generatur habitus, ſeu cõſuetudo, quæ eſt velut altera natura, quia per eam homo prõptiſſimè, atq; dele-

ſtabiliter operatur. Vt ergo ſemper habeamus ad manū de Chriſti paſſione prōptiſſimè meditari, eam quoque oculis cordis amorosè, fructuosè, efficaciterq; inſpicere, aſſueſcamus eā quotidie diligēter ac plenè recolere, ac taliter imaginari quaſi realiter & principaliter Chriſtum pro nobis pati, crucifigi, ac mori intueamur, vt ſic eam
Mat. 26. cū intima recordemur cōpaſſione. Itaque
Mar. 14. attendamus, quēadmodū filius Dei agnus
Luc. 22. mitiſſimus, De⁹ & homo, creator, ſaluator, & amator noſtri poſt cœnā nouiſſimam, & trinā ſuam orationem, ac maximam cōtriſtationem, & tremefactionē, atque ſudorē
Ioa. 18. ſanguineū, à crudeliſſimis, impijſſimis, ac viliſſimis illis ſatellitibus eſt captus, liga-
Mar. 15. tus, impulſus, diſtractus, & ad domum An-
Mat. 26. næ & Caiphæ ductus, & ibidem oculis ve-
Ioan. 19. latus, cōſputus, percuſſus, blaſphematus, & morti addictus. Deinde tanquā latro præ-
Luc. 23. ſidi impio vinculis cōſtrictus, præſentatus,
Ioan. 19. falſiſſimè accuſatus, ad Herodem miſſus, ab illo alba veſte illuſus, præſidíque remiſſus, nudatus, colūnę alligatus, flagelliſq; laceratus, ſpinis coronatus, arundine cæſus, purpura quoque irris⁹, ac rurſus cōſputus,
Mat. 27. blaſphematus, & ſacro vultu beato cruore
Mar. 15. perfuſus. Poſt hęc morti turpiſſimę adiudi-
Luc. 23. catus, & ad eā proprijs humeris crucē baiulans

Digitized by Google

lãs ductus, cruci affixus, inter latrones ſuſpẽſus, per manus ac pedes diris clauis perfoſſus, aceto & felle potatus, lancea perforatus, ſuæ dulciſſimè matri, & ineffabiliter nimis cõpaſſus, acerbiſſima, & ignominioſiſſima morte occiſus. Intueamur quoque quã patiẽtiſſimè, mãſuetiſſimè, quã ſilẽter, quàm amorosè, quãque humillimè omnia iſta ſuſtinuerit Dominus Ieſus Chriſtus, qui quaſi ouis ductus ad immolãdũ & quaſi agnus corã tõdẽte obmutuit, qui cũ malediceretur, non remaledicebat, cũ pateretur, nõ comminabatur. Præterea circa hãc Chriſti paſſionẽ põderare debemus, quis, qualis, & quantus ſit ipſe, qui iſta perpeſſus eſt. Itẽ à quibus, & qualibus, & pro quibus & quo loco, ac tẽpore, quo fructu, & fine. Nõ enim quicũque, ſed vnigenitus Dei verus Deus, & verus homo, Dominus virtutum, rex gloriæ iſta pro nobis eſt paſſus à populo vtique olim peculiari, in regia vrbe, in ſolemniſſimo die corã multis millibus hominũ. Quæ omnia ſi diligẽter penſentur, nõ mediocriter augent cõpaſſionẽ, accendũt amorẽ, ædificãt meditantẽ. Denique hęc dominicæ meditatio paſſionis valdè iuſta, virtuoſa, atque ſalubris eſt. Primò quoniam charitas, qua Chriſtum amare tenemur, & virtus gratitudinis exigunt, vt

Sapien. 1.
Apoc. 1.
1. *Petr.* 2.
Ioan. 1.
Pſal. 13.

vt eorum, quæ pro nobis Chriſtus fecit, ac tulit reminiſcamur. Alioquin, ſi quidem inertes, eſſemus ingrati, cùm beneficiorum obliuio pars ingratitudinis dicatur maxima. Secūdò, quoniam paſſio Chriſti eſt velut liber cōſpicua relucēs doctrina, in quo vniuerſæ virtutes cōpendioſiſſimè, ac optimè addiſcūtur, videlicet charitas ſumma, quia pro nobis hæc pertulit Dominus, & animā ſuā dedit pro ouibus ſuis, patientia maxima, quoniā tot, & tanta ferendo, nulla inordinata triſtitia, nullo dolore, nulla turbatione cōtra ſuos motus eſt hoſtes, humilitas profundiſſima, quòd in nullo ſe extulit, ſed corde, verbis, ac moribus manſit humillimus, fortitudo firmiſſima, quoniā mortē ſuā amariſſimā cōſtanti ac ſolido pertulit animo. Tertiò, quoniā paſſionis Chriſti memoria eſt cōtra omnes tentationes, vitiorūque acies, cōtra vanitates, & voluptates, ac pōpas fortiſſima armatura, inuictum remediū, maximúmque ſubſidiū. Quis enim ita incōtinens, qui Chriſti paſſionē intimè recolendo, cor non refrenet? Quis ita ambitioſus, ſuperbus, & vanus, qui eius contumelias, iniurias, blaſphemias, aſpernationes, & profundiſſimam ipſius humilitatē penſando, non deprimat animum? Quis tam iracundus, guloſus,

loſus, aut cupidus, qui Chriſti humilitatē, patiētiam, nudationē conſiderando, nō cōpungatur? Itaque in omni tentatione, præſertim carnali, in omni cōmotione iræ, ſuperbię, gulę, aliorūque vitiorum dominicā paſſionē cordi noſtro obijciamus, imprimamus, intueamur. Sicque omnes inutiles, phātaſticas, vitioſas occupationes, cogitationes, affectiones noſtris à cordibus propellemus. Sunt inſuper alia cōtra tentationes, & vitia quædā cōmunia vigoroſa remedia, vt puta feruens & frequens oratio, iuxta illud in pſalmo: Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. *Pſal.* 14. Quatuor quoque nouiſſimorum meditatio cordialis, iuxta illud: in omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in ęternū nō peccabis. *Eccleſ.* 12. Itē occaſiones peccādi, ac otia deuitare, videlicet locum, tēpus, munuſcula, incautos aſpectus, indecentes attactus, vana colloquia. Diligens quoque occupatio in ſcripturis, ſed & inuocatio virginis glorioſæ, & angeli proprij cuſtodis, atque ſanctorum, ad quos maiorem quis habet dilectionem, ac deuotionem, multáque alia, de quibus alibi diffuſiùs ſcripſi.

Qualiter ſacerdos ante celebrationem, in celebratione, & poſt celebrationem habere ſe debeat. ART. VII.

Laua

LAuabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum, Domine. Qualis debeat eſſe conuerſatio ſacerdotũ
1.Tim.3. euangelicæ legis, Paulus Apoſtolus in epiſtolis ſuis (videlicet ad Timotheum, atque ad Titum) deſcribit. Nempe quod ibi de epiſcopis loquitur, de ſacerdotibus
Tit. 1. quoque maxima ex parte eſt intell gendũ, ſecundũ omnes doctores, & de hoc in decreto pleniſſimè pertractatur, imo ex euãgelio cõprobatur, quàm ſanctè debeãt vi-
1.q.1.ca. per Eſaiã 40.d.ca. ante omnia 33.q. 4.c. Chriſti. uere. Nempe quàm virtuoſa & exemplaris debeat cuiuſlibet Chriſtiani conſiſtere vita, euangelica pandit doctrina. Chriſtianus namque à Chriſto nomen ſortitur, nec verè ac dignè Chriſtianus quis dicitur, niſi qui Chriſti veſtigia ſequitur, diſcens à ſaluatore, quia mitis eſt, & humilis corde qui
Matt.11. amicos, inimicóſque diligit, q omne mortale fugit peccatum, & vniuerſa Dei, atque Eccleſiæ implet præcepta, qui habens victum, & quibus tegatur, contentus eſt, qui conuerſus vt paruulus factus eſt ſimplex, pius, iuſtus, & innocens, ſuperfluitatem, pompam, & vanitatem in veſtitu, apparatu, ac cæteris vitans, caſtus, ſobrius, hoſpitalis. Porrò ſacerdotes præ vulgo tanto laudatioris, & exemplatioris vitæ eſſe tenentur, quanto in ſublimiori ſunt gradu,

ac

Digitized b

ac ordine. Et quoniam ſuperdigniſſimum Euchariſtiæ ſacramentum quotidie conficiunt, tractant, offerunt, ſumunt, oportet eos omnino puræ, ac diuinæ conſiſtere vitæ, vt ſpiritalis ardore amoris ſint pleni, & circa diuiniſſimũ ſacramentum prorſus intenti, ne pollutis manibus tractent, nec ore accipiãt inquinato. Populóque nequaquam præbeant occaſionem minus dignè ſe habẽdi ad ſupernaturaliſſimũ ſacramentũ angelicis ſpiritibus formidãdũ. Verùm de iſta materia tot & tãta iam in alijs ſcripſi opuſculis, vt tædium patiat plura nunc inde conſcribere: nihilominus, vt breuiter quædã tãgam, penſandum, quia, vt ſanctus aſſerit Auguſtinus, in omni ſacrificio ſunt quatuor attendenda, ſcilicet quis, quid, cui & quare. Sacerdos ergo antequam ad celebrandum procedat, pẽſet hęc quatuor: Primò quis ſit ipſe, qui celebraturus eſt. Reuera defectuoſus, ac fragilis homo. Idcirco cõſcientiã ſuã examinet, vitã diſcutiat, & quicquid in ſe deprehenderit culpæ, redarguat, pœniteat, veniã deprecetur, confiteatur, ſatisfacere, ac emẽdare integro corde proponat. Secundò, perpendat quid ſit quod conſecrare, ac immolare proponit, profectò corpus. & ſanguinem ſaluatoris. Ergo totum Chriſtũ Deum, ac hominem offer

Mala. 1.

Auguſt.

offerre proponit. Ex tanta igitur huius incompatibilis ſacramenti dignitate ac reuerentia conſiderata, totus in ſe contremiſcat, imperfectionem, indignitatẽque propriam fateatur, nõ niſi cum ingenti præparatione, profunda humilitate, reuerentiali timore, interna puritate, & feruida dilectione accedat. Tertiò penſet, cui offert. Nimirũ Deo patri altiſſimo, quẽ cælũ, terra, pontúſque cõtremunt, quẽ & angelicæ mẽtes, & vniuerſi ſanctorũ exercitus perhorreſcũt. Non igitur tã infinitę excellentiæ regi, ac Domino omnipotenti ſe præſentare, aſtare, ſacrificare, eiúſque filiũ vnicũ ac dilectũ offerre præſumat corde intimorato, impurato, carnali, ac frigido. Quartò, perpẽdat, quare ſacramẽtũ hoc offert. Eſt namq; duplex intentio officij miſſæ. Vna generalis ipſius Eccleſiæ. Et ita ſacramentũ iſtud offertur, primò & maximè pro cõmuni bono totius eccleſiæ militantis, & cæteris, prout in canone continetur. Alia eſt intentio propria celebranti, qui pro diuerſis perſonis, & cauſis celebrat, atque ſacrificat, qui etiã ardẽtem debeat habere affectũ, vt exaudiatur pro omnibus, pro quibus orat ac celebrat. Sic ergo ad celebrationẽ debet diſponere. Porrò in ipſo celebrationis officio habere ſe debet val-

Digitized by

de recollectè, deuotè, ac feruidè, ſingula verba diſtinctè proferẽdo, ſenſum ſapienter ac affectuosè penſando, ſacramenti dignitatem, & patris æterni incircunſcriptibili maieſtatẽ ſynceriter cõtemplando: vt ſic eius oratio tanquã incenſum dirigatur in conſpectu diuino. At verò poſt celebrationem deuotiſſimè gratias agat Deo orationibus, pſalmis, ac meditationibus ſanctis inſiſtat, ſaltem ad tempus, totáque die decẽter, timoratè, cuſtoditè, exemplariter, ac ſyncerè ſe habeat. Atque hoc modo tota conuerſatio ſacerdotis ſit vna continua ad celebrãdũ præparatio ſalutaris, nec vnquam vanitati, voluptati, iniquitati conſentiat: neque per os eius, quo ſacratiſsima protulit verba, ac venerandiſſimum ſumpſit ſacramentum, inania, infructuoſa, illicita vnquã profluãt verba. Sed, proh dolor! multi ſunt ſacerdotes, qui etſi in principio aliquantulum ſint deuoti, tamen tempore procedente, quo frequentiùs celebrant, eo quod agũt minus perpẽdunt, & frigidiores tepidioréſq; fiũt, atq; ex arido quodã vſu, ſine cõtritione interna confitentur, & ſine præparatione cõdigna, imo abſque feruore, puritate, abſque reuerẽtia, & timore accedunt, & celebrãt. O quanta eſt horũ impietas, quanta impudentia & inſipientia.

quanta ingratitudo, ac cæcitas, quàm item intolerabilis & immenſa erit eorum damnatio! Tu autem, chariſſime Chriſti ſacerdos, nunquã huiuſmodi fias: ſed quãto frequentiùs, tãto feruẽtiùs, tanto deuotiùs ac fructuoſiùs confitearis ac celebres: quatenus tanti ſacramẽti gratijs, virtutibus, atq; affectibus quotidie copioſiùs implearis, omni eius ſpiritali pinguedine mentaliter dilateris, omnipotẽtiq; Domino ac munificentiſſimo ſaluatori quotidie magis gratus efficiaris, nec tepidorũ frangaris exemplis, ſed ſacris ſemper occupationibus quãrum tibi poſſibile eſt, ſis intentus: in cibo, potu, veſtitu, ſomno, colloquio moderatus: verbis, & factis omnibus exemplaris.

Quid ſit via illuminatiua. ART. VIII.

Pſal. 39. ACcedite ad eũ, & illuminamini. Cùm
Pſal. 39. ſolę iniquitates inter Deũ & rationa-
Hiere. 3. lem diuidant creaturã, & chariſmata ſpiritus ſancti ſuſpendãtur ab ea: idcirco anima à vitijs emundata, & paſſionũ immoderantijs reformata, à peccatorum reliquijs (quę ſunt pronitas & grandis inclinatio ad peccandum) defæcata: ipſa mox capax eſt illuſtrationis ſupernæ, apta eſt radium ſapientiæ ſalutaris ſuſcipere, fulgore contemplationis perfundi, ad æternorum ac diuinorũ ſpeculamina eleuari. Itaque cùm iuxta

re-

Digitized by

ſormam præſcriptam ſe exercitauerit homo in via purgatiua: viam illuminatiuam protinus ingredi debet, & exerceri, ac proficiſci in ea. Porrò via illuminatiua eſt ſtudium, ſeu occupatio mentis circa contemplanda ſublimia Dei præſertim in cõtemplatione ſuperbeatiſſimæ trinitatis, ac ſimpliciſſimæ & ſuperpulcherrimæ deitatis. Deinde in ſpeculatione bonorum cæleſtium, & ſupernaturalium veritatis fidei Chriſtianæ, ac ſpiritualium rerum. Cùm etenim in clara, & immediata per ſpeciem horum contemplatione tota conſiſtat noſtra felicitas: profectus noſter hic eſt, vt contemplationi illa tam beatificæ, ac perfectæ nũc quotidie propinquemus, proficiendo in fidei illuſtratione, in bono ſapientiæ, in ſummæ & increatæ veritatis ac diuinorũ cognitione. Denique cùm Deus *Ioan.* 8.
(cuius opulentiæ ac munificentiæ nullus eſt finis) ſit eſſentialiter ſapientia infinita, & lux ſuper ſplẽdidiſſima prorſus incircũſcripta: cùm videt animã modo prætacto purgatam, humilitate, patiẽtia, manſuetudine caſtitate, iuſtitia, cęteris quoque virtutibus moralibus informatam, veritatíſque *Pſal.* 68.
auidã, & fonti ſapientiæ inhiantẽ, ac de ſe *Pſal.* 5.
perilluſtrari affectantẽ: mox vultum ſuum ſuper eam illuminat ſapientiæ radio eam

Digitized by Google

claŗificat,ſeipſum ei præ ſolito clariùs gratioſiusque oſtēdēs, atque incerta & occulta ſapiētia ſuæ ei propalans, ita vt ea, quæ fidei ſunt, rationéſque credēdorem, & nexū
Pſal. 15. ac ordinē credibiliū ſubtiliter ſpeculetur, ita vt lætabunda ac grata mente decantet: Benedicā Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Quod quàm deſiderabile ſit, ac præclarum, fatetur Propheta, dicens: Bea-
Pſal. 93. tus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Vnde & ſanctus
1. Ioan. 1. Ioannes Apoſtolus in prima ſua epiſtola ſcribit purgatis huiſmodi fidelibus: Vnctio eius docet vos de omnibus.

qualiter in via illuminatiua exercitare ſe debeat homo. ART. IX.

SI quis veſtrū indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluēter, & dabitur ei poſtulet autē in fide nihil hæſitās. Doctrina philoſophi, eſt quòd actus actiuorum ſint in patientia diſpoſito: & item quod vnicuique competat agere ſecūdùm modum ſuæ naturæ, atque potentiæ. Rurſus, quòd ſicut ſe habet viſus veſpertilionis ad lumen ſolis, ſic intellectus humanus ad intuitum diuinorum, videlicet immaterialium ſubſtātiarum, & maximè ſuperſimpliciſſimi, & prorſús incomprehenſibilis Dei. Hinc & ſacra ſcriptura ex immod

moderato, incauto, & præſumptuoſo diuinorum ſcrutinio atq; intuitu nos coërcet per Salomonē dicens: Sicut qui mel comedit multū, non eſt ei bonū, ſic qui perſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Et in Eccleſiaſticos legitur: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Veruntamen eſt quędam diuinorū perſcrutatio ſtudioſa, moderata, humilis, atque auxilio gratię Dei innitens, quę laudabilis eſt. De qua ait vir ſanctus: Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea, &c. Et denuò: Da mihi intellectum, & ſcrutabor legē tuā. Et iterum, Beati qui ſcrutātur teſtimonia eius. Itaque, ſicut teſte ſcriptura dulce lumē, & delectabile eſt oculis videre ſolē, nihilominus figēti oculū immoderatè in ſolē viſus obtunditur, reuerberatur ac læditur: Sic dulcis eſt veritas ſumma, & iucundū contēplari æternum totius luminis fontem, veruntamen immoderatè, intimoratè, irreuerenter contemplari, ſcrutari, penetrare præſumens grauius excæcatur, deijcitur, vulneratur. Sic itaque cōtēplari conemur, vt à veritate ſcripturæ, à doctrina eccleſię nullatenus diſcedamus. Quod non obſeruantes hæreſiarchæ pramiſſimi, errauerunt, & alios in errorem mi- *2. Tim. 3.*

ſerunt. Hinc iuxta præhabita exercitiū viæ illuminatiuæ præcedere debet exercitatio purgatiuę: atque, vt illuſtriſſimus pater ac doctor noſter Ioannes Caſſianus teſtatur, actualis, & ethica ſeu moralis ſcientia, quæ circa paſſionū refrænationē verſatur, theoricā (id eſt, ſapiētalē diuinorū contemplationē) debet præire. Volens ergo in via illuminatiua ſe exercere, ab humilitate incipiat, ita vt de proprijs viribus, de naturali ingenio, de acquiſita ſcientia nō pręſumat,
Pſal. 16. ſed in domino ſit ſpes eius, & eius ſubſidio
Eſaiæ 36. innitatur, quēadmodū per Eſaiam docetur. Quis ambulat in tenebris, & nō eſt lumen ei? Speret in nomine domini, & innitatur ſuper Deum ſuum Deinde ab exterioribus abſtrahat mentem ſuam, & eam recolligat, eius diſperſiones & euagationes ab-
Dionyſ. ijciendo Sicq; iuxta diuini Dionyſij documentum ſe cōuertat ad radium, ſupernam illuſtrationem optando, & pro ea orando, ſéque ad Dei conſiderationem, aut cōtemplationem pro viribus eleuando. Et tunc Deus ſublimis, qui ſapiētiæ dux eſt, & princeps totius illuminationis, videns diligentiam hominis, fidelem ac pium eius conatum, manum applicabit ac porriget adiu-
Sapien. 7. tricem, mentem per donum ſapientię illu-
Eſai. 58. ſtrando, prout Eſaias aſſerit. Requiē dabit

tibi

tibi Dominus, & implebit ſplendoribus animam tuã. Ipſe enim eſt ſol ſapientiæ, ac intelligentiæ: quo in anima reſplendente ac radiante, omnia mox clareſcunt, venuſtantur, tranquillantur, & exhilarantur in ea. Sicque creatoris ſui maieſtatem immẽſam, pulchritudinem infin tam, ſapiẽtiam, omnipotentiam, atque beatitudinem, perfectionem, & eminentiam prorſus interminabilem incipit intueri. ac vehementiſſimè admirari, iucundè conſpicere, feruenter diligere, eique intimè congaudere, & in ea ad horam quieſcere. *Sapien. 5.*

Quid ſit contẽplatio, & de ſpecieb. ipſius. AR. X.

ECce Deus magnus, vincens ſcientiam noſtrã. Ideo timebunt eum viri, & nõ audebunt cõtemplari omnes, qui ſibi videtur eſſe ſapientes. Queadmodum libro de Ciuit. Dei B. Auguſt. frequenter fatetur: Intellectus eſt ſuprema vis animæ, idcirco in eius actu beatitudo eſt ſita, ſicut iam ante ex verbis patuit Chriſti dicentis: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum. Quod etiã decimo Ethicorum probat Philoſophus. Nec tamen in quocunque intellectus actu conſiſtit felicitas, ſed vt Ariſtoteles loquitur, in optima ſpeculatione optimi ſpeculabilis collocatur. Nam teſte eodem, Beatitudo eſt optima actio *Iob. 35.* *Auguſt.* *Ioan. 17.* *Philoſ.*

optimæ potẽtiæ in optimo obiecto, quod Deus eſt. Hinc cõtẽplatio ritè ſic diffinitur, Contemplatio, eſt ſummæ deitatis, atque effectuum eius affectuoſa prõpta, & ſyncera cognitio. Nã primò ac principaliter circa Deum verſatur. Secundariò circa creata per reſpectũ eorũ ad Deũ: videlicet prout ab eo fontaliter profluũt, gubernãtur, atq; ad ipſum finaliter ordinãtur. Quia ſic Deus eſt finis & ratio conſiderationis eorum, & quicquid in eis cõſideratur, & de eis cognoſcitur, ad omnipotẽtis notitiã, & amorem, gloriã, & honorẽ refertur, qui fabricã vniuerſi idcirco tam venuſtiſſimè decorauit, tã ſapienter diſtinxit, tã ineffabiliter ordinauit, tamq; mirandè in nihilo, ſtatuit ac firmauit, tanta magnitudine, multitudine, & virtute compleuit mirificè: vt ſua in eis bonitas, ſapientia & poteſtas reſplendeant, honorẽtur, laudẽtur, formidẽtur ac diligãtur Hinc ſcriptum eſt: Vniuerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus Et iterũ Salomon, Omnia (inquit) fecit Deus, vt timeatur. Itẽque alibi, A magnitudine, ait, ſpeciei creaturæ poterit creator horũ cognoſcibiliter videri. Et Eſaias hortatur, Leuate in excelsũ oculos veſtros, & videte quis creauit hæc. Deniq; cõtemplatio iſta actus eſt doni ſapientiæ, quæ inter ſeptem dona ſpiritu

Contemplatio quid ſit.

Prou. 5.

Eccle. 3.

Sapi. 3.

Eſai. 32.

Digitized by

ritusſancti ſortitur primatū nec poteſt eſſe informis, cùm ſit affectiua & ſaporoſa diuinorum notitia, charitati inſeparabiliter iuncta: nec propriè contemplatio actus eſt ſapientiæ qualiſcunque, ſed eius quæ perfectionem quādam includit, quæ promptè ac liberè procedit in actum. Ideo dictū eſt, quòd cōtemplatio eſt prōpta ac facilis diuinorum agnitio, quæ inſtar ignis celerrimè fertur in altum, & tranſcenſis creatis, pertingit ad Deū. Propterea ait Richardus, Cōtemplatio volatu libero, quocunque eā fert ſpiritus, mira agilitate circunfertur. Cōtemplationem quoque diffiniens: Contemplatio (inquit) eſt libera mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpēſa. Vnde & Hugo de S. Victore ſic eam diffinit: Contemplatio eſt perſpicax & liber animi contuitus in res perſpiciendas vſquequaq; diffuſus. Poſtremò cōtemplatio debet eſſe ſyncera cognitio, ne errori, paſſioni, aut culpæ mixta fœdetur, ſed certitudine, ac ſplendore, veritate valletur. Præterea huius contemplationis ponit S. Bernard. quatuor ſpecies. Prima eſt admiratio maieſtatis, dum ſcilicet in cōtemplatione diuinę & increatę ſublimitatis, & in contuitu incomprehenſibilitatis diuinæ ſubſtantiæ mens ipſa cum ad- *Bernar.*

miratione intenta eſt & ſuſpenſa. Secunda eſt conſideratio iudiciorum Dei. In quorũ conſideratione dum ſe homo deficere cernit, cum Apoſtolo vociferatur: O altitudo
Rom. 11. diuitiarum ſapientiæ, & ſcientię Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! Ter-
Eſai. 49. tia eſt inſpectio beneficiorum Dei. Quar-
1. Cor. 2. ta cõſideratio eſt promiſſorum ipſius: quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt.

De alia aſsignatione, ad declaratione ſpecierum contemplationis. ART. XI.

Ephe. 1. Pater glorię det vobis ſpiritum ſapientię in agnitione eius. Quamuis ſpecies cõtemplationis à diuerſis diuerſimodè aſſignentur: iſta tamen, quam modo inducã, rationabilior, cõueniẽtiórq; videtur. Itaq; prima ſpecies cõtemplationis eſt ſupernaturalis cõtemplatio adorãdę atque altiſſimæ Trinitatis, cuius contemplationem ſupernaturalem appello, quia ex naturali ratione. Trinitas perſonarum in Deo nunquã hominibus paruit, ſed ex diuina reuelatione primò innotuit. Ad hãc itaque contemplationis ſpeciẽ pertinet intueri quemadmodũ in vero ac ſimplici Deo ſit ęterna, immaterialis, inuariabilis, actualiſſima, ac ſuperpuriſſima generatio, vtpura emanatio verbi æterni à patre ſummo, qui ſe

ipſum

ipſum perfectè, ęternaliterque cognoſcens ac intuēs ſui ipſius cōceptum, & verbū internū in ſe profert, ac gignit. Quod nāque in ſe, & de ſe cognoſcit, ac intuetur, hoc intra ſe loquitur ac producit. Et quoniā vnico actu intelligit ſeipſum, & omnia perfectè intelligit, idcircò vna prolatione interna, ſeu generatione mentali ſeipſum, & cūcta pleniſſimè intra ſe exprimit, & vnicū dūtaxat verbum gignit; quod eſt ipſius perfecta ac naturalis imago, ſplēdor ac filius, omniūque creaturarū exēplar, ideo & ratio, atque totius vniuerſi forma archetypa in mente diuina. De quo Aug. Qui negat (ait) mūdū archetypū, negat & Dei filiū. Hinc in verbo iſto æterno tota patris natura reſplēdet, totaque eius maieſtas ac perfectio repræſentatur in eo. Idcirco vera deitas continetur, atque conſiſtit in eo. Vnde 15. de Trinit. aſſerit Auguſt. Pater tanquam ſeipſum dicēs genuit verbum ſibi æquale. Amplius ad hāc contēplationis ſpeciē pertinet intueri, quemadmodum pater & filius ſe inuicem intuentes, volentes, ac mutuò incomprehenſibiliter, ac ſuperſuauiſſimè cōplacentes, producunt, & intra ſe ſpirant vnum, increatum, plenum, ac infinitum amorem propriæ amabilitati proportionatum, qui eſt amor, & nexus, oſculúmque

ſúmque amborum. Quemadmodum enim verbum eſt emanatio intellectus: ſic amor eſt emanatio voluntatis. Rurſus ſpectat ad hãc ſpeciem cõtemplari quàm verè ſuperbeatiſſima, ac ſuper delicioſiſſima huius altiſſimæ Trinitatis ſit vita, quemadmodum hæ ſuperuenerabiles, ſuperſublimes, ac ſuperſanctæ perſonæ ſe mutuò intueantur intuitione penitus comprehẽſiua, iucũdiſſima, & æterna, ſe inuicem quoque dıligãt amore ſuperardentiſſimo & immẽſo, ſibiq; mutuò perfectè ac ſupergaudiosè cõplaceant, atque ſe inuicẽ ſuperfelicisſimè perfruantur, & qualiter ſit in eis plena cõmunio, ſuperiucunda diffuſio, conſiſtẽtia ſuper glorioſiſsima & æterna. Ecce hæc omnia humiliter ac ſyncerè, quietè, & amorosè ſunt cõtemplanda cũ prçcordialiſsima cõgratulatione tam infinitæ beatitudinis, & excellẽtiæ trinitatis ſuperexaltatę, ac adorandæ. Præterea cauſæ, ſeu rationes amoris, ſunt cognitio, bonitas ſimilitudo, propinquitas, vnio, cõmunio, beneficentia, & præuia ſeu alterna dılectio. Cũque omnes hæ rationes in ſupereſſentiali, & conſubſtantiali trinitate perfectiſsimè prorſus cõſiſtant. Siquidem vnaquæque earum aliam quamlıbet omnino perfectè, ac cõprehẽſiuè cognoſcit. Quælibet quoque earum eſt bon-

bonitatis immenſæ: eſtque inter eas plena ſimilitudo ac ſumma propinquitas, quia ſecunda earum emanat à prima, videlicet filius à patre, & tertia ab vtraque, vt pote ſpiritus ſanctus à patre ac filio. Inſeparabiles quoque ſunt, quia cõſubſtãtiales. Vnaquæque alteri ſe totã cõmunicat, & filius à patre infinitum bonum accepit, plenitudinẽ deitatis, quemadmodũ ipſe proteſtatur. Pater quod dedit mihi, maius omnibus eſt (diuina ſcilicet eſſentia.) Vnde ibidẽ ſubiungit: Ego, & pater vnum ſummus. Et hoc ipſum bonũ immenſum à patre ac filio accepit ſpiritus ſanctus patri & filio veriſſime conſubſtantialis, coæternus, & coęqualis. Vnaquæque demũ earum ſcit ſe ab alia infinita dilectione amari. Hinc cõſtat quòd inter eas ſit prorſus ſuper ęſtuantiſſima, & immenſa dilectio. Secunda ſpecies cõtemplationis eſt veræ, ac ſimpliciſſimæ deitatis ſpeculatio naturalis. Et hanc nomino naturalem, non quòd naturalis ac acquiſitæ ſapientiæ ſit actus, aut ſine charitate & gratia queat haberi, ſed quoniam ea de Deo conſpectat, quæ per naturalem poſſunt rationem cognoſci, vt quòd Deus ſit ens primum, æternum, incauſatum, independens, perfectum, infinitũ, immateriale, ſimpliciſſimum, adorandum, prima cauſa, omnium guber

Ioan. 10.

gubernatiua. Vnde affirmat Apoſt. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſũt, conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Itaque ad hanc ſpeciem pertinet contemplari, quemadmodũ Deus ſit bonitas pura, veritas ſempiterna, vnitas ſimpliciſſima, purus actus, omnipotens virtus, ſanctitas exemplaris, ſapientia æternalis, cauſa & ratio omnium idealis, eſſe purum, in ſe ſubſiſtens, ac ſeparatum, vniuerſorum principium, prima omnis rectitudinis, omníſque iuſtitiæ, veritatis, & virtutis regula & menſura, ens in quo eſt omnis nobilitas, omnis pulchritudo, omnis felicitas ac dulcedo, omnis pietas & iuſtitia, ſumma charitas, plena libertas, omníſque perfectio abſque omni menſura ac fine, & prorſus ſimpliciſſimè: ita vt omnia iſta ſint vnum, vnitáſque in Deo, ſcilicet ſimpliciſſimum, ac ſuperditiſſimũ eius eſſe tã infinitè incõprehenſibilitérque perfectũ, vt omnia iſta in ſe ſimpliciſſimè, ac ſupereminentiſſimè comprehẽdat. Hæc omnia de Deo excelſo ac glorioſo lympidè, amorosè, & congratulatoriè contemplari ad hanc ſecundã cõtẽplationis ſpeciem attinet. Tertia cõtemplationis ſpecies eſt ſpeculatio humanitatis Chriſti, vt puta qualiter ipſa à vero æterno hypoſtaticè ſit aſſumpta, atque in

Rom. 1.

increa-

increato eſſe eius perſonali ſuppoſita: & qualiter in eodē puncto, quo ex puriſſimis virginis glorioſæ ſanguinib. corpus Chriſti à ſpiritu ſancto formatum eſt, anima quoque eius creata ſit, corporíque vnita, & vtrumque ſimul à verbo aſſumptum. Quomodo item eodem momento anima Chriſti omni gratia, virtute, dono, fructu, & beatitudinibus fuerit adimpleta, ac ſpecioſiſſimè perornata, lumine quoque gloriæ, ac beatifica viſione præ omnibus ſanctis ineffabiliter decorata, impleta, ac ſublimata. *Lucæ. 2.* Inſuper ad hanc ſpeciem pertinet contem- *Mat. 2.* plari, quemadmodum ex virgine natus ſit *Lucæ. 2.* Chriſtus, circunciſus, adoratus à magis, *Matt. 11* præſentatus in tēplo, ac cætera omnia quæ de ipſo euangelica narrat hiſtoria: puta qualiter in mundo hoc in omni humilitate, paupertate, patiētia, manſuetudine, charitate ſit conuerſatus, quāta ſuſtinuit, quomodo genus humanum redemit, quanta miracula fecit, quomodo reſurrexit, appa- *Mat. 15.* ruit, & aſcendit, Quarta ſpecies contem- *Lucæ. 24.* plationis eſt cōſideratio munerum gratiæ *Actu. 1.* Dei, ſcilicet ſupernaturaliū, ac gratuitorū beneficiorum, & donorum ipſius: vt ſunt virtutes infuſæ, ſacramenta eccleſię, diuerſáque dona gratiæ gratum facientis, ac gratiæ gratis datæ, donáque gloriæ, & omnis

nis illa beatitudo cæleſtis Quinta ſpecies eſt, ſpeculatio donorum naturæ id eſt naturalium omnium, ad quã ſpeciem ſpectat conſideratio ordinis vniuerſi, & omnium ſeparatarum ſubſtãtiarum, ſeu ſupernorum ſpirituum atque cæleſtium corporum, ac elementorũ, omniúmque mixtorũ, potiſſimum hominis. In quibus omnibus creatoris bonitas, ſapiẽtia, ac omnipotẽtia glorioſè reſplendet, & honoranda, formidabilis, amabiliſque mõſtratur. Hęc ſolùm breuiſſimè tango. Nam alibi (in tractatu ſcilicet de contẽplatione) pleniùs inde conſcriptũ.

Quid ſit vita vnitiua ſeu perfectiua.

ART. XII.

Ioan. 17. PAter iuſte, notum feci hominibus nomen tuum: vt dilectio tua in eis ſit, & ego in ipſis. In his verbis innuit Chriſtus, cognitionem ad amorem referri, & ſine eo informem. Porrò præinducta triplicis

Diony. viæ diſtinctio ex verbis diuini Dion. ſumpta videtur. Ipſe ſiquidem lib. de angelica hierarch. ponit tres actiones hierarchicas in angelis ſanctis, videlicet purgationẽ, illuminationẽ, & perfectionẽ. In libro quoq; eccleſiaſticæ hierarchię, docet quemadmodum quidam ordo eſt purgatiuus, quidã illuminatiuus, quidã perfectiuus. Atqui angeli purgari dicũtur, nõ vtique ab imm-

di-

ditia culpæ, ſed à hierarchicæ lucis mino ratione. Illuminari quoque ac perfici aſſeruntur, non quòd in beatifica diuinæ contemplatione eſſentiæ creſcant, aut in ſummi boni amore beatificam viſionē conſequente proficiant, aut amplius inflāmētur. Nequaquā enim in eſſentiali præmio ſortiuntur augmentum, ſed ſunt omnino, quò ad illud in termino: ſed in diuinorū cognitione effectum, atque in dilectione illam concomitante, ſuſcipiunt incrementum, & in accidentali proficiunt præmio. Et hoc vſq; ad finalis cōſūmationē iudicij. Sicque intelligendum eſt, quod ſeptimo angelicæ hierarchiæ capitulo diuiniſſimus ac ſacratiſſimus Dion. loquit: Seraphim, inquiens, ad diuini caliditatē amoris, inferiores mētes angelicas, quantū poſſibile eſt, incēdūt. Cherubin quoque datę ſibi ſapientię communione mentes cæleſtes ſe inferiores copioſè illuſtrant. Porrò in eccleſiaſtica hierarchia purgatio, illuminatio & perfectio aliter inueniuntur. Quoniā viatores à culpis quotidie emundari, in Dei cognitione & eius amore proficere indigēt. Et primò quidē oportet à culpa purgari: deinde illuminari & veritatē cognoſcere: tertiò. perfici, id eſt amore accēdi, atque per hoc Deo noſtræ ſalutis auctori vniri. Veruntamen *Idem.*

Digitized by Google

ſicut in angelis ſanctis prætacti tres actus hierarchici reipſa coincidũt (ſiquidem per hoc quòd vnus illuminat alium à minoratione lucis purgat eundem, & in amore ipſum ſuccendit) ſic in hominibus prædictarum trium viarum vna aliam ſecũdùm aliquem gradũ cõprehendit atque includit: quoniam via vnitiua purgatiuam illuminatiuámque præſupponit. nec ſine illuminatione cõtingit Deo vniri, amore perfici, aut charitate affici. Cõformiter via illuminatiua vnitiuã quodãmodo comprehẽdit: quoniam diuinorum cognitio nec cõtemplatio nec illuminatio propriè nuncupatur, niſi dilectionis affectu formetur ac perficiatur. Sic & via purgatiua aliquid habet admixtũ de via illuminatiua & perfectiua, quoniã ſine veræ ſapientię directione, charitate & gratia, nemo purgatur à culpa, nec paſſiones reformat. Itaque via perfectiua ſeu vnitiua eſt ſtudiũ, occupatio ſeu actio ad ſyncerſſimæ charitatis ardorem, ad Deitatis eſtaticũ flammigerũque amorem, ad myſticæ ſapientiæ æſtuantiſſimum, quietiſſimum, ac ſecretiſſimum tendens intuitum. Conſiſtit nãque hæc via in hoc, vt ex contẽplatione Dei per negationẽ mẽs diuino amore tota accẽdatur, & velut ignea atq; ſeraphica afficiatur, ſicq; ſeipſã

& c

& cuncta creata relinquens, tranſcendens ac obliuiſcens, ſuperincõprehenſibili Deo tanquam prorſus ignoto, per hierarchicæ lucis illapſum, per occultiſſimæ inſpectionis alloquium, per ſuperſplendentẽ caliginem ac ſapientiſſimam ignorantiam vniatur, provt hoc infra elucidabitur.

De duplici Deitatis contemplatione, & quid ſit myſtica theologica. ART. XIII.

TErribilis Dominus & magnus vehementer & omnipotens ſuper omnia opera ſua. Quis vidit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eũ ſicuti eſt à principio? Quemadmodum primo de diuinis nominibus capitulo diuinus Dionyſ. loquitur, duplici via ad Dei cognitionẽ ex creaturis procedimus. Prima eſt via poſitionis ſeu affirmationis, dum quicquid bonitatis, perfectionis, ac eminentiæ reperitur in creaturis, Deo tãquã omniũ primo & effectiuo principio excellentiſſime, omni perfectione ſecluſa, adſcribemus. Secũda eſt via ablationis ſeu abnegationis, dum quicquid in entibus inuenitur creatis negamus de Deo tanquam de ſuperexaltato, ſupereſſentiali, & ſuperincomprehenſibili, qui nec genere, ſpecie, nec aliquo vniuoco cõuenit cum creatis, nec ei aliquid competit provt nos comprehendere id valeamus. Hinc tertiò

Eccl. 14.

Dionyſ.

ipſius. Sed hoc eſt ei videre & cõtemplari, incomprehẽſibilitatem eius clariſſimè intueri. Et hæc contemplatio, qua Deus per omnium negationem conſpicitur, myſtica theologia vocatur, quæ eſt interna ac abditiſſima mentis cum Deo loquutio, atque caliginis (hoc eſt diuinæ ſuperſplendidiſſimæ ac impenetrabilis & inuiſibilis lucis) per ignorantiam quandã intuitio amoroſa. Quæ, vt quidam eam diffiniunt, eſt anagogica ſeu ſuperductiua motio, eleuatio, ſeu defixio mentis in Deum per purũ feruidúmque amorem Eſtque experimentalis cognitio Dei per vnitum amplexum amoris, ſeu ſapida Deitatis notitia dum ei ſupremus affectiuè apex per amorem vnitur ardẽtem Poſtremò hæc myſtica theologia, ſeu vnitiua ſapientia realiter eſt ipſum ſapientiæ donũ: nempe ſapientia illa quæ inter ſeptem dona ſpiritus ſancti primum eſt atque digniſſimũ: quæ eſt habitus ſuper naturalis infuſus Dei per guſtũ internum cognoſcitiuus. per quã mens bene de Deo ſentiras iudicat per cõnaturalitatem & conformitatem affectus ad ipſum, ſeu per mentalem ſaporem. Cuius ſapientię triplex eſt gradus Et ipſa ſecũdùm gradũ ſuũ ſupremũ, quo ineſt viris heroicis ac perfectis, efficiens eos quaſi conſiliarios ac ſecretarios

omnipotẽtis ac ſuper ſapiẽtiſſimi creatoris eſt ſapientia vniuita ac myſtica theologia.

Quòd duobus modis ad myſticæ theologiæ viſionem, ecſtaticúmque amorem, ac ardentiſſimam caliginis intuitionem, ſeu contemplationem præfatam, per omnium ablationem anima perducatur.

ART. XIIII.

Hier. 23. FActus ſum quaſi virebrius, & quaſi homo madidus vino, à facie Domini, à facie verborum ſanctorum eius. Deum prætacta DEI contemplatio amoroſa & myſtica, quæ & raptum faciat ac ecſtaſim, ſit nobiliſſima atque altiſſima, ſpiritualiſſima ac diuiniſſima operatio hominis: ad ipſam exigitur præcipua abſtractio mentis ab exterioribus, ac ſumma recolectio eius in ſe, & ſimplificatio ſui in DEO puriſſima: quatenus nullo inordinato affectu, nulla conſideratione circa creata, nulla occupatione diſtractiua impediatur aut retrahatur à ſummo & increato obiecto. Itaque ad hãc vnitiuæ ſapiẽtiæ myſticã contẽplationem vno modo pertingit homo ſeipſum excitãdo ac diſponendo ad eam, per abſtractionem præfatam, per recollectionem & ſimplificationem, per orationẽ, & meditationem atque cõſiderationẽ eorum quæ diuinæ dilectionis feruorẽ magis prouoc

uocare ac parere ſolent in animo donec apex voluntatis validè accendatur ac purè afficiatur in Deo, ſicque vertex intelligentiæ deſuper illuſtretur ad contemplandum modo prætacto. Deniq; hunc modum eiuſque practicam diuinus Dionyſ primo myſticæ theologię docens capitu. Tu (inquit) Timothee clariſſime, intẽtiſſima contuendis ſpectaculis myſticis exercitatione, & sẽſus linque & intellectuales operationes & ſenſibilia & intelligibilia omnia, & quę nõ ſunt, & quæ ſunt omnia, vt illi iungaris qui ſuper omnem ſubſtantiã omnémque ſciẽtiã eſt ignote pro viribus teipſum intende. Hæc ille. Alio modo ad contemplationem iſtam pertingit homo abſque ſuo conamine ac præparatione prędicta: dũ ſcilicet miſericordiſſimè deſuper præuenitur atque diuinitus fortiter illuſtratur, valide inflãmatur, gratioſiſſime pręoccupatur, ac miſerabiliter nimis perſtringitur, in tantum vt etiã reſiſtere nequeat, & quamuis velit non poſſit effugere, gratia prædominante ipſi naturæ, non violenter, ſed conuenientiſſime. Et primus modus ſolet eſſe laborioſus. Hic verò eſt facillimus. Hinc beatus ait Bernar. Quidam trahuntur qui dicere poſſunt, Trahe me poſt te. Alij ducuntur, qui dicunt: Introduxit me rex in cellã vinariã. *Bernard. Cant. 1. Cant 2.*

Alij rapiuntur. Et primi quidem felices, *Luc.* 21. qui in patientia ſua poſſident animas ſuas. *Pſal.* 27. Secundi feliciores, quia ex voluntate ſua domino confitentur. Tertij feliciſſimi, qui in profundiſſima Dei miſericordia quaſi quodammodo ſepulta iam arbitrij poteſtate, in diuitias gloriæ in ſpiritu ardoris rapiuntur, qui ſpreto ipſo rerum ac ſenſuum vſu, non aſcenſoriis gradibus, ſed inopinatis exceſſibus auolare interdū per contemplationē ad ſuperſubſtantialē Deū altiſſimum ſolent. Horum vnus fuit deuotiſſimus frater ille Rogerus ordinis ſancti *Rogerus.* Frāciſci, qui dixit, Faciliimum quid eſt hominem rapi & mente eleuari in Deum. Nā ſcio, inquit, hominem qui pluries raptus fuit in vno matuttino, & homo iſte in finities reſiſtit raptui, & aliquando tantam vim oportet eum facere, vt recedat à Deo ſuo & fugiat, quantum alius facit vt appropinquet. Hæc autē protulit de ſeipſo. Vnde & rurſus teſtatus eſt, Intātum ſe Deus animæ meæ communicat, vt præ nimia dulcedine eum non valeam ſuſtinere, ſed compellor dicere & clamare: Domine recede à me, quia non poſſum ſuſtinere multitudinem dulcedinis tuæ. Talis fuit & ſanctus *Egidius.* ille frater Egidius, vnus ex primis Franciſci ſanctiſſimi ſocijs. De quo Bonauentu-

ſcrib-

Digitized by Google

ſcribit, quòd toties vidit eum raptũ, vt inter homines vitam angelicam ducere videretur, beatiſſimus quoq; abbas Siſois, de quo in vitis patrum refertur, quòd quando in oratione manus extendit, ſtatim eas retraxit, ne raperetur, alioquin protinus rapiebatur. Ecce quàm infinita & admiranda eſt gratia Dei in quibuſdam ſuis electis miſericordiæ ſuæ vaſis. Verè ſicut ait Saluator: Spiritus vbi vult ſpirat: & incircunſcriptibilis mirificentia ac opulentia Dei nullis terminis clauditur, nullis legibus coarctatur: ſed vbi, quando, & quantum, & qualiter ei placet, liberrimè ac miſericordiſſimè ſe diffundit, atque plus interim etiam offert, plus influit, quã homo fragilis queat ſufferre. Quod ſanctus ille Effrem experiens in ſeipſo in ſuis orationibus ac meditationibus, conſueuit clamare, Domine continua vndas gratiæ tuæ.

Abbas Siſois.

Ioan. 3.

De ſancto, ardente, diuino, ac deificante amo- ad vitam vnitiuam, ad myſticam contemplationem pertinente, atque priuati amoris extirpatione.

ART. XV.

Cant. 8.

POne me vt ſignaculum ſuper cor tuũ, quia fortis eſt vt mors dilectio. Cùm tãta ſit omnipotẽtis ac ſuperpijſſimi creatoris ad homines dilectio atq; dignatio, vt

Prou.8. ipſe per Salomonem teſtetur, Deliciæ meę eſſe cum filijs hominum. Et itē per Hieremiā: Quis eſt iſte qui applicet cor ſuum vt appropinquet mihi? Quibus verbis docemur, quãtum Deus naturaliter omni quaque bonus noſtrā optet ſalutē, quā paratus ſit nobis gratiarũ ſuarũ donare chariſmata, quàm libenter velit eſſe nobiſcum, inter nos commorari, imo & habitare in nobis, dummodo nos ipſi obicem non ponamus, dummodo corda noſtra præparare & applicare curamus, quod in nobis eſt faciendo. Hinc etenim apud Iob aſſeritur: Si dixerit homo ad Deum cor ſuum, ſpiritum illius & flatũ ad ſe trahet. Et Chriſtus, Ego ſto (inquit) ad oſtium, & pulſo, ſi quis apperuerit mihi ianuam & audierit vocem meā, intrabo ad illum, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum. Porrò per nullam virtutem tam directè ac intimè, tam violenter, purè & immediatè applicat & coniungit homo cor ſuum Deo, ſicut per charitatē quę mētem amantis ſpiritaliter aperit, capacēque facit amanti. Cùm ergo per vnitiuæ ac myſticæ ſapientiæ contemplationem altiſſima mens humana DEO propinquiſſimè, quantũ in hac fieri valet vita, iungatur ac infigatur, imo in ipſum abſorbeatur atque ſupernis fulgoribus, ſacris ardoribus, chariſma-

Hiere. 3. *Iob. 14.* *Apoca. 3.*

Digitized by

riſmatibúſque diuinis abundãtiſſimè perfundatur, ditetur, adimpleatur: hinc ſancti doctores fatentur, quòd hæc myſtica viſio per diuinum præferuidum fiat amorem, ita vt purus ac æſtuans amor Dei ad hanc contemplatiuam ac myſticam contemplationẽ immediatè ac ſummè diſponat: vtpote actualis, ſyncera & feruens ad Deum affectio, quæ mentem aperit ſponſo cæleſti, ac influentiis, coruſcationibus, fœcũdationibus atque amplexibus eius. Preterea amor iſte diuinus tã purus ac feruidus eſſe nequit, niſi priuato amore prorſus euulſo. Etenim amor priuatus, qui dicitur amor ſui creſcẽs vſque ad cõtẽptũ Dei, efficit hominẽ ſeruũ ac membrum diaboli, ciuémque Babylonis, id eſt eccleſiæ malignãtium. Porrò amor Dei creſcẽs vſque ad cõtemptum ſui conſtituit hominem ſanctorũ, membrum ac militẽ Chriſti, amicũ filiúmque altiſſimi. Hi duo amores (quorũ vnus origo eſt omnis peccati, & alter fons omnis operis boni) ſibi inuicem ſunt contrarij. Et quanto quis plus creſcit in vno, tanto amplius decreſcit in alio, ita vt ſicut venenum amoris diuini eſt amor priuatus, ſic priuati amoris minoratio diuini eſt amoris profectio: priuati ſiquidem amoris vera euulſio, diuini amoris eſt perfectio

Auguſt.

Pſal. 115.

fectio. Præterea quid ſit vter hic amor, breuiter tãgã. Amor igitur priuatus vocatur, quo quis diligit ſe in ſe, non in Domino Deo, volens videlicet ac cupiens ſibi, quæ ei in ſe ſecundùm propriã inclinationẽ & affectionẽ ſunt delectabilia, vtilia, aut honeſta. Ex quo quidẽ amore mox oriuntur cõcupiſcentia carnis, auaritia, põpa, ambitio atque vniuerſa mẽtis ac corporis inquinamenta. Amor verò Dei, quæ charitas appellatur, eſt quo Deum ſuper omnia toto corde diligimus, & nos ipſos in Deo, videlicet ordinatè ſecũdùm exigentiam vltimi finis noſtri, volẽdo appetẽdóque nobis quę animabus noſtris verè expediũt ad cõplacendũ proprio creatori, ad proficiendũ in charitate & gratia eius, ac omni virtute, ad obtinendum beatitudinem cõſummatam. Sicq; ex iſto procedit amore gloriatio in aduerſis, caſtigatio carnis, cuſtodia cordis, humiliatio mentis, deſpectio terrenorum, deſiderium æternorũ, & omnis actus virtutum. Cúmque amor priuatus omnium radix ſit vitiorum, conſtat quòd eo euulſo cuncta eradicentur peccata. Quo facto inſunt cordi interna munditia & charitas Dei pura, fortis fixa ac feruida. Sícque ad omne bonum, & illuminationes altiſſimas ac frequentes & quaſi cõtinuas, ad inflam-

Deut. 6.

mati[illegible]

mationes æſtuātiſſimas,ad trāsformationē deificā,ad raptū &exſtaſim,ad exercitationē ſecretiſſimā,tranquillationē dulciſſimā, imo ad vitā Angelis proximā eſt anima tū diſpoſita, ſtátque velut in cōtactu cōtinuo ſolis æterni, ſolis iuſtitiæ, ſolis ſapientiæ infinitæ, vt exuberantiſſimè ac indeſinēter illuſtretur,calefiat, penetretur, impleatur, ac innundetur ab illo,&inſtar ſpeculi terſi, peruij & politi, luminoſi atque clariſſimi, obiecta,ſubſtrata,ac applicata eſt ſuper lucidiſſimo ſoli immenſo.Idcirco non ceſſat ſol ille liberaliſſimus ſtillicidia gratiæ,fluētia ſapientiæ charitatis ſcintillas in illam diffundere. Denique amor Dei purus cenſetur,dū ipſum non proprij intuitu cōmodi,neq; mercedis cupidine, ſed ob infinitā ipſius bonitatē & amabilitatem diligimus, ſicut & ipſe dilexit nos, non ob ſuā vtilitatē,qui bonorū noſtrorū nō eget:ſed vt ſuæ bonitatis ac felicitatis ſimus participes ad ipſius gloriā ac honorē. Inſuper quū amare ſit alicui bonū velle,& Deus excelſus,ac ſanctus ſit bonitas interminata omniformiter ſimpliciterq; perfecta, nō poſſumus ipſum magis amare,niſi cū præcordiali affectu ac cōplacentia gratulabūda,volendo & fauendo ei, quod ipſe habet & eſt: puta bonitatē,ſapientiā,pulchritudinē, opulentiam *Pſal. 15.*

tiam, omnipotentiã, beatitudinem, & perfectionem ſuam omnifariam immenſam. Deinde præcordialiter affectando vt ipſe creator ac Dominus vniuerſorum ab vniuerſis decẽti ac debito modo colatur, honoretur, diligatur ac formidetur: ita vt noſipſi in primis id totis viribus peragamus, & alios ad id quantum poſſumus inducamus. Ita qui in Dei amore modo prætacto perperfectus eſt, nihil ſui relinquit ſibimetipſi: ſed totum ſe Deo impẽdit, ipſum toto poſſe colendo, totis præcordijs cupiendo, toto feruore amando, ad eius honorẽ, laudẽ, ac gloriã omnia referendo vehementiſſimè cupiens bonum cõmune, vniuerſorũ ſalutem: quatenus Deus in omnibus atque ab omnibus debitè honoretur. Idcirco de eius iniurijs & offenſis, de pereuntiũ ingratitudinibus, vitijs ac perditionibus intimè cõtriſtatur. De honorificentia verò Dei & reformatione lapſorum operibúſque iuſtorum, & emendatione errantium ſummè lętatur, gratias agit, pro omnibus intercedit, & totus in bonitatis affectum, in zelum iuſtitiæ, in ignem amoris conuertitur, reſoluitur, transformatur. Propter quod iugiter ſurſum mouetur ad vnionem, ad amplexum, ad myſticam viſionem erigitur.

De myſtica, flammigera, anagogica, & transforma-

formatiua contemplatione.

ART. XVI.

IN manibus Deus abſcõdit lucem, & prę-cipit ei vt rurſus adueniat. Annunciat de eo dilecto quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere. Incomprehenſibilis Deus omnipotens & ſuperliberrimus Deus (qui cuius vult miſeretur, & clemens eſt in quẽ ei placuerit, à quo nõ eſt appellare aut ſubterfugere, cui nullus valet reſiſtere, cui nemo dicere poteſt, cur ita facis?) quos vult illuminat & inflãmat, præuenit, immutat, cõuertit, ac ditat: qui & interdum nõdum paratos repentè miſericordiſſimè vertit, quocunque voluerit afficit, & ad gratiam illuminationis ſupernæ ac contemplationis theoricæ perducit altiſſimam, vt patet in Paulo Apoſtolo, quem ad Chriſtianorũ perſecutionem graſſantem cõuertit in via, rapuitque ad contemplãdum ſublimia, atque ad audiẽdum verba arcana, qui etiam puſillos ac imperfectos, imo & quoſdam adhuc mundanos volens ſic allicere ad altiora ac ſpiritaliora prouehere, nonnunquam gratia cõtemplationis, ſuauitate internæ cõſolationis ad horulam tãgit, perfundit ac recreat, genus ſeruorum ponens quaſi ad menſam filiorũ. Hic DEVS ſublimis cũ viderit mentem hominis ſpiritalis

Iob. 36.
Rom. 9.
Iob. 11.
Act. 9.
Eſa. 21.

zelo

zelo iuſtitię penetratã, charitate flãmigerã, puritate ac omni virtute fulcitã, ad diuina fortiter aſpirãtem, mox dignãtiſſime, exuberãtiſſime, amoroſe, ac frequentiſſime ei occurrit, ſuccurrit, cooperatur, ſeq́; ei cõmunicat, manifeſtat, infundit, eã ad ſe eleuat, intra ſe rapit, deoſculatur, amplectitur, atque ſe ei intuẽdũ, guſtãdũ, fruendũ offert ac exhibet, habetque cõplacẽtiã magnã in ea, & tanquã amicã ac ſpõſam apprehẽdit,
Iob. 36. fœcũdat, & ſibi aſtringit, eãdẽ lucẽ quoque quã abſcõdit in manibus, quã in manibus ſuis tenet abſcõſam, ei propalat ad horam aut horulam, prout ſibi omnium ſapientiſſimo moderatori placuerit. Verùm vt hæc clariùs intelligantur, manus Dei ſunt ſapientia & poteſtas, iuſtitia, clementia & voluntas ipſius. Quæ ſunt principia operationis diuinæ ad extra. In his manibus Deus omnipotens lucem abſcondit: quia tam lucem gratiæ quàm lumen gloriæ in ſua habet ac continet poteſtate, & iuxta ſapientiæ ſuæ cenſuram, iuxta omnipotentiæ ſuæ arbitrium, iuxta voluntatis ſuæ propoſitum, lumen gratiæ abſcõdit & pendit, retinet & effundit, aufert ac reddit. Ideò dicitur: Præcipit ei (videlicet lumini gratiæ) vt rurſus adueniat. Quoniam
Idem. lumen hoc indignis celatum aut peccan-

ti ſubſtractũ, Deo iubente iterũ aduenit ac infunditur pœnitenti, & augetur feruenter amãti, atq; oſtẽditur cõtemplãti. In quo lucis huius reditu annunciat Deus per alloquutionem internã dilecto (homini bono ſcilicet cũ quo tã gratioſè operari dignatur) quòd lux iſta poſſeſſio eius ſit ita, vt eã poſsit ſtabiliter poſsidere: & ſi ad horã amiſerit eã, ad eã rurſus recuperandã poſſit aſcendere, & per eã ad lumẽ gloriæ peruenire. Inſuper lucẽ cõtemplationis theoricæ ac myſticæ radiũ viſionis tenẽs Deus in manibus, eãdem lucem pulcherrimè radiantem ad libitũ ſuũ menti purgatæ nunc pandit & influit, nunc retrahit & abſcõdit. Sicq; lux iſta venuſtiſsima ad tenentis Dei arbitriũ latet ac patet, & nũc copioſiùs clariúsq; infulgens nũc minus. Quũque hanc lucem omnipotens menti oſtenderit, mox mole magnitudinis ſuæ actualitate & excellentia maieſtatis perfectionis ac luciditatis ſuæ immenſæ mentem in momento, in nictu oculi, in puncto ſic dulciter, non violenter vincit & opprimit, vt ipſa deſinat atque deficiat à ſeipſa, & victa amore ac ſtupens præ admiratione eius quã contemplamur maieſtatis ac claritatis immẽſæ, præ deitatis quam cernit delicioſiſsima ſerenitate, neſciat de ſeipſa. Si quidam re-

pente tam valide illuſtratur ac inflammatur, vt prorſus ſuccumbens vires & ſenſus corporaleſq; amittat. Tūc mens in increatæ lucis ſecretū inducta, in infinitę lucis abyſſo demergitur, in æternæ felicitatis oceano rapta deperditur, in amoris igne immēſi reuoluta cōburitur, atque in ſuperuaſtiſsimæ ac ſuperplaniſsimę ſolitudinis impertrāſibili & immenſa amplitudine ſecuriſſimè errat, feliciter deuiat, perdens ſe ſeipſam, neſciens vbi vel quando. Verùm in hac intuitione tranquilliſſima ac cherubica, mens humana vt plurimum non diu defigitur, ſed Deus lucem quā paulo antè infudit, retrahit & abſcondit in manibus, atque poſt modicum denuo pręcepit ei, vt menti adueniens oriatur, maiori nonnunquam cum claritate quàm ante. Qua luce menti fulgente mens iterum intus ſplendeſcit, igneſcit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit. Túncque Deus amœnitatis immenſæ annunciat de ea (hoc eſt, de luce iſta quam paulò antè abſcondit in manibus) electo ac dilecto (feruido ſcilicet amatori) quòd poſſeſſio eius ſit: eo quòd ipſe cuncta carnalia & caduca aſpernans, præter Deum & extra eum concupiuit: ideóque Deo ſuffragante ad eam poſſit aſcendere, ita vt in ea creſcens quotidie tā-

Digitized by Google

dem luci fontali ſuauiſſimo Deo beatifice ſtet intentus, fruitiue vnitus, amoroſe æternaliterque immerſus. Deũ que quoniã iſta tam ſupernaturalis eleuatio mentis, tã admirãda & alta cõtemplatio, nobilitatio, ac deificatio eius, ſignum ac opus eſt infinitæ dignationis ac magnæ dilectionis Dei ad eã, idcirco poſt verba præallegata protinus ſubditur, Super hoc expauit cor meũ, & emotum eſt de loco ſuo. Etenim in hac *Iob.15.* profundiſſima cõtemplatione gratia Dei præueniens ac pertranſiens, ſenſum perſtringit amantis & eripit eum illi, infigitque ſibi, atque, vt horũ expertus ait ſanctus Bernar. Rapit eũ in diem qui eſt à tumul- *Bernard.* tu rerũ ad gaudia ſilentij, hoc eſt in ſplendorem clariſſimum lucis ſupremæ: in quo ab omni profluuio deſideriorũ carnalium, inquietorum phantaſmatũ fluctuantium cogitationũ ſuauiter conquieſcit obdormiens in dilecto. Sicque pro modulo ſuo *1. Ioan. 3* ad momentũ & punctum idipſum oſtenditur ei videndũ ſicuti eſt. Inter hæc nanque Deus efficit ipſum in idipſum vt fit ipſe pro modulo ſuo ſicut & illud eſt. Tũc plerũque in oſculo patris & filij medium inuenit ſe contemplatur huiuſmodi. Poſtremò de hac re ſatis profundè ſcribit in libro de perfectione filiorũ Dei, iuxta ex-

perientiã ſuã, Ioannes Ruisbrochius inter cætera, dicẽs: Oportebit nos fundare vitam noſtrã ſupra infinitæ profunditatis abyſſum. Et ita poterimus in amorẽ æternaliter mergi, atque à nobis in ipſã imperſcrutabilẽ profunditatẽ demergi. Et in eodem amore modo carente palpabimus & à nobis deuiabimus, & ipſe nos ducet ac perducet in immenſã & incõprehenſam amoris Dei amplitudinem In quo quidem nos fluemus & à nobis defluemus in ignotas delicias opulentiæ ac bonitatis diuinæ: in quibus liquebimus & deliquebimus, & profundabimur & deprofundabimur in gloriã Dei. Hæc & alia multa ſcribit, quæ pie ac ſapienter ſunt intelligenda, ne fiant alicui erroris occaſio. Clarè ſiquidem niſi ab expertis nequeunt intelligi.

De diuerſis effectibus ſponſi cæleſtis in anima contemplatiua heroica amoroſa, & de actibus ac gradibus charitatis ardentiſſimæ ac perfectæ.

ART. XVII.

Psal. 30 QVàm magna multitudo dulcedinis tuę Domine, quam abſcõdiſti timentibus te. Sicut diuinus loquitur Dionyſius,
Dionyſ. Charitas virtus eſt vnitiua. Primus itaque charitatis & actus ac gradus eſt mentem amãtis Deo coniungere. Nam & mentem

auc-

auerſam ad ipſum reducit & vertit. Hinc in prima ſua Canonica ait Ioannes Apoſt. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Vnde & ſine charitate nulla virtus mentem Deo propriè ſimpliciterq; coniungit. Secundus actus ac gradus charitatis, eſt cor amãtis in Deum trãsformare. Quoniã charitas virtus eſt confirmatiua ſeu aſſimilatiua ac penetratiua, volũtatem amãtis cõformãs volũtati amati, imò amantẽ à ſeipſo quodammodo alienat, & in dilectũ transfert atque cõmutat. Propterea ſancto Dionyſio conteſtante: Diuinus amor exſtaſim facit: quia nõ ſinit amantes eſſe ſuiipſorũ, ſed eorum quos diligunt, in quos quaſi extra ſe poſiti tendũt, mouẽtur & afficiuntur. Hinc ſicut ferrum ac carbonem calor ignis, quaſi trãsformare videtur in ignẽ, ita vt ignis proprietatem, actum, & ſimilitudinem induant: ſic charitas in amatum transformat ac tranſponit amantem. Propter quod aſſerit Aug. Quòd anima verius eſt vbi amat, quàm vbi animat. Et Chriſtus in euangelio: Vbi, inquit, theſaurus tuus (id eſt res quam præcipuè diligis) ibi eſt cor tuum. Et rurſus, Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi vt ſint vnũ, haud dubiũ quin per charitatem ſicut & Apoſtolus Paul. dicit: Qui

1. Ioan. 3.

1. Cor. 13.

Matt. 6.

Digitized by Google

adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Ecce quantam transformationem & vnitatem efficit charitas. Nam & de primitiua eccleſia omni charitate repleta fertur, Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.
Plato. Amicorũ etenim eſt eadẽ velle atq; eadem nolle, ſecũdũ philoſophũ. Et Plato ac Ariſtoteles profeſsi ſunt, quòd amicus eſt alius idem, ſeu alter ego. Vnde & ſpõſa in ſponſum cæleſtem per charitatem transfor-
Canti. 7. mata fatetur in Canticis: Ego dilecto meo & ad me conuerſio eius. Tertius charitatis actus ac gradus eſt diligẽtem cum dilecto
Iſidorus. indiſſolubiliter colligare. idcirco dixit Iſidorus, quòd diligere dicitur quaſi duo ligare. Nempe quo amor amplius creſcit & inualeſcit, eo validiùs amãtẽ amato aſtringit ac colligat, producendo quaſi continuã memoriã & affectionẽ dilecti in animo diligentis. Cuius charitatiuæ affectionis tãta eſt vis, vt nulla aduerſitas, nulla proſperitas, nullus euentus eam valeat cõfringe-
Roma. 8. re, vincere, aut auferre. Propterea Deũ ſic diligens, cum Apoſtolo dicere poteſt. Quis
Geneſius. nos ſeparabit à charitate Dei? Sic Chriſtum inclytus ille martyr Geneſius diligebat: Non eſt, inquiens, rex præter Chriſtum, pro quo ſi millies patiar & occidar, ipſum mihi de corde auferre nunquã p-
teri[...]
Digitized by

teritis. Quartus charitatis actus ac gradus eſt, amãtẽ præ vehementia affectionis vulnerari amore dilecti, iuxta illud in Canticis, vulnerata charitate ego ſum. Itemque: *Canti.4.* Vulneraſti cor meũ ſoror mea ſpõſa. Nonne corde vulneratus, percuſſus, perforatus charitatis acumine ac ſagitta tibi videtur amator, dum vehemens ille amoris aculeus mentem eius medullitus penetrat, affectiuã vim eius in tantũ concutiens, tam acutè trãſuerberãs, vt deſideriorum ſuorũ efferueſcẽtiam, geſtus, effectus, ac ſigna reprimere nequeat, celerare non poſſit, diſſimulare non valeat, deſiderio ardet, feruet affectu, æſtuat & anhelat profundiſſimè ingemiſcẽs ſeparationis impatiens, ac longa ſuſpiria trahens. Hic charitatis gradus interpolationem interim admittit, inſtarq; febris nunc intenſiùs nũc remiſsiùs vrit ac ſtimulat, imo frequẽter fortior redit. Ad quẽ quidẽ gradũ peruenerat nimirũ Auguſt cùm confitens Deo diceret, Sagittaueras tu cor meũ charitate tua, & guſtabam verba tua viſceribus meis infixa. Coruſcaſti in animo meo, & fortiter inflãmaſti & cõmouiſti omnia intima mea. Quintus actus & gradus, eſt amantem præ amore languidũ facere. Iuxta illud Canticorum: Fulcite me floribus, ſtipate me

Eodem.

Auguſt.

Digitized by Google

malis,quia amore langueo.Ex vulneratione quippe oritur,lãguor, dũ prætacto modo mens amore vulnerata dilecti, nec tamen eius ad libitũ habẽs pręſentiã, duplici mœrore atq; deſiderio bipartito affligitur.
Eccl. 24. Cũ ſiquidẽ ipſa increata ſapientia teſtetur, Qui edunt me,adhuc eſuriẽt,conſtat quòd mens Deum in hac vita contemplans,quo eum lympidiùs contemplatur,eo ad facialem ac beatificam eius viſionem vehemẽtiùs inflammatur:ideoque de illius viſionis
*Rom.*7. abſentia,de plenæ fruitionis carentia con-
*Philip.*1. triſtatur,ad eã quoq̃ue æſtuanter ſuſpirans cum apoſtolo vociferatur.Infelix ego,quis me liberabit de corpore mortis huius? Item, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et cum Propheta, Heu mihi,quia incolatus meus prolõgatus eſt!Rurſus dum anima ad actualẽ Dei contemplationẽ claram ac delicioſam ſecundùm poſſibilitatem vitæ præſentis prouehitur, & interdum repentè ab ea dilabitur, atque ad priſtinas ſuas ærumnas,diſtractiones,imagines,tentationes reuoluitur, tunc mœrore conficitur ad eleuationem ſuſpirãs priorem, quæ ei interdum diſpenſatiuè, nunc breuiùs, nunc longiùs Deo moderãte ſubtrahitur. Itaque duplex hic mœror ac gemibũdum deſiderium languor vocatur animæ con-
ten-

templatiuæ ac amoroſæ, cuius eſt dicere: Pſal.41.
Quẽadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad te Deꝰ. Sitiuit anima mea ad Deum fontẽ viuum. Quando veniã & apparebo ante faciẽ Dei? Tali etenim deitatis feruidiſſimo amatori nil libet, nil ſapit in rebus caducis. Vnde & ſanctiſſimus abbas Syluanus poſt cõtẽplationes & viſiones ſuas altiſſimas rediẽs ad ſeipſum, ad exteriora quæque progrediens, vultum ſuum operuit, dicens: Quid neceſſe eſt lucẽ iſtã corporalem videre in qua nihil eſt vtile? Et Grego. Lux, inquit, faſtidio eſt. Ideò Deum deprecans effatur: Educ de carcere animã meã ad confitendũ nomini tuo. Sextus actus & gradus, eſt à ſeipſo prorſus deficere atq; defluere, ita vt taliter amans cum Apoſtolo fateatur: Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Langorẽ nãque mors cõſequi ſolet. Itaque ſuperdulciſſimus ac ſuperpiiſſimus Deus ſe anima amoroſa cum tanta mœrore expectari, cum tanto deſiderio appeti cernẽs, cum ingenti dignatione ac mira liberalitate ad illam reuertitur, ac clariorem quam ante ſui contemplationem ac calidiorem amorem exigens eam, in tantum vt ferre nequeat. Quemadmodum Hieremias propheta teſtatur: Factũs eſt ſermo,

Syluan. Grego. Pſ.149 Galat.2. Hier.20.

inquiẽs, Domini in corde meo, quaſi ignis æſtuans & defeci, ferre nõ ſuſtinens. Et alius: Concupiſcit, inquit, & deficit anima mea in atrio Domini. Raptus etenim & abſorptus, introductus & immerſus animus in diuitias gloriæ, in oceanum deitatis immẽſæ, præ admiratione incircũſcriptibilis maieſtatis & entis æterni prorſus indepẽdentis, nulliúſque indigentis, cuius nulla eſt cauſa, in cuius manu ſunt omnia: defluit prorſus ac deficit, à ſeipſo, trãſitq́; totus in principẽ maieſtatis, in fontem luminis, in deitatis abyſſum: conquieſcẽs atque

Pſal.71. obdormiens in dilecto, & aliud nil aduertẽs prędominãte in ea intuitione caliginis, totũq́; præoccupãte ardore amoris. Quod vir ſanctus expertus: Inflãmatũ eſt (inquit) cor meũ, & renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui: O quàm benè & optimè eſt tunc animæ amoroſæ, quã ſerena, quàm iucunda, quàm cæliformia ac tranquilla ſunt omnia tunc in ea! Vbi tunc nebulæ vitiorum, turbines paſsionũ inuolutiones phantaſmatũ, varietas diſtractionum, inquietudo tentationũ? Nónne à præſentia ſolis iuſtitiæ, à conſpectu & ardore atque fulgore ſolis ſapientiæ fugiunt omnia illa? Septimus gradus & actus, eſt mentem ad myſticæ theolo-

giæ

Digitized by Google

giæ viſionẽ theoricam, caliginoſam, ac ſuperſplendentẽ prouehere. De qua re ſuprà iã tacta ſunt plura Eſtq́; viſio illa inter cõmunẽ contẽplationẽ & beatificam patriæ viſionem medio modo ſe habens. Octauus gradus & actus, eſt mentem iã feruidã poſt huius incolatum exilij ad facialem ac feliciſsimam primæ veritatis inſpectionem, ad diuinæ eſſentiæ viſionem, ad infinitæ bonitatis pleniſsimam ſummè contẽtantẽ ac quietãtem fruitionem perducere. Quo facto deſiderium repletum eſt & quieſcit, rapacitas mentis eſt ſatiata, omníſque potentialitas animæ ad actum perducta, cenſetur quo ad finale ac principale obiectũ. Propter quod ſcriptum eſt: Satiabor quum apparuerit gloria mea. Et, Adimplebis me Pſal. 15. lætitia cum vultu tuo.

Proſecutio huius materiæ: & quàm mirè ac gratioſe agat ſponſus cæleſtis in anima inflammata, ſanctificata ac deificata.

ARTICVLVS XVIII.

SApientiam amaui, & exquiſiui à iuuen- Sapi. tute mea: Et quæſiui ſponſam eam mihi aſſumere: & amator factus ſum formæ illius Scio quoniam mecum communicabit de bonis, & erit alloquutio cognitionis meæ. Intrans in domum meam conquieſcam cum illo Non enim habet amaritudi

ritudinem conuerſatio eius, nec tædium conuictus illius, ſed gaudium & lætitiam. Sponſus & ſponſa ſe mutuo cõplectuntur, diligunt, deoſculantur, aſtringunt, adulterinum deſpicientes amorẽ. Itaque increata ſapiẽtia (quę eſt Deus ęternus) ſponſa creati ſpiritus ac feruidi amatoris ritè vocatur.
Prou. 8. Quoniam talis amator eã ſynceriſſimè ac vnicè diligit, ardentiſſimè ac internè eam ſibi aſtringit, eam præ omnibus amplexatur, alienũ atque impurũ amorem penitùs aſpernatur. Rurſus Deus (qui eſt ſapientia iſta) ſponſus dicitur animæ (quæ eſt ſpiritus rationalis) & anima amoroſa ſponſa eſt Dei ſui, quoniam Deus per charitatem eam amplectitur, per vnionẽ præferuidam dulciſſimè eam deoſculatur, lumine gratiæ ſuæ eam fœcũdat, eámque ſibi fidelem, integram, inuiolatam manere iubet, & exigit. Quod quidem fit dũ ipſa præter Deum & extra eum nil diligit. Etenim iuxta præhabita nulla actio in tantũ cõformat, ſicq; identificat vnũ cũ alio, ſicut dilectio. Hinc nimirum anima feruens ac ſancta de cęleſti loquitur ſponſo in amoris dialogo, in
Cant. 2. Cantico Canticorum: Dilectus meus mihi,
Cant. 7. & ego illi. Itemque: Ego dilecto meo & ad me conuerſio eius: Hoc eſt, Ego tota ſum vnica illius quẽ ſuper omnia tam ſingula-
tiſſi

riſſimè amo, tam vnicè diligo, eius obſe-
quio me totam impendo, amori voluntatí-
que eius me integrè offero, illi intēta ſum,
ei vaco atque cōplaceo. Ad me quoque cō-
uerſio eius: quoniam ab ipſo me redamari
ſeu potius præamari experior. Ipſe mihi
vicē rependit, ipſe me clementiſſimo ac di-
gnātiſſimo aſpicit vultu, nō ſum fraudata
meo affectu. Talē itaque animam quæ cū
Apoſtolo verè pronunciat: Mihi abſit glo- *Gala. 6.*
riari niſi in cruce domini mei Ieſu Chri-
ſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt,
& ego mundo, ita vt quicquid mundus ma
gnū, dulce, ac cōmodum arbitratur, mihi
crux ſit: illud viliſſimū reor, & pro nihilo
aſpicio. Talem inquam animam ſponſus
cæleſtis dulciſſimè viſitabit, familiariter
amplectetur, amoroſè alloquetur cōmu-
nicabitque ei de bonis ſuis luce gratię, ſplē
dore virtutum, donis ac fructibus ſpiritus
ſancti eam fœcundās, mirabiliter inflam-
mans, vt ſit tanquā oliua fructifera in do-
mo Dei. Tunc planè gaudebit ſponſus ſu *Pſal. 51*
per ſpōſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus *Eſai. 62.*
O anima inclyta & electa tam plenè ad *Pſal. 44.*
creatorē tuū cōuerſa, cōcupiſcit rex deco- *Can. 2.*
rem tuū, & dicit tibi: Oſtende mihi faciem *Prou. 8.*
tuā ſonet vox tua in auribus meis, & erunt *Eſai. 60.*
delicię eius eſſe tecū, ac demorari in medio
cordis

cordis tui. Tunc certè videbis & effiues, & mirabitur cor tuum ex tanta dilectione ac dignatione Dei tui ad te, & dilatabitur in amore ipſius cum gaudio, feliciterque guſtabis quàm magna ſit multitudo dulcedinis eius quam proficit & oſtendit ſperātibus in ſe, quos abſcōdit in abſcondito vultus ſui à cōturbatione hominū, qui renuūt forinſecus conſolari, quietē. ſolitudinēque optantes, quorum mentes Deus gloriæ ſuperdulciſſimus ac munificentiſſimus ſponſus ineffabiliter adimplebit, conſolabitur, tranquillabit, radiosè perfundet, vehemēter accendet, dulciter vnget, ſtabiliter poſſidebit, imo nonnunquam etiam & fortè crebriùs amorosè ac miſericordiſſimè prorſus præueniet ſpiritum noſtrū & ſtatū ad ſe trahens, improuiſáque erigēs, & abſque noſtro conatu inopinatè tollens, immutans ſuccendens, & abſorbens, implebiturque in nobis quo in Deuteronomio ſcriptum eſt, Amantiſſimus Domini habitabit cōfidēter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. Denique ſicut amor carnalis prædominās (qui amor hereos appellatur) facit amantem conſiderationi & amori amati grauiter intentum, eiusq; iugiter memorem, ſingula quęque intimè cogitātem,

Pſal. 30. *Pſal. 76.* *Iob.14.* *Deu. 34.*

omnia

Digitized by Google

omni percurrentem, de amati præſentia hilarem, de eius abſentia ac receſſu mœrentē, ſempérque cupit vniri ac frui dilecto in eius intuitu cōplacentiam habet, ipſum aſtringit, cōprimit, deoſculatur, nec in his ipſis percipit moras, imo omne tēpus quod in iſtis expēditur, breue videtur, ita, omnino ſynceriſſimus ac inſigniſſimus amor Dei cōtemplationi dilectioníque Dei efficit mētem amantis vigilanter, diuturne, & ſi non cōtinuè, tamen ſæpiſſimè prorſus intētā, eiúsque innumerabilibus vicibus memorem, nō in diuinis duntaxat, veruncetiam in omni loco, actu ac tempore, in ſtrato, mēſa, domo, via, otio atque negotio: ita vt ad literam impleat talis homo illud Deuterono. Erunt verba domini in corde tuo, & meditaberis ea ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiēs atque cōſurgens, erúntque & mouebuntur inter oculos tuos. *Deut. 6.* Inſuper amor hic ſanctus ac ardens facit mentem ea quæ Dei ſunt intimè meditari, & cuncta diligēter percurrere. Nunc incōprehenſibilem Dei bonitatem ac pietatem, nunc eius infinitam ſapientiam, iam opulentiam, iam omnipotentiam, pulchritudinem, iuſtitiam, beatitudinē, æternitatem, ac cæteras proprietates ipſius ſynceriter contemplando, viuaciter admirando,

incom

incomparabiliter diligẽdo, amplectendo, laudãdo ac honorãdo. De gratioſa quoque & experimentali Dei præſentia amor iſte lætificat mentẽ, ſerenã & tranquillam efficit, & mira bonitate perficit. Porrò de abſentia dilectiſſimi & ſuperdilectiſſimi Dei parit triſtitiã, afflictionẽ ac defectionem. Ex tanto quoque contemplationis exceſſu amoriſque impetu, ardore, & ebullitione generantur per redundantiam quandã in parte ſenſitiua ac corpore lãguor, debilitas, mœror ac macies, deteſtatio corporei alimẽti, impotentia vſus ac motus mẽbrorum ac ſenſuum, & totius corporis rigor. Nec in his actibus ſanctis mens tẽpus aduertit moras nõ percipit, imò in his vehemẽtiſſimè admiratur, nec ſufficit admirari anima ſancta charitatem, pietatem, dignationem, & munificẽtiam Dei circa ſe, & in ſe: tam amorosè ac familiariter, tam gratiosè & munificenter ſe ei oſtendit, cõmunicat, applicat & infundit. Amplius quoniam amor ingreditur, vbi ſcientia permanet foris, dum mens contẽplationi myſticæ eſt intenta, inflammato & velut cõmoto ac irritato amore, incipit amor ipſe quodãmodo ebullire ac ſuperferuere, ſuáque ſacra violẽtia totũ corpus cõcutere. Quod autẽ feruet, quadã caloris ac deſiderij ſui violen-

Digitized by Google

violentia extra ſeipſum proijcitur,& ſupra ſe tollitûr, quaſi ibi eſſe dedignetur. Vnde tam vehementer ſe iactat. Sic & mens trãſfixa amoris feruore,quaſi extra corpus iactare ſe nititur,& vſque in ſummum volare molitur. Poſtremò ex prædictis ſupernaturalibus ac mirandis cæleſtis ſponſi & charitatis in anima certiſſimum ſumitur argumentnm veritatis fidei Chriſtianæ,ita vt quicunque hæc experitur, in tantum ex eis in fide certificetur, vt quamuis totus mundus auerteretur à fide, ipſe tamen de fidei veritate non poſſet ambigere, provt de hoc in tractatu de contemplatione & alibi pleniùs diſputaui.

De effectibus atque indicijs amoris extatici.

ART. XIX.

AVerte oculos tuos à me, quoniã ipſi me auolare fecerunt. Deus ſublimis & benedictus ſuæ æternæ veritatis actualitate & cognoſcibilitate, ac ſuæ immenſæ bonitatis amabilitate omnem intellectum atq; affectum creatum infinitè tranſcendit ac ſuperat. Ideò animam cõtemplãtis à ſeipſa penitus alienat, rapit, abſorbet, atque deficere facit. Propter quod ait Pſalmus, Defecit in ſalutare tuum anima mea. Et rurſus: Defecit caro mea & cor meum. Spiritualia autem per corporalia declarantur.

Idcircò proprietates &actus ac ſigna amoris ſpiritualis extatici per actum&ſigna amoris carnalis (qui hærens ſiue prædominans aut extaticus nominatur) elucidare oportet. Itaque primũ opus ac ſignũ carnalis amoris extatici deſiccatio mẽbrorum. Taliter etenim amoroſi areſiũt in mẽbris, palleſcunt & amareſcũt: quoniã ex intentiſſima cordis applicatione circa dilectum multiplicantur ſpiritus, & calor naturalis in ſua operatione debilitatur, ſicq; corporis deſiccationẽ incurrunt. Conformiter ex vehementi ac intimo amore ſpiritali extatico & applicatione occupationéque eius circa dilectum, videlicet ſuperamabiliſſi-
Exod. 14 mũ Deum, cor ab omni carnalis voluptatis areſcit profluuio, à cõcupiſcentia, & omni affectione terrena ſiccante Domino aquas maris rubri, id eſt, carnalium motus humorum, flante vento vehemente atque vrẽte, id eſt ſpiritus ſancti virtute intus gratiosè ac fortiter operante. Nempe quo anima ampliùs circa ſpiritalia ac diuina ſe occupat, eo à carnalibus magis abſtrahitur &
Auguſt. ea faſtidit. Hoc S. Auguſtinus expertus dixit, O Deus meus quã ſubitò mihi in faſtidium verſum eſt quicquid ante male amaueram. Hinc ſponſa orat in Cãticis: Surge
Cant. 4. aquilo & veni auſter: perfla hortum meũ & fluent

& fluent aromata illius. Per aquilonem, qui eſt ventus durus ac frigidus, torpor & grauitas intelligitur vitiorum. Per auſtrum verò, qui eſt dulcis & calidus ventus, accipitur ſpiritus ſanctus, quo in animam flante, ſpirante, ſeque pijſſimè infundente, aromata, id eſt ſpiritalia deſideria carnalibus pulſis affectibus fluunt ab ea, dicente Gregor. Guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro. *Gregor.* Secundus effectus atque iudicium amoris carnalis extatici, concauitas eſt oculorum. Nam amoroſi taliter conſueuerunt oculos habere profundatos ac concauos: eo quòd oculi ſequuntur ſpiritum, ſeſe ad intra retrahentes, & ad æſtimatiuo organum concurrentes. Sic interiores oculi animæ ſpiritali amore extatico inflammante profundantur in corde, & introuerſa eſt anima talis: quoniam intus eſt, intus fulget, ac inuenitur totum, quod quærit, quod diligit, quo delectatur, in quo cõquieſcit, Deus videlicet lux vera, veritas ſumma, bonitas infinita: cui ait cum Iſaia, Vere tu es Deus *Eſa.41.* abſconditus. Et rurſus: Secretum meum *Eſa.4.* mihi. Et cum Pſalm. Deus cordis mei, & *Pſal.78.* pars mea Deus in æternum. Prȩtereà inter ſe profundat huiuſmodi anima intuitum aciei viſus interni, vt conſideret ac ſcrutetur nequid in ea ſit quo offendatur ſpon-

Digitized by Google

ſus cæleſtis, qui ſolus cor intuetur: iuxta illud, Meditatus ſum nocte cum corde meo: & exercitabar, & ſorbebam ſpiritum meum. Rurſus viſum mentalem profundat: quatenus occultos cæleſtis ſponſi acceſſus & receſſus pro poſſe obſeruet ac
Iob. 2. noſcat. De quibus apud Iob ſcriptum eſt, Si venerit ad me, non videbo eum: & ſi receſſerit à me, non intelligam. Quamuis etenim quidam tales acceſſus & receſſus certò ſcire ſeu obſeruari non valeant, probabiliter tamen poſſunt. Nec dubium quin talis amor exteriores quoque cuſtodiat ſenſus, quorum incuſtodia incuſtoditæ mentis eſt ſignum. Ideò Salomon conte-
Eccl. 2. ſtatur: Oculi ſapientis in capite eius: ſtultorum autem in finibus terræ, ſeu in calcaneo. Tertium amoris carnalis extatici ſignum eſt ſiccitas oculorum, ſeu lacrymarum carentia, niſi ex parte dilecti veniat fletus. Hinc nec damna rerum neque mors proximorum valẽt in taliter amoroſis excutere lacrymas. Conformiter anima ſpiritualiter extaticè amoroſa, propter nulla damna ad ſuperdilectum ſponſum ſupernum non pertinentia contriſtatur. Sicut & Salomon loquitur: Nõ contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit, Adeo quippe quæ-
Prou. 12. rit ac diligit tantique facit eſſentialiter
bonum.

Digitized by Google

bonũ vt & alia paruipendat, Vnde ſanctus
Iob grauiſſima paſſus patiénſque aduerſa *Iob.2.*
patiẽtiſſimè dixit, Dominus dedit, Domin⁹
abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factũ eſt,
ſit nomẽ Domini benedictũ. Sic & de To- *Tob.2.*
bia quoque ſcribitur: Nõ eſt Tobias cõtri-
ſtatus contra Deum quòd plaga cæcitatis
venerit ei, ſed immobilis in Dei timore
permanſit gratias agens Deo omnibus die
bus vitæ ſuæ. Non ergo pro rebus vilibus
cõtriſtemur, non pro paruis ac tranſitorijs *Prou.12*
commoueamur. Iuſtus nãque quaſi funda-
mentum æternum. Quartum ſignum opus
amoris carnalis extatici, eſt profunda ſo-
licitudo & cogitatio verſa ad interiora,
nõ vtique ad ſpiritualia aut diuina, ſed ma-
gis ad vana & fœda phantaſmata intus re-
cluſa, in quibus dilectam rem ſpeculatur,
atq; carnalia imaginatur: ita vt aliter amo-
róſus, quaſi dormientis imaginem geſta-
re videatur, ad exteriora euigilare vix va-
lens, niſi cùm ei de re amata ſit verbum, eo
quòd tota ſua cogitatio, intenſio & affectio
fixa ſit in amato. Conſimili modo ani-
ma ſpiritaliter extatice amoroſa in tantum
ſolicita eſt & intenta circa ſecretiſſimum
Deum, vt ad verba mũdana inania, impertinentia, ad vanos rumores ac fabulas clau-
dat ſenſum: & inuitè talia audiat, dicens

illud propheticum Deo, narrauerunt mihi, inquit, fabulationes, ſed non vt lex tua. Si autem de Chriſto & pertinētibus ad ſalutem fit ſermo, ſtatim euigilat & aduertit, iuxta illud, Qui ex DEO eſt, verba Dei audit. Quintus effectus atque ind cium amoris carnalis extatici eſt pulſus inordinatus. Taliter quippe amoroſi pulſum habent aut nimis tardum aut valdè velocem ſecūdùm diuerſas apprehēſiones & affectiones de amato conceptas. Dum enim de eius adeptione deſperant, tardum mox habent pulſum. Velocem verò quando de eo vicē reportare confidunt. Sic anima ſpiritaliter extatice amoroſa pulſus, id eſt, affectiones, habet mirabiliter celeres ac veloces, quando deſponſi ſui adeptione confidit, quando ab ipſo viſitari, impleri, conſolari, amplecti experitur, dum de eius gratioſa præſentia iucundatur, aut de eius beatifica fruitione habenda quodammodo certificatur, quemadmodum ait Apoſtolus. Ipſe ſpiritus teſtimoniū perhibet ſpiritui noſtro quòd filij Dei ſumus. Talem habuit pulſum internum ſanctus qui dixit: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuū. Et denuò: Viā mandatorū tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meū. At verò dū anima ariditatem ſpirit⁹ incidit, & ſolita ala-
critate

critate ac conſolatione priuatur, dum de beatitudinis adeptione grauiter anxiatur, aut de reproborum numero eſſe vere-tur, tardum mox habet pulſum, dicẽs cum ſancto Iob Domino: Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi. Sextum opus ac ſignum amoris carnalis extatici, eſt quòd taliter amoroſus videndo rem ei amatæ conſimilem inflãmatur, concutitur, aſpicit, & quaſi inſanire videtur. Sic anima ſpiritaliter extaticè amoroſa Deum in hac vita in ſeipſo videre ac deguſtare non valés, dum eius bonitatẽ, dulcedinẽ, venuſtatem & excellentiam in ſuis contemplatur ac guſtat effectibus, atque in prælibatione quadam per genera, ſpeciémque creatam, protinus alienatur, concutitur, alteratur, vt quaſi inſaniens videatur, imo ab inexpertis ac temerarijs inſana ac fatua iudicetur, dum anima ſurſum tendente, ac corpus ſuum relinquẽte, corpus inclinatur ſeu varijs modis mouetur ac caſum minatur. Septimum ſignum amoris carnalis extatici eſt defectiua & truncata locutio, & modica allocutio cũ dilecto dum præſens eſt. Nam taliter amoroſi in abſentia concipiunt multa: dũ verò cõueniunt, proferunt

Iob. 30.

Digitized by Google

pauca & eadem imperfectè. Siquidem magnitudo affectionis verba abrumpit & mẽtem abſorbet, in amplexum & oſcula ruẽs. Sic anima ſpiritaliter amoroſa extatice defectiuis atque truncatis vtitur ſermoni-
Cant. 2. bus loquendo cum ſponſo, ſicut dũ ait, dilectus meus mihi, & ego illi. In quibus ratio verba amoris debet ſupplere & expla-
Exod. 6. nare, quemadmodum eloquens Aaron fuit os Moyſi infacundi. Vnde cùm loquitur ſponſa, dilectus meus mihi, ſupplẽdum eſt, gratioſe ſe exhibet & ſuper omnia mihi
Cant. 2. placet, eſtque chariſſimus Et ego illi intenta ſum, placere deſidero, vniri præopto.

Quòd ad iam prædictam triplicem viam plurima reducuntur ea quæ paſſim à doctoribus ſunt ſcriptitata.

ART. XX.

Pſa. 103. QVàm magnificata ſunt opera tua Domine omnia in ſapientia feciſti. Primo de cælo & mundo Ariſtoteles ait: Per hunc quidem numerum (puta trinarium) adhibeamus nos ipſos magnificare vnum Deum eminẽtem proprietatibus earũ quæ creata ſunt. Quod ideo dixit Philoſophus, quia in cunctis creatis apparet perfectio quædam in trinario, ſicut in principio, & medio, ac fine. Idcircò antiqui Deum honorauerũt orationibus ac ſacrificijs triplicatis,

Digitized by Google

catis, provt commentarius ibi exponit: & Thomas ſuper primum librum Sententiarum allegat. Itaque numerus iſte trinarius perfectionem & excellentiam quandã importat, atque creatis omnibus inuenitur, & in ipſo creaturarum conſiſtit perfectio. Hinc ſuperbenedictę trinitatis veſtigium dicitur in omnibus relucere. In omni námque creato quędam eſt trinitas, præſertim in entibus eſſe completum habentibus. Vt pote eſſentia, potentia, & operatio, eſſe, poſſe & agere, principium, mediũ, & finis, actus, potentia, & vtriúſque connexio, ſeu quod eſt, & quo eſt, & amborũ coniunctio, modus, ſpecies & ordo ſeu numerus, pondus, menſura. Vnde per ſapientiã Deo dicitur: Omnia in numero & pondere & menſura conſtituiſti. Rectiſſimè ergo Pſalmographus concinit creatori, Quàm magnificata (id eſt valdè magnificè, valde eminẽter ac ordinatè facta) ſunt opera tua. Nam omnia in ſapientia feciſti, id eſt, ſapientiſſimè. Conformiter in rationali creatura ad trinarium quendã quaſi omnia reducuntur etiam vitæ & exercitia ac media quibus ad Deum pertingitur, ad viam videlicet purgatiuam, illuminatiuã ac perfectiuam, ſeu vnitiuam. Nempe ad viam purgatiuã pertinet ſtatus incipientiũ. Ad illuminatiuam

Pſa. 102.
Sap. 11.

ſtatus proficentium: Ad vnitiuam ſtatus perfectorum. Rurſus ad purgatiuam pertinet ſtatus animalis. Ad illuminatiuam ſtatus rationalis. Ad perfectiuam ſtatus ſpiritualis. Item ad purgatiuam pertinet principium reformationis, rationis, voluntatis, atque memoriæ. Ad illuminatiuam profectus reformationis huiuſmodi. Ad vnitiuam reformationis eiuſdem perfectio. Prętereà cùm triplex ſit veritas, ſcilicet veritas vitæ, veritas doctrinæ, veritáſque iuſtitiæ, ad purgatiuam pertinet veritas vitæ: ad illuminatiuam veritas doctrinę: ad perfectiuam veritas iuſtitiæ. Adhuc autem ad purgatiuam pertinent virtutes politicæ, ad illuminatiuam virtutes purgatoriæ, ad vnitiuam virtutes purgati animi. Poſtremò ad purgatiuam pertinent ſerui fideles, ad illuminatiuam ſecreti amici, ad perfectiuam, occulti filij. Poteſt etiam dici, quòd ad purgatiuam pertineant virtutes morales, præſertim ad ſenſitiuum appetitum ſpectantes, quæ circa paſſionum refrænationem verſantur, ad illuminatiuam virtutes intellectuales, ad vnitiuam virtutes theologicales, præſertim ſecundùm ſuum eſſe perfectum, & maximè charitas.

Declaratio prædictorum, videlicet diſtinctio inter

ter

ter ſeruos & mercenarios ac ſecretos amicos occultóſque filios. ART. XXI

IAm non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. Iſta ſunt verba Chriſti, quibus inter ſeruos & amicos diſtinguit: cùm tamen omnes boni ac virtuoſi ſint ſerui ipſius. Porrò abbas Caſſianus mercenarios præfert ſeruis. Sed diuiniſſimus ille Ioannes Ruysbroec mercenariis ſeruos præponit. Iterum idem Ioannes occultos filios præponit amicis. Cancellarius autem Pariſienſis amicos prætulit filiis. Conſiderãdum eſt igitur, qualiter iſta diſtingui, intelligi, concordaríque debeãt. *Io. Caſſi.* Itaque iuxta Caſſianum triplex eſt incitamentum ſeu motiuum vitandi peccata, faciendíque bona. Primum eſt timor ſupplicij, puta æternæ damnationis, aut certè temporalis incommodi, aut tormenti. Et iſte eſt timor ſeruilis purè, quem charitas excludit, dicente Ioanne Apoſtolo in prima ſua Canonica: Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet. Siquidem timor purè ſeruilis & charitas ſimul eſſe prorſus nequeunt. Quoniam ſolùm ſeruiliter timens non diligit bonum virtutis, nec Dei intuitu ac

amore

amore deſerit vitium, agítve bonũ, ſed ex ſuiipſius amore, priuatione ſcilicet, patiatur quòd horret ac grauat. Ex quo quidem amore reciproco, improbo & reflexo ſeruilis ſcaturit timor, cùm ex eadẽ procedat radice appetere & amare propriũ bonum, & fugere ac timere malũ cõtrariũ Idcirco qui ſolũ ſeruiliter timet, ſemetipſum plus amat quàm Deum, nec in Deo, ſed in bono creato caduco ſibi cõſtituit finem. Ideo in mortali eſt culpa dãnationíſque ſtatu. Hinc magni doctores, videlicet Alexander de Halis, & Guillelmus Antiſiod. in ſuis aſſerunt Summis, quòd quis poſſet pro fide pati martyrium & tamen damnari, videlicet ſi ex ſolo ſeruili id ferat timore. Nec mirum, cùm & Apoſtolus fateatur, Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, id eſt, pro fide igne cõburar, charitatem autem nõ habeã, nihil mihi prodeſt. Nempe quamuis timor ſeruilis vitet culpam& faciat bonum ex genere, nullũ tamẽ horum facit bene& ſicut oportet, puta recta intentione& ex bona ac viua radice. Alius verò eſt timor initialis, quo quis vitat peccatum, facítque bonum, partim timore ſupplicij, & partim amore Dei ac præmij. Et hic timor eſt bonus, quamuis ſit imperfectus. Tertius, eſt timor filialis, qui eſt fu-

ga

ga offenſi Dei, vitans culpã & faciens bonum, ne Deus offendatur ac deſerat hominem. Sicque timor iſte ex charitate procedit. Secundum incitamentum mala vitandi ac bona agendi, eſt ſpes ſeu deſiderium præmij. Tertium verò eſt amor Dei, affectus boni honeſti ac zelus iuſtitiæ. Itaque eos qui ex ſeruili timore fugiunt culpam ac faciunt bonum, Caſſianus vocat ſeruos, nimirum à ſeruitute ſcilicet ſeruilis timoris. Iuxta quẽ ſenſum ait ſaluator: Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternũ: porrò mercenarios nominat Caſſianus eos, qui Deo deſeruiũt intuitu præmij, ſpéque mercedis, iuxta illud: Inclinaui cor meũ ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Nec ſolum quidẽ, ſed ſimul etiam ex amore Dei & zelo iuſtitiæ, vt ibi dicemus. Eos autẽ qui ex amore puro Deo miniſtrant vocat Caſſianus amicos & filios, inter quos non diſtinguit, ſicut nec ſacra ſcriptura. Prętereà diuus ille Ioãnes Ruyſbroce, aliam habuit cõſiderationem. Nam ſeruos vocauit, qui diuina præcepta ex charitate obſeruant, mortalia declinantes peccata, & opera vitæ actiuæ (videlicet actus miſericordiæ) exercentes: nondũ tamen ad contemplatiuæ vitæ saporẽ euangelico

Ioan. 8.

gelicorúmq; obſeruantiã cõſiliorũ ſe dantes, iſti ſunt ſerui ſeruitute timoris initialis, partimq; filialis. Iuxta quẽ modũ Chriſtus in euangelio loquitur: Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudiũ Domini tui. Viri quoque perfecti & ſancti in patria ſerui Dei vocantur ſeruitute filialis ac caſti timoris, qui etiam in patria perſeuerat. Vnde in Apoc. legitur: Serui Dei ſeruient illi, & videbunt faciem eius, & regnabunt in ſęcula ſęculorũ, imò ſic Chriſtus, prout homo, ſeruus Dei in ſcripturis vocatur. De quo Deus pater per Eſaiam teſtatur, Ecce ſeruus meus, ſuſcipiã illum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Et rurſus: In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe ſeruus meus multos, & peccata illorum portabit. Porrò mercenarios vocat noſter Ruyſbroec, qui Deo miniſtrãt principaliter intuitu deſiderioq; mercedis. Ideò in charitate & gratia nõ ſunt, quoniã Deo ex charitate & amore boni honoriſque Dei principaliter obſequi eſt neceſſe, vt Deus ſit finis, nõ ipſemet operans ſeu propriũ bonũ. Amicos demũ appellat idẽ eos, qui nõ ſolùm ex charitate obſeruant pręcepta, & opera pietatis exercent, ſed contemplationi quoque inſiſtũt interna ac amoroſa adhęſione Domino cohærentes, atque ac ſpiritalem

talem

talem ſaporem ſe extendẽtes, & etiã euangelica obſeruantes conſilia. Verumtamen nondum plenè nudi effecti ſunt, ſeu ab omni proprietate (id eſt conuerſione ad ſeipſos ad ſpiritalia dona) nudati, quia ad cõſolationem internã, deuotionẽ ſenſibilem, dulcẽ adhæſionem plus aſpirãt, & afficiuntur, quã admittit perfectio. Vnde cùm talia eis adſunt, alacres ſunt. Puſillanimes verò ſi talia deſint. Idcirco nõdum perfectè ſibijpſis ſunt mortui, nec ſynceriſſimè integerrimèque ad Deum conuerſi: hos ergo appellat fideles Dei amicos. Ocultos autẽ Dei filios vocat, qui prædictis omnibus moriuntur, & à ſeipſis ſeu reflectione ad dona præfata nudati sũt, atq; ad Deũ pleniſſimè verſi, eũ duntaxat, non dona ipſius aſpiciẽtes, quærentes, penſantes: niſi fortè inquantum per ea Deum valeant honorare, ac adipiſci quod aliter nequent. Hinc iſti Deo potiſſimum placent, & viſitantur, implentur, rapiuntur, ac ſummè beatificãtur ab ipſo, qui ſiue ſenſibilem deuotionem & cõſolationem internam experiantur, ſiue non, æquali accipiunt animo, ac Deo cohærent, non aliud quàm ipſius honorificentiam, gloriam, complacentiam ac vnionem, ſynceriſſimúmque amorem optantes.

De

De triplici gradu reformationis internæ.

ART. XXII.

Epheſ. 4. RENouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Cùm in tribus ſupremis animę viribus (videlicet intellectu, memoria, voluntate) attendatur ſummę & increatæ Trinitatis imago in anima rationali, modicum de harum reformationibus vitium eſt tangendum. Itaque initiũ reformationis intellectus ſeu rationis, eſt per fidei veritatẽ, & ſacræ ſcripturæ doctrinã, & per eccleſiæ documenta ab erroribus & ignorantia ſaluti contrarijs expurgari, neceſſariorum ad ſalutẽ agnitionem adipiſci. Porrò profectus reformationis, eſt ex illuſtratione diuina rationes credibilium per donum intellectus cõſpicere & in ſcripturis deſuper erudiri, atq; in ſummæ veritatis notitia ſalutari ſumere incremẽtũ, quẽadmodũ ad Coloſſenſes ait Apoſtolus: *Coloſſ. 1.* Poſtulamus, vt impleamini agnitione voluntatis Dei in omni ſapiẽtia & intellectu ſpirituali: vt ambuletis dignè Deo, ſemper creſcẽtes in ſcientia Dei. Quáuis etenim fides Chriſtiana ſit penitus ſupra rationem, & de incõprehenſibilibus rebus: nihilominus mẽs ſyncerè diuinitus illuſtrata, nexũ, rationes, ac ordinem credendorum intelligens,

gẽs, cernit nihil rationabilius eſſe fide catholica, dum omnia comportantur. Perfectio autem reformationis rationis, eſt per mentis exceſſum ſupra ſe rapi, & non per argumenta ratiocinationũ, & nec per corporearũ ænigmata ſimilitudinum: ſed pura & anagogica intelligentia altiſsimum contemplari: iuxta illud Apoſt. Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculãtes in eandẽ imaginem transformamus à claritate in claritatem. Præterea initium reformationis voluntatis eſt vitijs reluctari, & eam diuinorum rectitudini præceptorũ ſubiicere, nec paſsionibus ſubiacere, ſed præualere. Profectus verò huius reformationis eſt ſenſitiuas affectiones habere volũtati ſubiectas, & cũcta voluntatis deſideria habere in Deo adunata ac ordinaria. Perfectio autem reformationis iſtius, eſt vnum eſſe cum Deo in ſpiritu per amorẽ, vt iam aut nõ, aut vix poſsit velle, niſi DEũ, & quæ ei ſunt placita, vt inauertibilis ſit ab eo. Quod confirmatis in bono potiſsimũ cõuenit, & viris perfectis nonnihil cõpetit, qui cum Apoſt. dicere habent: Certus ſum quia neque mors, neque vita, nec aliqua cre. &c. Inſuper initium reformationis memoriæ intellectualis eſt eam à ſuis diſtractionibus ad DEI commemorationem

2. Cor. 3.

Rom. 8.

orãdo, legẽdo, meditãdo reducere. Profectus reformationis memoriæ, eſt in ipſis orationibus, lectionibus ac meditationibus mẽtẽ in Deo fixã ſine importuna euagatione tenere, atq; in altitudine cordis cũ Deo ambulare. Perfectio autem memoriæ eſt ita in Deo eſſe abſorptum, vt ſuiipſius cæterorúmque omniũ obliuiſcatur, atq; in Deo abſq; volubiliũ cogitationũ imaginationúmq; ſtrepitu dulciter cõquieſcat. Ecce ad hæc ordinanda ac fortiter proſequẽda ſunt omnia exercitia noſtra bona.

De veritate atq; multiplici veritatis diſtinctione, præſertim de triplici veritate ad triplicem viam præhabitam pertinente.

ART. XXIIII.

Rom. 3. EST autem Deus verus, omnis verò homo mendax. Quum omnis perfectio ſit in Deo, quanto magis veritas? Rurſus ens & verum conuertibilia ſunt, dicente

Philoſo. Philoſopho: Sicut ſe habentes ad eſſe, ita ad veritatem. Eſt ergo Deus verus & veritas ipſa. Primò quoniam habet eſſe ſummè ratum, perfectum, incõmutabile, vniforme ac ſolidum. Propter quod ait San.

Hieron. Hiero. Solus Deus verè eſt, cuius eſſentiæ

Auicen. comparatũ noſtrum eſſe, non eſt. Auicenna octauo metaphyſ. ſuæ affirmat, Quicquid neceſſe eſt eſſe, veritas eſt. Secundò, quoniam

quoniã eſſe diuinũ eſt purũ ac impermixtũ nihil de nõ eſſe,nihil de vanitate aut falſitate habẽs admixtũ. Quod nulli creato cõpetit enti. Tertiò,quoniã Deus per ſuã eſſentiã oſtẽdit quòd eſt. Quartò,quia per eã ſuo intellectui eſt cõformis. Quintò,quoniã omnis veritas creatæ eſt cauſa fontana. Inſuper in intellectu diuino eſt veritas: quia diuinã eſſentiã & alia omnia intelligit ſicut ſunt:eſtque inſtitutor, menſura ac regula omnis veritatis creatæ. Rebus verò creatis cõpetit veritas per cõparationẽ ad intellectũ diuinũ inquãtũ conformãtur rationi ideali quã habẽt in mente æterna,ac ſortiũtur naturã quam Deus creator ipſis præſtitit atque largitus eſt. Vnde Richar. de media villa ſuper primũ ſentẽtiarũ diſtinctione octaua teſtatur, Veritas conſiſtit in conformitate rei ad ſuũ exẽplar. Eſt itaque multiplex veritatis diuiſio. Prima quòd,alia eſt veritas creata,alia increata. Secunda quòd veritas increata ponitur duplex,videlicet veritas diuinæ eſſentiæ,veritas intellectus diuini. Quæ duæ veritates realiter idẽ ſũt ſola ratione diſtinctæ. Iterũ quãuis veritas cõueniat Deo abſolutè,&tribus ſuperbenedictis perſonis cõmunis ſit,imo omnes tres vna ſint veritas, ſicut& vna eſſẽtia;nihilominus veritas filio appropriatur,

Digitized by Google

quemadmodũ charitas ſpiritui, ſancto, eo quòd filius ſit emanatio intellectus, ad quẽ pertinet veritas, ſicut ſpiritus ſanctus emanatio eſt voluntatis, ad quẽ pertinet charitas. Hinc ars, veritas, ſapientia, ratio idealis, exemplar, pulchritudo, ſpecies, filio attribuũtur. Itaque iuxta hoc veritas increata adhuc duplex aſſeritur, ſicut & ſapientia increata, vt puta genita, ſ. filius, atque ingenita, quæ eſt diuina eſſentia. Inſuper veritas creata eſt multiplex, videlicet veritas entis, & veritas propoſitionis, ac veritas ſigni, & veritas oſtẽſionis. Interdũ quoque accipitur veritas pro virtute morali ad iuſtitiam pertinenti, per quam veritatẽ homo ita ſe habet in factis, ſicut promiſit & dixit. Eſt quoque tripartita diuiſio veritatis, videlicet veritatis, vitæ, doctrinæ & iuſtitiæ. Vnde iã aliqua tangã. Præterea, ſicut verũ tripliciter dicitur, ita & vanũ ſibi oppoſitum. Primò ſiquidem dicitur verum
Dan. 2. prout cũ ente cõuertitur. Et ſic omne ens dicitur verũ. Vnde Daniel: Omnia, ait, opera Dei vera ſunt. Sícque vanũ vero huic oppoſitũ dicitur nõ ens, vt chimæra. Secũdò, dicitur verum prout vltra hanc veritatem ſeu veram rei entitatem addit ordinem ad operationem ac finem: quemadmodũ dicitur verus ignis, qui habet operationem igni

igni cõuenientem:& verus homo, qui vtitur ratione:Sicq́ue vanũ huic vero oppoſitum dicitur per priuationem ordinationis in finẽ. Et ita abuſiones & iniquitates ſunt vanæ. Tertiò, dicitur verũ,prout addit ſuper veritatem rei impermixtionem & omnimodam impotentiã ad nõ eſſe. Et ſic dicitur verũ eſſe habere, quod habet omnino inuariabile eſſe,ſcilicet Deus: qui teſte Apoſtolo,ſolus habet immortalitatem, id eſt,omnimodam inuariabilitatem. Sicq́ue vanũ huic vero contrarium dicitur, quod habet cõmutabile eſſe. Et ita omnis creatura vanitati ſubiecta eſt, Quæ vanitas eſt diſtãtia ac deficientia à vero & incommutabili eſſe. Hinc apud Eccle. legitur, Omnia ſubiacent vanitati. Et Apoſt. Vanitati, inquit, creatura ſubiecta eſt. Omnis nanque creatura ex ſe habet deficere, ac dependentiam à Deo:ſine cuius manutenentia nec ad momentũ poſſet ſubſiſtere.Propter ꝙ Plato in primo Timæi Deũ inducit loquentem, Odij deorum, quorum pater & opifex ego, natura quidem corruptibiles eſtis,mea autem voluntate incorruptibiles permanetis. Idcirco in primo metaphyſicæ ſuæ loquitur Auicenna. Quicquid eſt præter neceſſe eſſe(id eſt, præter incõmutabilem Deum) in ſe falſum eſt, id eſt,

1.Tim.6 *Roma.8.* *Ecclesi.6.* *Roma.8.* *Plato.* *Auicenna.*

Deus,& vitans ac reprobans quæ reprobat ille. De qua veritate ait Salua. Omnis qui facit veritatẽ,venit ad lucẽ,vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta. Et Apoſt. Diuitibus præcipe non ſublime ſapere,nec ſperare in incerto diuitiarum:ſed diuites fieri in operibus bonis, vt apprehendãt verã vitam.Per Eſaiam quoque loquitur Deus: Dabo opus eorũ in veritate. Hæc veritas fictionẽ & ſimulationem excludit vt ſit homo in vita ſua ſyncerus,non ſimulator & callidus. Veritas autem doctrinæ eſt ipſa doctrina diuinæ & increatæ veritati ac ſapientiæ cõformata, vtpote expers erroris. De qua ſcribit Apo. Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis pręter id quod euãgelizauimus vobis, anathema ſit. Veritas verò iuſtitiæ dupliciter dicitur. Primò, prout ipſa iuſtitia eſt quædã rectitudo,ſecundùm diuinę & creatæ iuſtitiæ regulã mẽſurata.Secũdo, prout quis ex iuſtitiæ zelo veritatẽ fatetur, ſicut fit in iudicij foro.Hinc quidã ſic dicũt veritas conſiſtit in hoc, vt homo in dictis aut factis ſuis rectitudini diuinę legis ac ſapiẽtiæ conformetur,illãq; imitetur, cui ſe homo cõformare debet.Primò in his quæ ad cognitionẽ pertinent,ꝙ ſpectat ad veritatẽ doctrinę:Secũdo in his quę per ſeipsũ agę- *Gala. 1.*

Digitized by Google

re debet, quod ad veritatem pertinet vitæ. Tertiò in his quæ debet circa alios obſeruare aut obſeruãda promulgare, ꝙ ad veritatem iuſtitiæ certũ eſt pertinere. De hac
Mat.22. triplici veritate dixerunt aduerſarij veritatis Chriſto, Magiſter, ſcimus quia verax es (ecce veritas vitæ:) & viam Dei in veritate doces (ecce veritas doctrinæ:) & non eſt tibi cura de aliquo (ecce veritas iuſtitiæ.)

Quòd Deus eſt prima, actualiſsima, opulẽtiſsima ac beatiſsima vita, & de multiplici vitæ diſtinctione, ſpecialitate de triplici vita. AR. XXIIII.

Pſ.121. APud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumẽ. Cũ eſſe diuinum tãquã pelagus quoddã omnẽ eſsẽdi plenitudinẽ, nobilitatẽ, excellentiamq́; contineat & includat, certũ, ꝙ eſſe Dei ſit eſſe viuum ac intellectuale. Quumq́; Deus ſit verè atq; in fine totius ſimplicitatis penitus, ſimpliciſſimus, in quo (ſicut in lib. de cauſis probatur) nullorũ cõpoſitio eſt modorum, eluceſcit ꝙ ipſe ſit per ſe ac eſſentialiter viuens, ipſaque actualiſſima vita: imò in ipſo prorſus ſunt idem eſſe, viuere, intelligere, & amare. Inſuper cùm ſupergloriosiſſimus
Ariſt. Deus (prout 12. primæ philoſophiæ Ariſt. demonſtrauit) ſit purus actus, cuius eſt omnia alia tranſmutare, mouere, perficere, atque à nullo mutari, moueri, aut perfici,

ſici, palã eſt quòd fontalis plenitudo viuẽdi ac ſuperditiſſima poſſeſſio vitæ ei conueniat. Deniq; in rebus creatis viuere perhibentur, quæ mouẽt ſeipſas ad actum. Cũ itaque ſuperpræſtantiſſimus Deus, ſeipſum liberrimè iuxta ſapiẽtiæ ſuæ cenſurã ac operis ſui rationem exemplarem ac idealem ad omnẽ quã in creaturis efficit, operationẽ inducit, clariſſimũ eſt ꝙ ipſe verificè viuere affirmetur, præſertim cũ ipſe ſit iuxta philoſophos intellectus vniuerſaliter agẽs, in quo omnia intellectualiter, idealitérque conſiſtunt, quemadmodũ & Ioann. aſſerit. *Ioan. 1.* Quod factum eſt (omnis certè creata eſſẽtia) in ipſo vita erat, id eſt vitaliter ac exẽplariter, & ſapientaliter fuit in Deo: Hinc ipſe apud Ioan. vnigenitus Dei filius teſtatur, Sicut habet pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitã habere in ſemetipſo. *Ioan. 5.* Et princeps quoque Apoſtolorum dixit ad Saluatorem, Tu es Chriſtus filius Dei viui. *Matt. 16.* Opulentiſſima ergo & prorſus nobiliſſima ac delicioſiſſima eſt vita entis altiſſimi Dei ſublimis, & benedicti, qui eſt ipſa veritas prima, ſapiẽtia infinita, voluntas liberrima, charitas ſempiterna, mens ſuperſanctiſſima, incomprehenſibiliter incircunſcriptibilitérque perfecta. Itaque beatiſſima eſt vita ipſius, in quo omnis perfectio

Digitized by Google

tam infinitè ac ſimpliciſſimè eſt çonſiſtẽs, cùm felicitas dicatur ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Nónne ſuperbeatiſſimus ac ſuperuoluptuoſiſſimus eſt Dominus Deus noſter, qui intuendo ſeipſum conſpicit ſe omnibus interminabiliter pręeminere, omnia incomparabiliter prorſus tranſcẽdere, à nullo penitus depẽdere, nulliúsq; indigere, cuius cętera cũcta ſic indigẽt, vt abſq; ipſius cõſeruatione atque imperio nec ad punctum poſſint durare, qui videt ſe eſſe bonitatem immenſam, omnipotentem virtutem, ſuperſanctiſſimã mẽtem, vniuerſorum fontale principiũ, in quo eſt omnium bonorũ, omniumq́; pulchrorũ ac deſiderabiliũ infinita poſſeſſio. Contemplatur ſe eſſe pulchritudinis infinitæ, ſuauitatis ac gloriæ illimitatæ, videt quòd ſuę dignitatis, auctoritatis atque clemẽtiæ, ſuæ liberalitatis ac opulentiæ, ſuæ ſecuritatis, æternitatis, iuſtitiæ, atque præexcellentiæ nullus ſit finis, nulla menſura, nullũ obſtaculũ, & quòd ipſe ſit ſũmus iudex ac rex vniuerſorũ, in cuius ditione cũcta ſunt poſita, in cuius manu eſt ſaluare & cõdemnare. Ritè ergo beatiſſimus prædicatur, qui pro felicitate contemplatiua habet ſuiipſius ac omniũ perfectiuã ſcientiã: pro beatitudine actiua totius mũdi, guber

Digitized by Google

bernationē liberrimā:pro felicitate quoq; terrena ac falſa, quæ in diuitijs, voluptate, poteſtate & fama, honore ac laude exquiritur, habet pro diuitijs in ſeipſo perfectionem, opulentiamq; immēſam ac vniuerſorū dominantiſſimā poſſeſſionem, pro poteſtate omnipotētiā, pro voluptate de ſeipſo in ſe infinitā lætitiam & de ſuis effectibus gaudiū, iuxta illud: Sit gloria Domini in ſęculū, lætabitur Dominus in operibus ſuis. Pro fama, omniū intellectualiū creaturarū admirationē, pro laude iugè triumphantis ac militantis eccleſiæ collaudationem, pro honore latriæ cultum ab omni conſortio deuotorū. Præterea à præfata actualiſſima vita Dei profluit omnis vita creata, vita naturæ, vita gratiæ, vitáque gloriæ. Vita autē naturæ in vegetatiuā, ſenſitiuam, dum locū motiuā rationē ſeu diſcurſiuā ac intellectiuam partitur. Vita verò gratiæ appellatur quæuis actio virtuoſa procedens à gratia, ſeu conuerſatio bona, aut ipſe habitus gratiæ gratificantis, aut certè primus interior & elicitus actus ipſius, quæ eſt habētem Deo facere gratum, acceptū, ſpiritualiterque viuentem, vel quæcunque virtus charitate formata, ſeu charitas ipſa quæ vita animæ nuncupatur. Poſtremò vita gloriæ eſt beatitudo æterna, aut lumē gloriæ

gloriæ ad beatificam Dei viſionem mentes beatorū diſponens, ſeu actio quælibet ciuium ſupernorum iucunda ac glorioſa.

De bonis induſtrijs quibus ad incrementum virtutum, ad perfectionem contemplationisq; gratiam peruenitur. ART. XXV.

CVm quęſieris dominū Deū tuū, inuenies eum: ſi tamen toto corde quęſieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ. Vt S. ait Greg. Ars artium eſt regimen animarū. Sic itidē ſcientia ſcientiarum reuera dici poteſt Deo ſeruire, in virtutibus creſcere, tentationibus præualere, non deficere, neque tepeſcere à bono incœpto, ſed dignè ac ſtrenuè perſeuerare in eo, ſicque ad perfectionem ac brauium ſupernæ vocationis pertingere. Itaque ad hęc peragēda indigemus multis laborib. multis induſtrijs, diligentia grandi, diſcretione ingenti: quamuis enim Deus liberrimus, cui licet facere quicquid vult, quoſdā miſericordiſsimè, etiā dum prauitatibus ſuis intenti ſunt, præueniat, tangat, conuertat: regulariter tamē & generaliter loquēdo, oportet vt homo ad dona gratiæ Dei ſe præparet, quod in ſe eſt faciendo. Hinc etenim
Zach. 1. in Zachar. legitur: Conuertimini ad me & conuertar ad vos, dicit Dominus. Iacob.
Iacob. 4. quoque Apoſto. Appropinquate, inquit, Deo,

Deo, & appropinquabit vobis. Nunc ergo breuiter aliqua ſunt tangenda ad proficiē- *2.Cor.3.*
dum accommoda, ſatíſque neceſſaria. Primum eſt frequens & intenta oratio. Cùm enim tota ſufficientia noſtra ex Deo ſit, ſine quo nil boni valemus, oportet vt Dei auxiliū iugiter ac feruidè inuocemus, cum Pſalmiſta dicentes: Deus in adiutoriū meū *Pſal. 69.*
intēde, Domine ad adiuuandum me feſtina: aut verba ſimilia. Hinc in Euangelio *Luc. 18.*
ait ſaluator: Oportet ſemper orare & non deficere. Denique ad iſtud etiam pertinet propriā imperfectionē, fragilitatem ac defectuoſitatē penſare, de ſe nihil præſumere, totā in Deo ſpem ponere, qui per Oſeā *Oſe.3.*
loquitur: Perditio tua ex te, in me tantummodo auxilium tuum. Secundum eſt propriam vitā quotidie vigilanter diſcutere, ſéque corā Deo cordialiter accuſare, profūdè humiliare, petere veniā, atque proponere emendationem. Nam ſicut in Eccleſiaſtico fertur: Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Et Pſalmiſta loquens de Deo, Reſpexit, ait, orationem humilium & non *Pſal. 50.*
ſpreuit precem eorū. Itémque: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Tertium eſt omnipotentis Dei præſentiam ómnia intuētem ſapienter perpendere, ſicque coram Deo de fœditate peccati rubore perfundi.

Ideo

Pſal. 118. Ideo dixit propheta ad Dominum: Seruaui mādata tua & teſtimonia tua, quia omnes
Boëtius. viæ meę in cōſpectu tuo. Et, vt ait Boëtius, Magna nobis eſt indicta neceſſitas bene agendi, quoniā ante oculos cuncta cernentis iudicis omnia agimus. Quartū, eſt diuini rigorem iudicij, & acerbitatem infernalis incendij profundè conſiderare, immenſitatē quoque felicitatis iuſtorū, ſed & breuitatē atque incertitudinē vitæ preſentis, mortis horrorem, futuriq; ſæculi perpetui-
Eccle. 7. tatē. Propter quod ſcriptū eſt: Memorare nouiſſima tua, & in æternum non pecca-
Pſal. 17. bis. Quintū, eſt occaſiones peccādi vitare,
Eccl. 13. præſertim praua conſortia, cū dicat ſcriptura: Cū peruerſo peruerteris. Et, Qui tetigerit picē inquinabitur. Sextū, eſt dominicā paſſionē iuxta modum præhabitum frequenter recolere. Septimū, eſt diligens cordis cuſtodia Quod vt valeat efficaciter cuſtodiri, neceſſe eſt linguā à prauiloquiis refrænare, ventrem à crapula coërcere, & ſenſus exteriores reprimere, & ne quis incautè ac libidinosè intueatur quenquam, nec illicita audiat verba, ſi poſſit euadere.
Eccle. 7. Quòd ſi nequit, audiat mœſta facie & inuitè, cū Salomon cōteſtetur, Per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquētis. Inordinatum verò attactum oportet penitus

tus deuitare. Præterea ad proficiendũ aſſignantur laudabiles quædã induſtriæ. Prima eſt, per corporis ſituationem ad deuotionem ſe prouocare, vt ſe proſternẽdo in terrã, aut genua flectendo, aut pectus tundendo Verũtamẽ in aliorũ præſentia nihil ſingularitatis in talibus eſt agendũ. Secũda eſt ſecretũ quietũmq; locũ captare, in quo homo cor ſuum corã Deo cõfidẽter effundat, & ſine aliorũ inquietatione, meditationi vacet & orationi. Vnde, vt ait Euãgeliſt. Chriſtus aſcendit in montem ſolus orare. Et ipſemet docet, Quum oraueris, intra cubiculum, & clauſo ſuper te oſtio, ora patrẽ tuũ in abſcõdito. Hinc quoque paſſione ſua inſtante à tribus etiã prædilectis familiariſſimíſque diſcipulis eſt auulſus, vt ſeparatus oraret, non vtique ob indigentiam ſuã, ſed ad noſtri inſtructionem. Tertia eſt tempus magis accommodum obſeruare. Tempus quoque nocturnum ad vacãdum deuotioni magis eſt aptũ. Hinc monet propheta: Conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum, & effunde ſicut aquam cor tuũ ante cóſpectum Domini Dei tui. Leua ad eũ manus tuas, & miſerebitur tui. Tempus quoque diluculi, dum ſenſus ſũt ſobrij, aptum eſt. Propter quod ait quidam ſapiens, Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilãdum dilu

Mat. 14. *Matt. 6.* *Luc. 22.* *Thre2.*

Eſa.20. diluculo ad dominũ. Eſaias verò vtrumque hoc tẽpus tetigit dicens, Anima mea deſiderauit te Deus in nocte. De mane vigilabo ad te. Nihilominus actus & orationes, quibus certa præfixa ſunt tempora, præordinatis ſunt horis ſoluẽda. Quarta eſt ſan-
Iob.5. ctorum inuocare ſuffragia, pręſertim virginis glorioſę, ac proprij angeli. Idcirco monetur Iob, ad aliquem ſanctorum cõuertere. Sexta, eſt in cunctis diſcretè procedere: quatenus iuxta Apoſtolicum documẽtum, Omnia ſecundùm ordinem fiant atque decenter. Hinc S. pater Antoni. diſcretionem omnium virtutũ aſſeruit maximè neceſſariam & opportunam. Ipſa nãque eſt virtutum auriga, modum mediúmque obſeruans, ac regia via incedens: Idcirco dixit
Rom. 12 Apoſtolus, Rationale obſequium veſtrum. Septima, eſt naturalem ſiue inolitam diſpoſitionem bene aduertere & contra vitia ad quæ quis procliuior eſt ſingulariter pręliari, atque vitiorum amputare radicem. Octaua, vt propriam penſet vocationem, & iuxta illius exigentiam digne Deo ſtudeat ambulare, ea quoque quæ Deus pri-
1.Cor.1. mò ac principaliùs à ſe requirit ſolicitiùs
Coloſ.1. adimplere. Hinc namque hortatur Apo-
Mich.6. ſtolus, Obſecro vos in Domino, vt di-
Ephe.4. gnè ambuletis vocatione qua vocati eſtis

cum

Digitized by Google

cum omni humilitate & manſuetudine & patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnde & in eccleſiaſtico dicitur, Quæ præcipit tibi Deus, illa cogita *Eccleſ. 3.* ſemper. & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Nona eſt, vt cunctis miſericordiam pro poſſe, promptiſſimo exhibeat animo, quatenus ita ſibi fiat à Deo, iuxta quod ait Saluator, Beati miſericor- *Mat. 5.* des, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, & breuiter ſic proximis faciet, provt ſibi à Domino fieri optat. Hinc quippe docet Tobi. Noli auertere faciem tuam *Tobi. 4.* ab vllo paupere. Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Decima eſt, vt Deo ſemper cupiat complacere, atque ad ipſum aſſueſcat cor vbique & ſemper, vel ſaltem omninò frequenter leuare. Ad *Pſal. 59.* quod peragendum breuibus ac internis vtatur orationibus dicens: Cor mundum crea in me Deus: aut aliquid ſimile: & aſpirando ad Deum per verba affectuoſa huiuſmodi, O dulciſſime Deus quãdo te totis præcordijs diligam? Quando te amorosè aſtringam? Quando tuo accendar amore? Quando tibi ſtabiliter inhærebo? Vndecima, vt id ad quod omnia exercitia ſua ordinantur, menti ſuæ proponat ac imprimat,

& quoties ſe ab illo elongatum, lapſum, diſtractum ſentit, mox doleat, atque ad illud mentis reflectat intuitum. Hoc autem eſt actualis vnio mentis cum Deo, ſeu puritas cordis. Duodecima, vt bona ac ſolita exercitia ſeu deuotionalia non ceſſet continuare, ſiue ſenſibilem experiatur deuotionem & alacritatem, ſiue non, imo plus inſiſtat vitiorum deteſtationi, & promptitudini mentis ad ea quæ ſunt cultus ac honorificentiæ Dei, quàm deuotioni ac feruori experimentali atque ſenſibili, & toto affectu intentionéque puriſſima ad Deum aſpiret, ipſum totis viribus veneretur, & ab omnibus cupiat venerari, pro omnibus intercedat viuis ac mortuis, ſpecialiter propinquis, commiſſis, ac benefactoribus, potiſſimum pro bono communi, atq; parentibus. Omne denique temporis ſpatium ac momentum ſtudeat fructuosè expendere ad laudem & gloriam omnipotentis, qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis & benedictus, Amen.

Digitized by Google

D. DIONYSII CARTHVSIANI, VITÆ SPIRITUALIS *vtiliſſimum compendium: cui titulus præcordiale.*

Procœmium Auctoris.

QVID dilecte mi, quid dilecte cordis mei. quid eſt amantiſſime frater? Ne dederis cor tuum vanitati, neque diſpergas animam tuam in multis. Vnũ namque neceſſariũ eſt. & quicquid extra illud appetitur, inane eſt. Deus enim vnũ eſt in quo eſt omniũ bonorũ & pulchrorũ ac deſiderabilium plenitudo. Et propterea nil vtique optandũ, nil admittendũ, nil requirendũ niſi ipſe & ea quæ nos ad ipſũ dirigũt atque deducunt. Omnis autẽ cõſolatio, omniſque decor & delectatio, quę ab huius vnius deſiderio & cõtẽplatione animã diſtrahit, vitãda, ſpernẽdaque eſt. Nunc ergo, ô anima, quoniã poſt Deum nil verè atque ſimpliciter vnum eſt, quoniã omnis creatura à ſimplicitate & perfectione ac dignitate diuina, infinitè occumbit, relinque multa, ſupergredere vana, exclude creata, & adhære illi, qui fecit te. Pone eum vt ſignaculũ ſuper cor tuum, & in ipſo ſolo

Prou. 10.
Luce 10.
Cant. 8.

figere. & congrega ad eũ omnes affectiones actionéſque tuas. Omnem bonitatẽ ab ipſo expectes, illã pulchritudinem quæ ei grata ac placita eſt, duntaxat deſideres, & in ipſo teipſam adornare, ſtabilire, ſimplificaréque ſtudeas, quatenus ſic pura & nuda, abſoluta atque ſyncera effecta, diuinitatis capax ſis, ardeátque in interiori affectu tuo diuinus amor tanquam in Seraphim, in intellectu æterna ſapientia ſplendeat ſicut in Cherubin, & ipſa quoq; memoria Deum benedictum in ſe cõprehendat, cõplectatur, ac teneat, ad inſtar thronorum. Scio, dilecte, mi mentis tuæ affectum, & quia ſanctitatis virtutúmque zelo anima tua vulnerata ſit, ideò quòd tibi ad huius deſideratæ perfectionis adeptionem, ampliùs conferre valet, tibi mihíque vt queo conſcribam. Deniq; quia affectum tuum in vno, vero, ſummoque bono ſtabilire affectas: ea duntaxat ſcire & legere cupis, per quæ affectus tuus in creatore ſuo ardentior atque ſtabilior effici queat. Ideoq; non rhetoricos quæris eloquij flores, neque verborum multitudinẽ diligis, nec curioſa ſubtilitate lætaris: ſed compendioſum aliquod, quod menti faciliùs imprimi firmiúſque poſſit teneri. Quod & ego implebo vt valeo, nedum tibi, ſed

mihi quoque hæc ipſa conſcribens, quatenus quorum affectio vna eſt, ſtudium ac labor conformes ſint.

De qualitate & conditione mentis humanæ.

ART. I.

QVo natura entis dignior eſt atque ſimplicior, eo actio eius vniformior firmiorque cõſiſtit. Vnde cùm diuina natura prçſtantiſſima ſit, & vnitas pura: omnis eius actio vniformis eſt, & ſimplex, incommutabilis & perfecta. Operatio autem angelicæ mentis æuo menſuratur, & diuinæ ſimplicitati ampliùs conformatur. Porrò rationalis anima, quoniam in vniuerſitate intellectualium ſubſtantiarum infima eſt, ſecũdùm naturam maxime inſtabilis eſt atque volubilis, neque in vno fixa manet, ſed niſi cuſtodioſiſſima adſit cuſtodia, vndique inceſſanter vagatur, nec æterno illi immẽſoque bono eſt intẽta, quinimo difficulter ad ipſum erigitur, faciliter verò atque repentè ab ipſo recedens elabitur.

Quomodo gratia Dei ſit cauſa, atque origo omnis meritoriæ operationis in nobis.

ART. II.

QVemadmodũ naturalium operationũ principium natura eſt, ſic gratia diuina meritoriarum omnium actionum cauſa eſt. Et ſicut vnumquodque eo na-

turalem ſuam operationem expeditiùs fortiúsq;exercet,quo fuerit in ipſo propria ſua natura vigoroſior, atque viuacior: ſic mens humana, quo in ea gratia Dei maior ac plenior fuerit, eo diuinis inceſſabiliùs intendere valet & quæ diuina ſunt atque ſalubria, delectabiliùs & indeſinentiùs implet. Dum verò in ſemetipſa, vel gloriari, aut confidere inchoat, protinus cadit. Denique gratia de gratiis infunditur, infuſa autem per ſacras meditationes,& operationes bonas conſeruatur, nutritur, incaleſcit, atque redundat. Si verò negligentes,ſegnéſque fuerimus, mox vel minuitur,aut penitus perit: quoniam mortalis culpa eam extinguit, venialis autem debilitat. Ideóque qui puritati ſtudet, & gratiam Dei in ſe conſeruari augeríque optat, ſumma eget cuſtodia, ac ſolerti labore: quia qui gratiam Dei in ſe nõ auget, neceſſariò in breui eam minuit. Propterea ſyncerè ac fructuosè conuerſari deſiderans, ſi non minimas culpas vitet, doleat, & emendet,earundémque inſuper cauſas ac occaſiones abſcindat; atque in vniuerſis circumſpectè, ſolicitè, ac timoratè ſe habeat, alioqui cõfeſtim areſcet:& qui à ſpirituali feruore incœpit,in carne (aut certè in ampliori pigritia) cõſummabit. Quoniã

itaque

itaque omnis noſter profectus ex gratia Dei tanquam à fonte dependet, indeſinẽter implorandus eſt Deus, quatenus gratiam ſuam menti noſtræ infundat, eámque conſeruet & augeat: & data quoque gratia diligentiſſime cuſtodienda, ne per inanem cordis effuſionem diſpereat, & negligentiæ ac ingratitudinis anima rea fiat.

Quid ſit illud vnum, quod Christus Dominus neceſſarium eſſe deſeruit.

ART. III.

QVod optimum eſt, & Deo ampliùs in nobis placens, hoc vtique ſummè neceſſarium eſt. Quid autẽ ſit hoc, ſi inquiras, reſponſio diuerſis modis varijſque nominibus reddi poteſt. Veruntamen in re ipſa vna eſt. Reſponderi quippe poteſt quia charitas ſit vnum, quod Saluator neceſſarium dixit. Rurſus dici poteſt quòd puritas mentis, ſeu contemplatio Dei, ſit hoc vnum. Sed omnia hæc rem vnam inſinuant. Certum eſt enim id quod ſumma atque finali animæ perfectio eſt, id vnũ eſſe quod neceſſarium eſt. Charitas autem, ſeu cordis munditia & contemplatio Dei vltimata hominis perfectio eſt. Vera nempe charitas paſſionũ exceſſus excludit, & ſine contemplatione dilecti eſſe nequit: Ideoque vnum quodq; trium horum alia duo complecti- Luc. 10.

tur: nuda enim & informis diuinorum agnitio, contemplatio dicenda non eſt, ſed agnitio charitate formata, & cum affectu inflammãs, ipſa eſt contemplatio. Sic ergo charitas contemplationem, & contẽplatio charitatem complectitur: neque poſſibile eſt, vnum ſine altero eſſe. Sed nec poſſibile eſt aliquod horũ adeſſe, ſi non fuerit mens ipſa, à paſſionibus inordinatis expers, & à peccato immunis: non ſic vt omnes paſſiones euicerit, & ab omni culpa libera ſit: ſed quoniam quo paſſiones magis refrænat & ab omni offenſa ſolicitiùs cauet: eo dilectioni & contemplationi aptior fiat. Porrò ſi in mortali peccato ſit, & paſſionibus ſeruiat: neque contemplatur: nec diligit, qui in gratia non eſt, ſine qua nec contemplatio nec dilectio adeſt. Itaque hoc vnum quod neceſſarium eſt, exiſtimet virtutum zelator non aliud eſſe, quàm cordis munditiam. Sed & Deus, qui omnis boni principium eſt & finis, hoc vnum quod neceſſarium eſt ritè cenſetur tanquam obiectale bonum. Cordis verò munditia, vt formalis perfectio & intrinſecus finis, per quem Deo anima vnitur, adhæret & in immenſo æternoque bono contenta redditur atque quieſcit ſegregata à multis, & in vno confixa.

Quòd vniuerſa mentis noſtræ intentio, atque propoſitum in conſideratione ac deſiderio huius vnius figi debeat.

ART. IV.

QVoniam igitur mens humana ſecundùm naturam tam mobilis eſt, atque inſtabilis, à contemplatione & amore huius vnius, quod neceſſarium eſt ſubitò cadit, nec in eo diu fixa exiſtit. Proptereà id ei optimum eſt ſi in vno ſtabiliri debet vt hoc vnum firmiter ac indelebiliter corde atque affectui ſuo imprimat, & ad ipſum cuncta, quæ agit & petit referat, & omne ſuum exercitium ad ipſum coordinet, quatenus dum ſe anima ab hoc vno quod neceſſarium eſt, elõgatam intelligit, aut diſtrahi ſentit, intimè doleat, protinúſque ad ipſum recurrat, & pro viribus in ipſo ſtabiliri feſtinet, atq; in hoc ſancto labore vniuerſum vitæ huius tempus deducat. Quoniam quo in hac re vehementiùs proficit, eo melior eſt, perfectior, & futuræ felicitati propinquior. Itaque quotieſcunque nos paſſio aliqua turbat, quoties ira inflammat, inuidia torquet, impatientia agitat, ſuperbia effert, gula obnubilat, accidia deprimit: penſemus & doleamus à puritate mentis, quæ ſola neceſſaria eſt, nos elongari ac diſtrahi. Vnde ad amo-

Digitized by Google

rē puritatis mentalis animus mox reuocā-dus eſt, & ipſius effectu munditiæ, vniuerſarum nebulæ paſſionū prorſus ſpernendæ ſunt, & extirpandæ Præterea has immoderatas paſſiones charitati eſſe contrarias, eiúſque expulſiuas, palam eſt. Eluceſcit quoque, quia cōtēplationes ſummè impediant: & non ſolum hę, ſed & inutiles phantaſię cogitationéſque inanes, vagæ & viles
Act. 17. contēplationem vel interrūpunt, vel auferunt. Itaque nunquam obliuioni tradenda eſt memoria huius vnius, ſed iugiter ad ipſum eſt conuertendus mentis intuitus: ipſum ſiquidē eſt, propter quod venimus. Et ideò ſemper ardens vitæ monaſticæ ſectator ſibimet dicat: Ad quid veniſti?

De iugi atque ſolicita cuſtodia cordis.

ART. V.

IGitur cùm ſit munditia ſeu puritas cordis finale animæ noſtræ bonum & ſumma perfectio cuius intuitu omnia agenda, ſuſtinendaque ſunt, maximè deſiderari debet, & pro eius adeptione infatigabiliter laborandū eſt. Adepta autē, tanquā pretioſiſſimus theſaurus, diligētiſſimè cuſtodienda eſt. Sicut enim in arte medicinæ ſanitas omniū medicamentorum finis eſt, ſine qua nullum medicamentū optatur nec valet, niſi videlicet ad ſanitatis reparationem

profi

proficiat, ſic nullũ exercitiorum noſtrorũ vtile putandum eſt, ſi non ad mẽtis puritatem coadiuuet. Hic ergo ſit omnis noſter labor, omnis diligentia, omníſque affectio, habere ſemper & vbique in pręſentia diuinæ lucis, & in æternæ maieſtatis, ac diuini vultus cũcta creantis conſpectu cor mundum. Denique ſi interroges quemodo cor cuſtodiendum ſit, quatenus ſemper prout miſerabili huic vitæ eſt poſſibile, in puritate cóſiſtet? reſpondendũ, non aliter niſi omnia inferiora, quæ in nobis ſunt ſecundũ rationis cẽſurá vtilitatémque intellectiuæ partis animæ gubernentur. Vbi enim ſecúdùm cõgruentiá ſuperioris nõ diſponuntur ſubiecta, turbatio eſt quæ paci & puritati repugnat. Quoniá ergo optimum hominis eſt (vt Dionyſius ait) ſecundùm rationem eſſe, refrænandi ſunt ſenſus, & omnis ſenſualis affectio coërcenda eſt, vtpote ne menti diſtractionem inducant neque lumen rationis obtenebrent, quod ira & impatientia præſertim efficiunt, ſed & inuidia omne peruertit iudicium, & ſuperbia non ſinit hominem agnoſcere ſemetipſum. Porrò ventris ingluuies accidiam & ſomnolentiá facit, cordíſque oculũ à contemplatione vehementer auertit. Quicunque itaque cordis ſtudet munditiæ, niſi viſum

Digitized by Google

ſum ſuum vbique, maximè autē in diuinis cuſtodiat, linguam quoque gubernet, aures etiā à vanis auertat rumoribus, & ab immoderamine cibi ac potus ſe temperet, ſciat quoniam fruſtra laborat. Præterea ſi hæc cuncta cuſtodit, nec tamen interiores paſſiones atque affectus vincit & reprimit, ſi nō diſcat dominari animo ſuo, & illos animæ motus extinguere, qui puritati, dilectioni ſcilicet, & contemplationi repugnant, in vanum conatur. Ideóque circunſpecta mens ea ſemper intra ſe diligenter perpendat, quæ cordis munditiam vel tollunt, ſiue offuſcāt. Dúmque tale quippiam in ſe oriri aduertit, repētè fortitérque occurrat: metuens ſemper ne pretioſiſſimus ſuus theſaurus, qui eſt puritas eius, auferatur ab ea. Propter cuius cuſtodiam atque amorem omnia aduerſa æquanimiter ferre oportet. Potiſſimè autem linguæ incuſtodia mentis ſerenitatem cōturbat, vbertímque penitus inficit. Et qui loquax eſt, palā vtique, quoniam mente vacuus ſit pro cordis cuſtodia ſolicitudinem nullam gerens, nihil quoque proficiēs. Inſuper itaque in omni labore omníque actu, mens ipſa, vbertim, & ſi nō continuè ad creatorē erigēda eſt: ea dicēdo, quæ mētis affectū ampliùs igniunt, & deuotionē renouare efficaciùs

caciùs queunt, vt eſt, Cor mundum crea in me Deus. Et ſimilia, prout Dominus dederit Et hoc in colloquijs, in menſa, in opere exteriori ſemper agendum eſt, quatenus diſcat anima, aſſueſcatque redire ad ſe, ne diſſoluta & vaga, à propoſito cadat, puritatémque amittat, & à priſtina gratia atq; feruore deficiat. Semper quippe vna ſpiritualis meditatio atque interna affectio gratiam alit & roborat, & ad aliam quoque diſponit. Sícque tandem generatur in anima habitus, quo faciliter, delectabiliter poſtmodum faciet, quod paulò antè laborioſè agebat. Et quia pauci ſunt, qui ſe ita cuſtodiunt, ideò pauci ſynceri & perfecti iam fiunt. Neceſſe eſt enim vt omni tempore timoratè ſe gerant, ac omni veſpere conſideret quemadmodum diem expēderit: & in quibus ſe offendiſſe perceperit, hæc in poſterum deuitet, doleat, & occaſiones conſimilis ruinæ fugiat. Veruntamen in omnibus his non confidat homo in ſe, ſed à diuina benignitate opem & gratiam præcordialiter perſeuerantérque imploret: neque incœpto virtutum ſtudio fatigationi ſuccumbat, neque aduerſitatibus cedat: ſed fortiter, fiducialiter, atque conſtanter laboret.

De ſeptem meditandis ſecundùm tempora certa.

ART.

ART. VI.

NOn ſinit præſentis vitę ſtatus vni cogitationi ſemper mentē noſtram inſiſtere, neque poſſibile eſt cōtemplationi ac dilectioni Dei iugiter ſine interruptione intendere: ſed voluitur atque dilabitur anima de vno in aliud. ideoque plures ei diuinæ meditationes imprimendę ſunt, & non ſolū vnū ſed omnia quę ad ſalutē pertinēt, charitatémque promouent, vel timorem inducunt, in præcordijs noſtris ſcribenda ſunt, atque firmiſſimè infigenda, quatenus dum mens ipſa ab vna cogitatione ſalubri auertitur, ad aliam aliquā bonam protinus conuertatur, quēadmodum ſęcularia corda ab vna cogitatione iniqua ad aliam cadunt. Denique ex conſideratione multorū quæ ad ſalutē pertinēt, amor Dei amplius in animo incaleſcit ac ſtabilitur, & ob id plura memoriter atque ſolicitè intuenda ſunt, quæ ad puritatē & ſalutē proficiunt. Nā & viciſſitudo iſta cogitationū, ipſi animæ propter receſſum eius à diuina ſimplicitate & immutabilitate naturalis eſt atq; iucūda. Eſt inſuper vtilis: quia citò fatigatur mēs ipſa, ſi vni cogitationi ſtet diu intenta. Nō tamē confusè & inordinatè meditanda ſunt hæc, ſed vnicuique diei, horę, ac tempori proportionanda ac deputanda

eſt

eſt meditatio ei magis cõueniens. Septem itaque ſunt, quæ(vt mihi videtur) ſalubriter menti imprimuntur, & vtiliter cogitãtur, vt pote gloria cęli, mors, beneficia Dei, iudicium tam ſingulorũ quàm omnium, pœna inferni, paſſio Chriſti, & propria peccata atque defectus. Horum aliqua chàritatem inflammant, ſcilicet gloria cæli, beneficia Dei, & paſſio Chriſti. Alia verò timorem efficiunt. Omnia autem mentem cuſtodiunt, & à malo præſeruant. Poterit de his ſeptem, ſecundùm ſeptẽ dies hebdomadæ ſolennior haberi memoria. Vt die dominica principaliter verſetur memoria in contemplatione felicitatis cæleſtis, feria ſecunda de morte, tertia de beneficiis Dei, quarta de iudicio, quinta de inferno, ſexta de paſsione, ſabbato de peccatis. Nihilominus vnumquodque iſtorum quolibet die cogitari poteſt, imò & debet, præſertímque paſſio Chriſti, ſed propter cauſam inductam, quolibet die præcipuè occupanda eſt anima in vno iſtorum.

De quotidiano profectu & optimo fructu exercitiorum noſtrorum.

ART. VII.

PVritati cordis viſio Dei, quæ eſt tota merces eſſentialéque præmium, correſpondet, ſed & charitati debetur viſio Dei

&

& quo ardentiùs modò diligimus eo poſtmodũ clariùs Deum videbimus. Vnde conſtat eſſentialiter idẽ eſſe, dilectionem Dei, & puritatem mentis. Nempe puritas animæ quædam præſupponit, atque includit, ſine quibus nec vera charitas haberi poteſt, puta expulſionẽ peccatorum ac reformationẽ paſſionum, ſaltẽ ſecundum aliquẽ gradum. Perfectio verò dilectio, puritáſq; perfecta, perfectam quoque paſsionum reformationem atque victoriam exigit: ad quam perfectionem vniuerſa totius vitæ præſentis operatio ordinanda eſt. Veruntamen quoniam (vt ait Philoſophus) ars & virtus ſunt circa difficilia, ſicut virtus atque perfectio hæc altiſsima atque præſtantiſsima eſt, ſic difficillimè & laborioſiſſimè adipiſcitur. Ideóque indefeſſo animo ac firma fiducia conari oportet Deũ inuocando, atque in eo dũtaxat ſperãdo. Quòd ſi aliquando pro libito noſtro non exaudimur, vel interdũ mentem noſtram inſtabilem, aridámque ac indeuotam inuenimus, non idcircò frangamur, ſed cum ſyncera fiducia cõſtanter inſtemus, & manum Domini longanimiter præſtolemus, noſque diſpenſationi commodemus diuinæ, certi quoniã ipſi cura eſt de nobis, & quia quandoque gratiam ſuam, vel ſuſpendit, vel differt

fert propter commodum noſtrũ. Interim etiam exteriores deliciæ, viles atque carnales conſolatiunculæ penitus cõtemnendæ ſunt, & cum gemitu & planctu eſt imploranda Chriſti clementia. Et propter eius abſentiam libenter ad tempus in amaritudine ſimus, ſintque tantiſper nobis lacrymæ noſtræ, & ſi non corporales, ſaltem internæ panes die ac nocte. Quemadmodum ſcriptum eſt: Renuit conſolari anima mea. Quoniam itaque charitas æternæ vitæ meritoria eſt, neq; ſine ea aliqua virtus diuinæ eſt viſionis meritoria, omnis actio ex charitate procedens diuina, vitam meretur eternam. Quemadmodum omnis operatio ex mortali naſcẽs peccato, infernalia promeretur tormenta. Quotieſcũque itaque mens noſtra in Deum afficitur, toties æternam beatitudinem promeretur, ſeu ampliorem diuinę viſionis claritatem. Ideóque hic ſummus noſter conſiſtit profectus, & optimus omnium laborum fructus, frequens, ardénsque mentis in Deum affectio: & quo in eum vberiùs frequentiúsque erigimur, eo prorſus vehementiùs nobilitamur, deificamur atque proficimus. Denique ſicut ignis conſumit ſtupam, ſic dilectionis affectus ac ardore peccatũ peccatíque pœnam. Sed & ſicut charitas ſum-

ma eſt virtus, ſic actio eius ſaluberrima extat. Propterea quicquid de diuinis & ad diuina pertinentibus, meditationis mentis occurrit, ad Dei dilectionem & eleuationem mentis in Deũ mox referre debemus, vt ſcilicet ſiue beneficia Dei, ſiue paſsionẽ Chriſti, ſeu aliud quippiã cogitemus: enitamur ſemper ex his in diuinũ amorẽ cõpungi. Sed in omnibus iis ab immoderata lætitia, à diſſolutione cordis, à riſu inani, pro viribus omnino abſtinere oportet. Hæc quippe ſolicitudinem, diligentiam, & recollectionem cordis impediunt atque effundunt: & qui illis lætatur, diuina vtique conſolatione indignus efficitur.

De triplici incitamento diuini amoris.

ART. VIII.

QVo res melior eſt, eo amabilior eſt, & quod optimum eſt, ſummè vtique eſt laudabile. Quoniam ergo Deus benedictus naturaliter ac eſſentialiter bonus eſt, & immenſa perfecta puráque bonitas, in qua eſt omniũ deſiderabiliũ omniúmq; pulchrorũ infinita ac incomprehenſibilis plenitudo: videlicet æterna ſapiẽtia, incircumſcriptibilis maieſtas, omnipotens virtus, inobtenebrabilis ſplendor, inexcogitabilis pietas, pax ſumma atq; dulciſsima, ardẽtiſsimus amor, iucundiſsima felicitas,

gau

gaudioſiſſima vita, indeficiénsque imperiũ. Propterea ipſe ſummè & naturaliter, & item propter ſeipſum deſiderabilis eſt atque amabilis. Primum itaque inflammans animam in Dei amorem, eſt propria eius bonitas, ſeu contemplatio bonitatis diuinæ in ſeipſa. Secundum autẽ eſt, ſpeculatio munificentiæ & beneficiorũ ipſius. Naturale enim eſt eum diligere qui alteri bona impendit, & circa eum munificus ſit. Quo itaque beneficia diuinæ munificẽtiæ circa nos plura maioráque ſũt, eo Deũ feruẽtiùs obligamur diligere: & grauiùs quoque peccamus nõ diligentes. De beneficiis autẽ ac miſericordiis Dei noſtri ſuper nos poſtmodũ mentio erit. Iugiter iam nunc dilige anima mea Dominũ, ama Deũ creatorem tuum. amplectere & cõplectere eum intra teipſam. Munda affectum & præpara ei locũ, quoniam propè eſt omnibus inuocantibus eũ. Noli obliuiſci gratias, ac miſericordias eius, ſed dic ei cum ſyncero ſu- *Pſal.144.*
ſpirio: Nomen tuum & memoriale tuum, *Pſal.102.*
Domine, in deſiderio animæ meæ. Rurſúſ- *Eſa.26.*
que, Ne auertas faciẽ tuã à puero tuo. Non *Pſal. 68.*
enim, ô anima, pacem extra eum inuenies, non conſcientiæ ſerenam quietem, nõ ve- *Cant.1.*
ram conſolationẽ, nec deſiderij tui ſatieta- *Pſal.104.*
tem. Porrò ſi ei conſtanter adhæſeris, ſi ei

perſeuerãter clamaueris: trahe me poſt te, ſi faciem eius inceſſanter quæſieris: cito vtique apparebit tibi, & conuertet cor tuũ in ſe, ſtabiliẽs & illuſtrans te in ſui contemplatione atque amore, & tũc veraciter guſtabis quoniã ſuauis eſt Dominus. Admirabiles enim, dulciſſimas, & mundiſſimas ſubinde delectationes ex diuino fonte, & bono Deo hauries & experieris: & ex tunc deſipiet tibi caro, omníſque indigna & carnalis oblectatio contemnetur à te: & quod tibi paulo ante laborioſum extitit, mẽtem ſcilicet à multis abſtrahere, & in Deo figere, iam promptum erit atque iucũdum. Veruntamen in primis neceſſe eſt, circa purgationem paſſionum inſiſtere, & ex timore hominem ordinare, atque in conſideratione dominicæ paſſionis & humilitatis humanitatiſque Chriſti animã exercere, & ſic demum ad feruidos diuinæ bonitatis affectus cor leuare, atque ad luciDiſſimas, inuiſibilis, incorporeæ, ac ſimpliciſſimæ diuinitatis cõtemplationes mentem atollere.

Quòd ad ſedulam cordis cuſtodiam permagnum inſtrumentum ſit ſeria de diuina maieſtatis præſentia cogitatio. ART. IX.

VIle eſt atque peruerſum plus venerari vel timere hominũ vultum, quàm diui

diuinum cōſpectum. Quo itaque pacto, mi dilectiſsime frater, audemus Deo ſpectante cogitare, quod homine audiēte non audemus proferre? Deniq; quomodo nō erubeſcimus ea Deo cōſpiciente appetere, quę corā hominibus confundimur operari vel dicere? Sed & qualiter audemus in diuini vultus præſentia facere, quod honeſto aliquo viro præſente formidamus efficere? Palā eſt ideò nos iſta peragere, quoniā ampliùs hominē quā Deū honoramus atque metuimus. Sed quid ait altiſsimus? Ego, inquit, glorificantes me glorifico. Qui verò Deū negligit & ſpernit, negligetur & ſpernetur ab eo: quoniam quem ipſe deſpicit, nullus corrigit. Ideo ſtudioſa deuotaque mens ſe coram diuino aſpectu cogitet ſemper conſiſtere: omnéſque ſuas cogitationes, verba & actus perpēdat, Deū ſēper atque vbique inſpicere dicens cū ſanctiſsimis Helia & Heliſeo: Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto hodie. Vocétque cū Agar matre Iſmaëlis locum omnem in quo fuerit, Dominus videt. Enimuero ſi in Dei prę ſētia nos eſſe perpēdimus, eiúsque immēſā maieſtatē penſemus: eum vtique pluſquā hominē aliquem venerari ſatagemus. Si verò eius cōtemplemur inflexibilem iuſtitiā, ac metuēdum iudicium, mox vtique

Eccle.7.
1.Reg.17
1.Reg.4.
Gene.16.
Philip.2.
Hebr.10.

Digitized by Google

metuemus, & merito cum timore & tremore noſtrã operemur ſalutem, penſantes quã ſit horrendum incidere in manus Dei viuentis, qui nec minimum malum impunitum relinquit. Inſuper ſi diuinæ mentis ſanctitatẽ aduertimus, erubeſcemus coram tã mundiſſimo ac ſanctiſſimo Deo turpiter agere, & inhoneſtè inobedientérque viuere. Quo enim qui offenditur dignior eſt, eo & culpa grauior eſt. Cumq; Deus incõparabilis & omnino infinitę dignitatis exiſtat, culpa omnis, qua ei inobedientes ſumus, infinitam enormitatẽ habet. Eſt enim auerſio ab infinito bono. Denuo, quo ali-
Eccle. 12. quis ſanctior & iuſtior eſt, eo iniuſtitia atque malitia ei amplius diſplicẽt. Deus autẽ eſſentialiter ſanctus eſt, & ſuperſubſtantialis ac infinita ſanctitas atque iuſtitia: ideóque inæſtimabiliter ac incomparabiliter ei diſplicet peccatum, & receſſus ab eo. Hinc ergo vehemẽter, ô præcordialiſſime amice, & in Chriſto dimidium animæ meæ, nõ timere oportet, ne tã immenſam maieſtatẽ inhonoremus, neque tã infallibilẽ iuſtitiam obliuiſcamur, ne corã tã ſancto & mundo Deo, immundè atque iniquè viuamus: ſed cũ affectu & ſolicitudine enitamur, mentẽ noſtrã ei ſemper purã offerre, & dũ in cælis ſoli conquieſcimus, eius ſemper præſen-
tiam

tiam cogitemus, diligamus, formidemus, ac honoremus, & ipſum nobiſcum ſemper habere conemur. Neque enim longè eſt ab vnoquoque noſtrum, quoniam in ipſo ſumus, mouemur & viuimus, & ipſe omnibus intimus eſt, cunctaque penetrat. Ipſe ſiquidem de ſe loquens: Cælum, ait, & terram ego impleo. Sin autem ſolitudo noſtra miſera, erimúsque infeliciter ſoli, non feliciter ſolitarij. *Actu.17* *Hier.23.*

Sequuntur ſeptem feriarum meditationes vtiliſſimæ.

Dominica die meditandum de cæleſti atque æterna felicitate ſanctorum. ART. X.

OCulus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus electis ſuis: Quid enim præparauit benigniſsimus Deus diligentibus ſe niſi ſeipſum? Porrò ipſe inuiſibilis eſt, audirique nequit, & cõprehendi non valet. Non nobis præparauit creaturã aliquã ſeu bonum finitum, ſed ſeipſum, vt eũ videamus, diligamus ac poſsideamus, ipſoque fruentes ęternaliter contentemur. Porrò gaudiũ eſt diffuſio animi in conceptione boni: quo itaq; id quod apprehẽditur melius eſt magiſque cõueniens & potentia apprehendens præſtantior, ipſáque *Eſai.64.* *1.Cor.2.* *Ioan.1:* *Rom.11.*

Digitized by Google

apprehenſio clarior eo gaudiū ex huiuſcemodi apprehenſione proueniens plenius eſt atque iucundius. Deus autem ſublimis, quo omnes beati fruūtur in patria, eſt infinita bonitas. qua adepta nil amplius appeti valet, omnē perfectionem, omnémq; nobilitatē ac pulchritudinē, cum immenſa plenitudine comprehendēs, eſtque diuina bonitas omni creatæ menti eam cernenti, conuenientiſſima atque dulciſſima. Sed & Deus ęterna & increata ſapiētia eſt, exemplarisque veritas intellectū penitus implēs & omni agnitione ac veritate adornans & felicitans: Conſtat ergo quòd viſio patriæ ex parte obiecti ſcilicet Dei, ſit ſummè iucunda, omnē delectationē, omnemq; lætitiā ineffabiliter, incomparabiliterque, pręcellens. Denique intellectus digniſſima ac diuiniſſima potentia eſt, & vnio quoque ſeu apprehenſio intellectus in patria clariſſima eſt ac immediata. Erit enim facie ad faciem, & erimus tunc ei ſimiles quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Contemplare, ô anima, vt vales, quale erit gaudium videre æternam illam eſſentiam, & clarè cognoſcere, quemadmodum ipſa æterna ſit à nullo facta nec creata, neque dependens, ſed ſibi ex ſe in ſe & per ſe ſufficiens, omnia creans, intelligens, conſeruans, administrans

om

miniſtrans atque gubernans. Admirabilẽ & incircunſcriptibilem & incomprehenſibilem Deum per eſſentiam & in ſeipſo lucidè & clarè intelligere, & eius fontali ſapientia totius vniuerſi ordinẽ, omnémque veritatem atque ſecrétiſſima intueri. Frui quoque immenſo bono & id ſemper poſſidere, & quicquid deſiderabile pulchrúmque exiſtit in ſeipſo habere ſicq; æterna irradiari ſapientia, & diuina impleri bonitate, vt omne deſiderium intellectus & voluntatis omnino ſatietur & contentum reddatur. Guſtare inſuper diuinæ pacis dulcedinẽ, & amore creatoris prorſus abſorberi, in Deum trãsformari, & eum ſemper in ſe complecti, neque ab eius amplexu, amore, atque aſpectu vnquam poſ- *Ioan. 3.*
ſe auelli. Videre demum ſuperbenedictam *Ioan. 5.*
trinitatem, & inſpicere, quemadmodum ab ęterno patre generetur filius patri coæternus, coæqualis & conſubſtantialis: quomodo etiam ab vtroque procedat ſpiritus ſanctus, & quemadmodum pater diligat filium, & filius patrem, atque vterque ſpiritum ſanctum, quæ diuinarum harum perſonarum mutua complacentia, nexus, amor, & gloria. Poſtremò videre in Chriſto ex diuina atque humana natura, vnam conſtare perſonam: & gloriam ac pulchri-

tudinem humanitatis in Chriſto, & qualiter ſuper omnem angelicam altitudinem exaltata ſit inæſtimabili excellentia, videre quoque gloriam atque decorem amantiſſimæ Dei vnicæ virginis præelectæ Mariæ, & mutuam eius & filij ſui familiaritatem atque amorem: ſpeculari quoq; Hierarchias cæleſtes, ordinéſque angelicos,
Dani.7. & quomodo millia milliũ miniſtrant creatori, decíesque millies centena millia Deo
Iob.25. aſſiſtant, & quemadmodum non ſit numerus militum eius: Cernere etiam vniuerſitatem hominum electorum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, ac confeſſorum, virginúmque, & totius cæleſtis militiæ inuiolabilem pacẽ, feruidiſſimã charitatem, iucundiſſimam ſocietatem, inconcuſſibilem ſecuritatem, æternam beatitudinẽ, inenarrabilem gloriã, & ſplendidiſſimam pulchritudinem: vbi impoſsibile eſt deeſſe quod amatur, adeſſe quod oditur: vbi DEUS omnia implet, omnia in ſe trahit, & omnia poſsidet. Miſera & infelix nimis anima, quæ propter vilißimas mundi huius delicias, propter turpiſsimas carnis libidines, & momentaneas delectationes ac pompas, tanto ſe gaudio priuat, & iram Dei pœnámque æternam acquirit. Amandus nobis es, & ſuper omnia ardentiſsimè

tiſſimè diligendus, ſancte creator, adorande Deus, qui pauperrimis iſtis vermiculis talia præparaſti: Et tu, ô rex Meſſia ô altiſſime Chriſte, qui amiſſam olim beatitudinem iſtam, nobis non auro neque argento, ſed proprio ſanguine atque turpiſſima ac amariſſima tua morte reparaſti. Cur dormis ô anima, cur mœrore conſumeris, cur te accedia premit, quare non diligis, cur non deſideras neque ſuſpiras? Intende paulisper quænam tibi parentur in patria, & propter amorem illorum vilipende interim præſentis gaudia vitæ. Penſa quoniam exul & peregrina ſis ſuper terram, & cum affectu feſtina ad patriam. Qui námque temporales quęrit delicias, & qui non quotidie ęſtuanti deſiderio ſuſpirat ad beatitudinem iſtam, non eſt vtique ea dignus. Ama quoque modò neſciri & ſperni, vt illic ab omnibus electis agnoſcaris & honoreris. Non fatigatio te puſillanimem, nec pigritia ſegnem efficiat, pro æterna beatitudine laborantem.

1. Pet. 1.

1. Par. 29

Feria ſecunda meditandum de morte. ART. XI.

QVi ſe quotidie præſentem vitam, atque vniuerſam eius gloriam citò amiſſurũ cogitat, facilè ea quæ nũc dulcia ac bona videntur cõtẽnit, & Dei timorẽ incurrit: eaque congregare feſtinat, quæ ſibi in ex

in extremæ neceſſitatis articulo proderũt, atque egrediẽtem animam comitabuntur. Ideóque hoc nobis expedit, vt quotidie alloquamur animam noſtram, dicentes: Scito, ô anima, quoniã in breui veniet hora vt tranſeas ex hoc mundo in regionem ignotam, & diſtricto tribunali Chriſti te mox aſtare oportebit. Veniet citò tempus amariſsimę mortis, dum tempus omiſſum, & infructuosè neglectum recuperare non
Apo.12. poteris. Nihílque te iuuare, aut conſolari valebit eorum, quę nunc inordinatè diligis iniuſtéque agis: ſed tunc ſequẽtur te opera tua, tam mala quàm bona, neque erit tibi in hora illa conſolatio aliqua, niſi memoria atque fiducia bonæ vitæ præteritæ, & ſuccurſus diuinæ clementiæ. Tunc dolebis te tam intimoratè ac negligenter vixiſſe,
Matt.14. omiſiſſe tot bona cõmiſiſſe tot mala. Tunc te horror concutiet, & vaſtabit anxietas, torquebítque remorſus, ac vermis conſcientiæ malæ. Itaque iam pœnitentiam age, modò labora, moresque corrige, ne tũc ſerò miſerabiliter & formidolosè proclames inducias vel vnius horæ. Porrò vt tenaciùs menti inhæreat meditatio mortis aſsidua, vtile valdè eſt, imaginem hominis morientis cordi imprimere. Penſandum namque eſt quemadmodum tunc in-

ualidæ manus nigreſcãt, vultus palleſcat, os cõtrahi, viſus obtenebrari, & oculi profundari incipiant: quomodo demũ pulſus caprizare halitúſque deficere, & ex intimo ſe colligere inchoënt, mox quoque ſudor mortis adſit, victam eſſe naturam conteſtans, ipſæ mortiferæ atque duriſſimæ mortis puncturæ cor ſuffocare ac ſcindere conentur. Quúmque his anima vallata preſſuris, lucem huius mundi videre deſinit, & alterius ſtatũ ſæculi interioribus oculis aſpicere incipit: adſunt repẽte cruentæ beſtiæ atque laruales dæmonum facies & cateruæ, renouant peccata præterita, ſi fortè deſperationẽ inducant, & exeuntem præſtolantur animã, ſi fortè eis torquenda præſtetur. Hæc pręmeditari vera ſapiẽtia eſt, nec eſt vtilior ſcientia quã diſcere mori, hoc eſt, ſeipſum quotidie ad mortẽ diſponere, & ad eius aduentum omni die paratum exiſtere, vt ſcilicet nil in mente reſideat, quod conſcientiã mordet, & cum quo mori timemus Hoc nempe eſt quod Saluator docet. Vigilate, inquiens, quia neſcitis diẽ neque horam. Et quod alibi quoque ſcriptum eſt, Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ. Quotidie ergo mortificemus deſideria noſtra, & omnem à nobis

Mat. 24.
Marc. 13.
Eccle. 12.

nobis abſcindamus mundanum affectum, nil concupiſcentes eorum quæ in mundo ſunt: illuc nos intimè cõuertẽtes, vbi æternaliter erimus & viuemus, quatenus cupiamus & nos cum diuino Apoſtolo abſolui, & eſſe cum Chriſto. Beatus enim ſeruus ille quem cùm venerit Dominus, inuenerit, vigilantem. Ideò & Theophilus Alexãdrinus olim epiſcopus morti propinquans dixit de abbate Arſenio, Beatus es, abba Arſeni, quoniam hanc horam ſemper præ oculis habuiſti. Denique abbas Helias, Ego, inquit, tres res timeo. Vnum quando anima mea egreſſura eſt de corpore. Secundũ, quando concurſurus ſum Deo. Tertiũ quãdo ſententia iudicis proferetur de me. Et nos igitur, dilecte mi, hęc tria formidemus, & vileſcet nobis hic mundus, omniſque decor & concupiſcentia & gloria eius.

Philip. 2.
Luc. 22.

Feria tertia meditandum de interna conſideratione beneficiorum Dei. ART. XII.

TRia ſunt, ex quibus beneficij magnitudo penſatur. Primum eſt, excellentia dantis. Secundum, paruitas recipientis. Quo enim dator eſt dignior, & recipiens minor, eo in dono ſeu beneficio amplior apparet ex parte donantis dignatio, atque ex parte recipientis vehementior exigitur gratitudo. Quemadmodum ſi rex præpotens

tens egeno alicui aliquid præſtet. Tertium autem ex quo beneficij magnitudo attenditur, eſt dignitas doni. Quoniam ergo maieſtas fontis atque datoris vniuerſorum donorum, incircumſcriptibilis eſt, incomparabilis atque immenſa apparet in beneficiis Dei ſumma ac infinita dignatio. Denique quoniam prauitas & fragilitas, ac inſufficientia noſtra ineffabilis eſt multáque nimis, ex parte noſtri ſũma requiritur gratitudo. Qualia verò ſint beneficia Dei, ſolenter intueri oportet. Beneficiorũ autem Dei quædam ſunt dona naturæ, quædam verò dona gratiæ, & vtraque duplicia ſunt, generalia ſcilicet ac ſpecialia. Dona naturæ ſunt creatio, gubernatio, & conſeruatio. Recordare ergo, quoniam à Deo habes eſſe, viuere, ſentire, mouere, ac intelligere. Et quicquid naturalis perfectionis, pulchritudinis, atque decoris in anima carnéque habes diuinitus tibi impartitum nõ obliuiſcaris. Si ingenio polles, corpore pulcher es, ſi gratioſus, ſi prudens, ſi robuſtus, ſi eloquens, agnoſce te hæc ab auctore naturæ, recepiſſe, & ipſi gratus eſſe ſatage. Præterea quis beneficia enumerare ſufficiat? Quis ea dignè contemplari, ponderare, laudare ac diligere poſſit? Inter quæ ſummum atque
dignis

digniſſimũ ipſa eſt incarnatio filij Dei: in
Barue. 3. qua ardentiſſimus eius amor, immẽſa bonitas, inæſtimabiliſque miſericordia ſplẽdẽt. Denique ꝙ propter nos in terris inter homines cõuerſatus eſt, atque ab eis multa perpeſſus, ac demũ amariſſima morte occiſus, quòd nos proprio ſanguine ab infer-
1.Pet. 1. nali ęternáque pœna redemit, & angelicæ
Titum. 3. beatitudinis, ac perpetuæ iucunditatis hæredes cõſtituit. Quòd ex aqua & ſpiritu ſancto nos regenerauit, & à multis periculis grauibúſque peccatis ſeruauit. Quòd delinquentibus miſertus eſt, & dum in mortalibus eramus peccatis, non nos ſubitò iuſtè damnauit: ſed lõganimiter expectauit. Et inſuper ex mundo reduxit, & inter ſuos ad ſuũ deputauit obſequium, quum tamen multos interim, nobis vel propinquos aut certè coætaneos, nobis fortè meliores, ab hac vita abſtraxit: & vel in inferno aut in purgatorio iuſtè proiecit. Specialia verò beneficia Dei vnuſquiſque in ſeipſo conſiderare debet, quomodo ſcilicet ſibi quotidie ſuccurrat & adſit, ignoſcat & gratiã præſtet: in ſacris quoque ordinibus conſtituerit, atque carne ſua ac ſanguine alat. Pro iis eſto, ô anima, grata Deo, tantũque benefactorẽ contẽplare & dilige, & omne bonum, omnem gratiam, omnéque meri-
tum

tum ei ſemper aſcribe, ne per ingratitudinem donis eius fiat indigna, quoniam ab eo omnis boni exordium eſt, continuatio, atque perfectio. Si humanæ beneficentiæ immemorem atque ingratum exiſtere non ſolùm inhumanum, ſed & plus quàm beſtiale cenſetur (cùm & canis & leo proprium nutritorē adiutorémque diligunt:) Quantò magis diuinis beneficijs, quæ in ſeipſis incomparabilia ſunt atque digniſſima, & maximam gratitudinem propter dignationem dantis requirunt, ingratum fore, itémque immemorem, iniquiſſimum impijſſimúmque conſiſtit? Nunquam ergo, ô anima, à memoria tua excidat diuinorum contemplatio beneficiorum, ſed ex eorum intentiſſima ponderatione ad Dei tui amorem feruentem te ſemper erigere incitaréque ſtude. Habenti namque, id eſt, grato, dabitur, & abundabit. Ei verò, qui non habet, id eſt, ingrato, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Mat. 15.

Feria quarta meditandum, de iuſto ac metuendo Dei iudicio.

ART. XIII.

NIl horribilius cogitari valet, quàm diſtrictũ illud nouiſſimum iudicium Dei. Si enim ipſum nõ eſſet in inferno pœnalius, nõ vtique oraſſet ſanctus propheta,

Iob. 14. Quis mihi tribuat vt in inferno protegas & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus? Ideóque iudicij illius qualecunque *Hieron.* præambulum expertus S. Hieronymus ait, Siue comedo, ſiue bibo, ſiue dormio, ſiue vigilo, ſiue aliud aliquid egero, ſemper inſonat auribus meis illius horribilis tubæ ſonitus, Surgite mortui, venite ad iudicium. Nunc ergo, ô præchariſſime frater, recolligamus pauliſper animam noſtram, & ſolicito corde deſcribamus interioribus oculis noſtris extremi illius iudicij modum atque horrorē. Intueamur oculo fidei ve- *Luc. 21.* nientem cœleſtem iudicem, cum millibus angelorum ac hominum, cúmq; omni militia ſuperni exercitus in nubibus cæli ſuper vallē Ioſaphat. Penſemus quoq; in momento in ictu oculi vniuerſos reſurgere, & *2. Cor. 15.* ad Dei iudicium aduenire. Tunc ſtabūt iu- *Sapien. 4.* ſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, erúntq; electi eleuati à *Auguſt.* terra ſtātes in aëre: impij verò ac reprobi iacebunt in terra, quam dixerunt plumbo grauiores, durioréſq; ferro. Erúntque tunc cum iudice ſecuri, qui modò nō ſunt ſecuri: & rurſus tunc pauebunt qui modò metuere nolunt. O horrēdæ & inexcogitabiles tunc reproborum anguſtiæ! Videbūt enim vndique, & ecce ſuper eos iratus, diſtri-

ctus,

ctus, inflexibilis iudex, infra eos horridum inferni chaos, apertum & patẽs. In circuitu ardens mundus & ignita elementa peccatores inflãmantia, intus cõſcientia vrens, atque hinc inde dæmonum turba accuſãs. Si tunc iuſtus vix ſaluabitur, peccator & impius vbi ſe ſuſtinebit? O peccatoris confuſio! Tũc nẽpe reproborum vniuerſa peccata atque arcana omnibus ac ſingulis tã angelis quàm hominibus eluceſcent: quatenus omnes iuſtiſſimum Dei iudicium eſſe intelligãt. In hora illa videntes iniqui ſortẽ iuſtorum turbabunt timore horribili, & præ anguſtia ſpiritus gementes dicent, Nos inſenſati: vitã illorum æſtimabamus inſaniam. Faciẽ ſuã ab ira vultus iudicis quærent auertere & nõ poterunt: dicẽt montibus, cadite ſuper nos: & collibus, operite nos: nec tamẽ latere valebunt. Tunc videbunt impij in quẽ transfixerunt, & ingrati eum qui pro ipſis transfixus eſt, quem ipſi ſpreuerunt. Tunc cõputabunt ac præmiabuntur mali Chriſtiani cum his qui Chriſtum pupugerunt & occiderũt. Sed precor te, ô adorãde Chriſte, ô Ieſu dulciſſime, ne inueniamur ego & dilectus meus, cui hæc ſcribo, in die illo in infeliciſſimo eorũ catalogo, qui ſacrilegis, ac ſceleratiſſimis manibus te ſuſpendẽtes peremerunt: quod

1. Petr. 6. *Sapi. 5.* *Luc. 23.* *Ioan. 19.* *Act. 3.*

& pro omnibus, rogo pro quibus te oro, oraréque habeo. Denique nullũ tunc malũ nec indiſcuſſum, nec inultum tranſibit De omni cogitatione iniqua, de omni verbo otioſo, de omni opere malo, de omni tẽpore iam conceſſo, tunc exigetur iuſtiſſima & efficax ratio. Tũc dicet iudex ijs qui ad ſi-
Iob. 24. niſtram ſunt: Ite maledicti in ignem æter-
Mat. 12. num. Et ecce mox aperiẽs terra os ſuũ deglutiet impios, innoluétque eos ignis quo elementa ardebunt, & cũ totius mundi im-
Mat, 25. munditia atque fœtore in æterna eos tormenta intrudet: ipſis autem in profunda gehennæ ruentibús, aſcendẽt electi in alta polorum, reprobis idipſum videntibus, & ad impliorem ſuæ miſeriæ calamitatem nunquam obliuiſcentibus. Vt igitur intolerabilem hanc euadamus materiã atque inexcogitabilem confuſionem, horrorem atque anguſtiam, timeamus modò & confiteamur ſynceré cum multa erubeſcentia peccata noſtra, nec abſcondamus iam à Chriſti vicario, quod tunc latere optamus in extremo iudicio. Eſt autem aliud & ſingulare vniuſcuiuſque morientis iudicium, non minus iſto ſingulis præmeditandum ac metuendum, dum videlicet anima à corpore exiens, ad Chriſti repentè tribunal protrahitur, illicque aſtantibus & accuſa

Digitized by Google

accuſantibus malignis ſpiritibus iudicatur.

Quinta feria meditandum de pœnis inferni.

ART. XIIII.

QVemadmodũ inenarrabilis eſt beatitudo ſanctorum in cælo, ſic prorſus ineffabilis: eſt miſeria reproborum in inferno. Quid ergo de ineffabili fari præſumo? Sed ad incitandum timorem paulisper balbutiẽdo loqui deſidero. Eſt enim in inferno in primis animarum ac dæmonum incõuertibilis auerſio mentis à Deo, cui correſpondet pœna damni, ſcilicet carentia viſionis diuinæ, quæ eſt ſumma infelicitas. Et quoniam in mortali peccato deſcenderunt vel receſſerunt, perſeuerat in eis inauertibilis cõuerſio ad bonum creatũ atque caducum, in quo ſibi finẽ ſtatuerunt, & plus quàm ſummum bonũ dilexerunt, & hoc eſt eis æternus cruciatus, quòd tali bono frui nequeunt, neque in ipſius illicito vſu deliciari, ſicut optauerant, poſſunt. Itaque ęternaliter obſtinati, manẽt in malo, nec Deum diligunt, ſed odiũt & blaſphemant. Quoniã ergo in peccato mortali propter contemptũ immenſi Dei eſt infinita enormitas, eſt in inferno interminabilis pœna, & quia reprobi illi miſerrimi sũt vaſa iræ, in quibus rigor atque ſeueritas

diuinæ iuſtitiæ oſtendũtur ac patent, ideo ſecundùm magnitudinem diuinæ æquitatis iuſtè torquentur, & cùm ſint Deo odibiles, ſempiternæ obliuioni tradentur, nec vnquã miſerebitur eorũ creator. Vnde cum
Sap. 14. pœna ignis pœnaliſſima & maxima ſit, primum præcipuúmque miſerorum tormentum eſt ignis æternus. Nunc ergo redi, ô anima, ad te, & à diſtractionibus te elongans intuere impiorũ tormenta, quatenus à quorum miſerando collegio ſeparari vis poſt vitã hanc in ſupplicio, ab eorũ quoque peccatis atque deliciis abſtinere ſtudeas in hoc mũdo. Inſpice oculis internis carcerẽ metuẽdi iudicis, vt creditur in medio ter-
Iob. 10. ræ ſitum, vide illic terram tenebroſam & opertã mortis caligine, in qua denſiſſimæ ac palpabiles tenebræ, in qua vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror, perennis deſperatio, atque amariſſima omnis boni deſolatio habitãt. Certa eſt ibi æterna damnatio, & quicquid deſiderabile iucũdúmque exiſtit longiſſimè & perpetuò abeſt, quicquid autẽ odibile eſt atque pœnoſum ineuitabiliter adeſt. Audi illic vlulatũ & gemitum, ſingultũ atque blaſphemiam miſerandiſſimorũ reproborũ, præ dolоris ac deſperationis horrore ac magnitudine linguam ſuam manducantium, Deúmque
cæli

cęli maledicentium atque blaſphemãtium. Abeunt enim à calore nimio ad aquas niuium. Ignis quoq; eorum nõ extinguetur, nec vermis morietur. Inuocabunt mortẽ, & fugiet ab eis. Erit ibi horribilis aſpectus dæmonum, & mutuus rãcor ac ſumma inuidia ſingulorum niſi ꝙ ſe tunc illi ampliùs odibunt in ſupplicio qui hîc familiariùs conſentiunt in peccato. Intolerabilis aderit fœtor & gemens ſocietas, preſſura & calidiſſima flamma, atque inexcogitabile frigus. O pœna quæ nunquam finiris, nunquam abbreuiaris, nunquam minueris! O infelix conſortium, vbi vnuſquiſque alterius auget tormentum! Si hæc, ô bone frater, intentè penſemus, non ſolùm nõ oblectabunt voluptates carnales, neque de eo tãtum lętabimur, gratiáſque agemus, quòd ab hoc nequam ſęculo erepti ſumus ſed & miſeris quoque mundi amatoribus vehementiſſimè compatiemur, atque pro eis affectuoſiùs diuinam bonitatem precabimur. Inſuper ad nihilum deducitur in conſpectu noſtro malignus: timentes autem dominum glorificabimus.

Iob. 4. *Eſai. 66.* *Apoc. 9.* *Pſa. 14.*

Sexta feria meditandum. De paßione Chriſti.

ART. XV.

SI ſcire cupis quali te Chriſtus charitate dilexit, intẽde quanta pro tua ſalute per

Digitized by Google

tulerit. Proinde ſi peccati grauitatē, enormitatēque agnoſcere optas, contemplare quia aliter peccatū mundi tolli non potuit, niſi ipſe mūdi creator, verúſq; Deus in id-
1. Petr. 2. ipſum incarnatus, proprio ſanguine aboleret: & ita cogitans Chriſtum diligere, &
Cant. 1. peccata abominari incipies. Acerbitatem ac varietatem paſſionis domini tui, tibi ſub pectore tuo tanquam faſciculum myrrhæ reconde, & ne tantæ charitati ingratus ſis quotidie eam deuotiſſima recole mente, atque in ea vide & diſce quid te oporteat facere, quomodo pati aduerſa, & Chriſti imitari veſtigia, ſeruum eius condeceat. Recordare itaque illius ſacratiſſimę nouiſſimæ cœnæ, & quomodo in ea charitatem
Ioan. 13 edocuit tam verbo quā opere. Verbo qui-
Mat 26. dē dū dixit, Mandatū nouū do vobis vt di-
Ioan. 13. ligatis inuicē. Opere autem dum proprium
Luc. 22. corp⁹ in cibum & ſanguinē dedit in potū.
Mar. 14. Quēadmodum etiā in ea humilitatē ſum-
Ioan. 18. mè inſtruxit. Diſcipulorū abluens tergenſ-
Luc. 23. que pedes, & id nobis imitari præcipiens.
Mat. 27. Denique, quomodo factus in agonia pro-
Eſa. 50. lixiùs orauit, & factus eſt ſudor eius ſicut
Luc. 22. guttę ſanguinis decurrentis in terrā, quo-
Ioan. 19 modo poſtea traditus, captus atque ligatus
Mar. 14 ad domum pontificis ductus eſt, & quo-
Ioan. 19 modo nocte illa poteſtati tenebrarum cō-
ceſſa

ceſſa illuſerunt ei, cædentes, velantes, conſpuentes, colaphizantes ac blaſphemantes filium Dei & ſanctum ſanctorum. Et qualiter ipſe nō auertit faciē ſuā ab increpantibus & cōſpuentibus ſe, patientiam docēs, ſeque patientię formam efficiens Præterea quomodo ligatus & cōſputus præſidi tanquā ſeductor præſentet & accuſetur, quomodo ab Herode cōtemptus alba veſte irriſus ſit, quemadmodum demùm nudatus atque flagellis dilaniatus, & liuore ac plagis repletus, purpura induatur, & ſpinis coronetur, totoque vultu ſanguine madens & rubēs, denuò flexis genibus adoretur, conſpuatur, & tanquā viliſſimus hominū propter te reputetur Et quomodo ſanctiſſimū eius caput iā ſpinis confixum percuſſerunt, arundine diuino capiti ſpinas accutiſſimas profundiùs imprimentes. Quemadmodum etiam hinc baiulans ſibi crucem exiuit, & inter latrones ſuſpenſus ſit manibus pedibuſque trāsfixis, cunctiſque membris, in tantum vt omnia eius oſſa dinumerari potuiſſent, pœnaliſſimè diſtentis, quomodo felle potatus ſit, & pro crucifixoribus exorauit, atque tam amariſſimè paſſus ſit, vt ſe à patre relictum clamaret & aſtantem ſibi matrem diſcipulo commendauit Hæc meditari iuſtū eſt & ſalubre, Deoque gra-

Luc. 23. Ioan. 19. Mat. 27. *Mar.* 15. Ioan. 19. *Luc.* 23. Mat. 27. Ioan. 19.

tum, & ad omnem virtutem inſtructiuum, ſingularémque gratiam atque internam deuotionem potiſſimè à Chriſto conquirens, & ad eius ſequendum patientiam, obedientia, humilitatem & charitatem vehementer inflāmans. In omni quoque tentatione nō eſt efficacius dandum remediū quā ad Chriſti paſſionem confugere. Compatiēti demum filio ſuo dilecto vnico dulciſſimę matri ac virgini genitrici, affectuoſa mente condolere debemus, & ſyncero diligentique corde reuoluere, quemadmodum in omnibus ijs præcordialiſſimo ſuo
Luc. 9. vnigenito ardentiſſima atque pijſſima mater compaſſa ſit, quæ ſi conſtanter recogitemus, omnis vtique rancor, omnis torpor, omniſque voluptas longè fugient à cordibus noſtris. & conabimur abnegare nos, & aſſequi Chriſtum.

Sabbatho meditandum, De recordatione humili propriorum peccatorum. ART. XVI.

CVm autem ex ſimilitudine amor naſcatur, id ſolùm nos Deo facit odibiles per quod efficimur ei diſſimiles. Hoc verò peccatum eſt, ille enim ſanctus eſt. Peccatum autem nos reddit immundos & impios. Ideò ait ſcriptura: Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Et denuò, peccata veſtra diuiſerunt inter Deum & vos.

Itaque

Itaque cùm peccatum ſit langor & immunditia, mors, turpitudóque animæ: volens à peccatis purgari ea ad mentem reducat, & quantum poterit ea exaggeret, ponderétque, magnificet, quatenus de eis ampliùs doleat, ſeque magis humiliet. Quo namque peccata noſtra clariùs videmus & cõfitemur, eo diuino cõſpectui vehementiùs abſconduntur, & quo de ipſius magis compungimur ac verecundamur, eo ampliùs tam culpa quàm pœna cõſumuntur: quo inſuper ipſa plus magnipendimus, eo Deus ipſa minora diiudicat: & quantum ex ipſa peccatorum atque defectuũ ſuorum conſideratione ſe anima profundiùs deiicit & humiliat, eo corã Deo ſublimior fit. Multa proinde ſunt, ex quibus peccata noſtra enormitatẽ & grauitatẽ acquirit. Primò propter maieſtatem & ſanctitatẽ eius, qui legem præceptáque dedit, quẽ peccando mortaliter propter inobediẽtiam ſpernimus & inhonoramus. Venialiter autem peccando aliqualem ei irreuerentiã exhibemus coram tam ſancto immẽſóque diuino Domino, nõ ſatis timoratè & ſyncerè cõuerſantes in cuius conſpectu meritò cũ omni tremore ac ſolicitudine ambularemus pauentes, ne vel in modico immenſitatẽ ſanctitatis atque iuſtitiæ eius inhonoraremus.

raremus Secundũ peccata noſtra aggrauãs eſt ingratitudo de beneficiis Dei. Quo enim illa plura nobis beneficia præſtitit, eo magis obligamur ipſum diligere, grauiùsque peccamus nõ obedientes nec honorãtes tã benigniſſimum ac liberaliſſimũ benefactorem. Tertium autem quod culpam aggrauat, eſt, quòd toties peccata reiteramus. Vulnera nempe repetita durius lędũt & difficiliùs ſanãtur. Sunt quoque aliæ cauſæ ac circunſtantiæ multæ peccatum grauantes, vt quòd propoſito mala agimus, quòd ſcientes etiam iuſtitiæ nihilominus iniuſtè fecimus, quòd in ſacris locis ſeu in diuinis laudibus mala commiſimus, quòd bona vana intentione operati ſumus. His igitur ritè penſati ponat ſe homo coram Deo ſuo in loco quieto ſeu opportuno, cõmemoretque peccata ſua grauiora conſciẽtiã magis mordẽtia, & illa ſecundũ iã præacta magnipendat & aggrauet, atque ex totis præcordiis dolẽs dicat, Heu Deus creator, quòd infelix ego te ſummũ & omnipotentẽ & immẽſæ ſanctitatis Dominum ſic irreuerenter offendi, hoc & hoc peccatum, tibi inobediens, téque contemnens effeci, tibi tã ingratus fui, toties hoc & illud repetiui. Et ſi forte bonum aliquid feci, proprium honorẽ & gloriã quæſiui, non

non te ſolum intendi. Hæc dicens cõpungetur & erubeſcat, ſéque humiliet, & diuinã miſericordiã beneficia, & merita, Chriſti rememorans ſpẽ reſumat, atq; emendationẽ firmiter proponat, & pro poſſe pœnã ſibi cõdignã infligat. Et reuera tãta eſt omnis peccati mortalis enormitas, vt meritò pro vno ac minimo tali, cunctis diebus vitæ noſtræ nos vſque ad puluerem, & ſub brutis quoque humiliaremus, à cõtritionis dolore nunquam ceſſantes. Non tamen ſit dolor iſte ſemper cõtinuus, ſed frequẽs & opportunus. Sed & inde nos prçſertim dolere & contriſtari debemus, quòd poſt abnegationem mundi & ingreſſum cœnobij tam negligenter infructuoſéque viximus, & cum tẽpore atq; accidia opus Dei effecimus. Porrò niſi in vera humilitate omne noſtrum exercitium fundetur, omniſque inanis ac elata cogitatio penitùs abijciatur, vniuerſum ſpiritualis ſtructuræ ædificium citò cadet, & omnino peribit.

De præparatione ad miniſterium, celebrationémque miſſæ. ART. XVII.

CVm ad venerandum altare Dei, & ſacratiſſimam atque diuinam menſam Chriſti proponis, mi chare frater, accedere, quatuor diligenti corde intende. Primò teipſum qualis ſis. Secundò maieſtatem

tem eius, cui hoſtiam ſacram offers. Tertiò ipſum ſacrificium in ſe quale & quàm ſublime exiſtat. Quartò cauſam propter quam hæc oblatio inſtituta eſt. Priuſquam ergo ad celebrationem accedis, diſcute cōſcientiam tuam, & quicquid in ea Chriſto diſplicens ſeu charitatis cõtrariũ inueneris, per internũ dolorẽ ſynceram cõfeſſionem, ac humilẽ ſatisfactionem, emenda & dilue. Cõſidera quoq; miſeriam ac fragilitatem, inſufficientiã & ingratitudinem tuam, quatenus cum profunda humilitate, & reuerentiali timore accedas: dicque in ſecreto Deo tuo, Tu Domine vniuerſorũ, in cuius cõſpectu omnis creatura tanquam nihilũ eſt & inane, omnipotens, & miſericors, ac metuende Deus, tu Domine noſti imperfectum meum, & iniquitates meas
Ioan. 9. multas & magnas tu vides. Confiteor Domine & agnoſco, quia nimis indign⁹ ſum, vt ego tam ingratus & negligens, tam vilis & immundus, tam pauper & iniuſtus, altari tuo aſſiſtam, & te regẽ glorię vnigenitũ Dei, æterno patri offeram, & te contrectem atque manducem. Sed, ô Chriſte, tu qui te à nobis ſumi iuſſiſti, qui mihi ordinem contuliſti, & eius à me obſequium exigis, da propter hanc tuã inæſtimabilem dignationem, charitatẽ & miſericordiam,
mihi

mihi gratiam, vt te tam humiliter, tam timoratè, támque reuerenter & affectuosè tractem & ſumam ſicut decet & tu requiris. Præterea intuere maieſtatem eius, cui ſacrificium immolas. Quoties enim celebras, toties omnipotenti æternóque patri dilectum ac vnicum ſuum filium offers. Cōſidera quàm magnum ſit tale officium, & cū quanta puritate & reuerentia, quo amore & feruore, tā ſuperexaltato Deo aſtare & immolare oportet. Inſuper vide hoc ſacramētū in ſe, quā ſanctū & nobile, reuerendum, atque amandū exiſtat. Continetur enim ſub forma panis, ex vi conſecrationis, caro Chriſti, & ſub ſpeciebus vini ſanguis ipſius, vtrobique tamen verè eſt totus Chriſtus, Deus & homo. Itaque cùm diſſimilia nolunt vniri (ſimilitudo enim facit vnionē bonam eſſe atque decentem: diſſimilitudo autem facit eam nociuam, ipſámque corrumpit: vt ſi aquā igni commiſceas) perſcrutare diligenter antquam Chriſtum accipias, ſi te ei conformem & aſſimilatum inuenias: alioquin vnio tui cū eo innaturalis erit, nociua, nec permanens. Denique ipſe quē tractas & ſumis ſanctus & purus eſt, mitis & humilis, amoroſus & innocens. Niſi itaque te quoque talem inuenias, vel actu aut certè in affectu, atque ſecun

Contenta ſub ſpeciebus panis & vini.

Leui. 19.
Mat. 12.

ſecundùm aliquem gradum, vtpote, vel in gradu inſipientium, vel perfectorum, vel medio modo ſe habentium ac proficientium non vtique accedere expedit. Veruntamen cùm ſit hoc ſacramentum medicina peccati, & remedium eius, ſi nondum à paſſionibus, atque peccatis emundatus ſis, doles tamen de eis, & emendationem omninò proponit, tunc communio & celebratio plurimum expedit, & ad illicitos paſſionum motus frangendos maximè confert, & deuotionem ac charitatem pręcipuè alit & auget. Porrò cauſa inſtitutionis ſacramenti iſtius, & commemoratio charitatis paſſioníſque Chriſti, & cæterorum quoque beneficiorum eius, vt videlicet toties eius accendamur amore, quoties pignus ac memoriale dilectionis ſuæ accipimus. Sunt autem & aliæ multæ cauſæ, vtpote ſubſidium militantis eccleſiæ, ſalus viuorum, requies defunctorum, & quotidianorum quoque medela defectuũ. Qui itaque pro his Deum dignè exorare in miſſa cupit, eget vtique, vt ſe Dei idoneum atque ſyncerum miniſtrum exhibeat. His igitur penſatis, cum reuerentia & timore, atque affectu accedendum eſt, & requiritur in ipſo officio actualis douotio, quam is rarò habebit qui miſ-

Cauſa inſtitutionis ſacramẽti altaris.

ſa peracta ſe cito effundit, & ad vana conuertit. Neceſſe eſt enim, vt qui dignè celebrare deſiderat, poſt miſſam ſtudeat Deo de donis ſuis gratus eſſe, memor cuſtoditus & ante miſſæ exordium, ſe (vt dictum eſt) præparet, atque in omni ſua conuerſatione ſolicitus ſit: & ea de quibus confitetur, quamuis parua appareant, poſtea pro poſſe caueat, ac magis cuſtoditus ſit. Et reuera dum poſt confeſſionem incauti, negligentes, & leues manemus, vt ante, ſignũ eſt nõ ex vero dolore, ſed ex arida conſuetudine nos eſſe cõfeſſos Ideóq; nihil prorſus proficimus, ſed indeuoti, rudes, & crudi manemus. Deniq; horæ ipſæ canonicæ, ac laudes diuinæ non improuiſa vagáque mente inchoandę ſunt, ſed ante earum inceptionem dirigendus eſt ſpiritus ad creatorem ſuum, & deuotum aliquid cordi infundendum eſt, & poſt earum expletionem non mox effundenda, ſed cuſtodienda eſt anima. Vnde ſi ſemper actualiter intenti eſſe ad omnia ſacra verba nequimus, ſaltẽ cũ feruore ac attentione inchoamus, quatenus ſic virtus principij remaneat in ſequentibus & à primordiali attẽtione totũ opus ſortiatur virtutem, alioquin modicus error in principio, magnus erit in fine.

Actualis deuotio.

Philoſo.

De ſolido cibo perfectorum. ART. XVIII.

EST in Chriſtiana doctrina lactea eſca, qua illi qui nondũ exercitatos habent ſenſus alendi ſunt, qui interna & ſpiritualia necdum guſtauerunt, neque perfectorũ ſermonum capaces facti ſunt. Hi quippe cùm paruuli adhuc ac teneri in Chriſto ſint, circa exterioris hominis cultũ paſſionúmque reformationẽ egẽt inſtitui, atque à manifeſtis malis compeſci. Porrò perfectorum eſt ſolidus cibus, quemadmodum ait Apoſtolus: Sapientiam loquimur inter perfectos. Hic autem ſolidus cibus, ſermo eſt mentalis puritatis, ac intimę perfectionis, cõſiſtens in hoc, vt mens ipſa vni vero ſummo bono, quòd ſolùm neceſſarium eſt, ſyncerè atque ſtabiliter infigatur, atq; adhæreat. Quoniam ergo iam in hac editione de his quæ ad hanc perfectionẽ, & ſolidum cibum diſponunt, breuiter dictum eſt: nunc de ea quid ipſa ſit pauliſper diſſerendum. Eſt autem diuinæ veritatis, ſeu ſummæ deitatis munda ſpeculatio, & bonitatis diuinæ feruens dilectio. Enimuero ad hanc ſpeculationem & dilectionem, omnis cognitio & amor creaturarũ omniũ ordinanda ſunt, ad quam tamen contemplatio humanitatis paſſioníſque Chriſti, & eorum quæ ad eam pertinent, & ipſorum dilectio potiſſimè erigũt, atque coadiuuant.

Heb. 5. *1. Cor. 2.* *Luc. 10.* *Quid vera ſit ſapientia.*

iuuant. Denique quo diuinitas ipſa omni creatura melior eſt atque præſtantior, eo ipſius contemplatio dignior eſt, & amor deſiderabilior. Sed & cur amor procedat ex cognitione, & ex vtroque deuotio, quē admodum diuinitas optima eſt atque dulciſſima, ſic eius conſpeculatio ſyncera maximáque quantū in ſe eſt deuotionē cauſat in mente. Sed neceſſe eſt animā per ethicā ſeu mortalem ſcientiam eſſe diſpoſitam, & per veram atque internā pacem fore aptatam. Pax iſta eſt tranquillitas ordinis, ſeu quies à perturbatione: dum ſcilicet in nobis caro obedit ſpiritui, & ſenſualitas rationi paſſionibus mitigatis, & appetitui rationali ſubiectis. Vnde à perturbatione prorſus cauere oportet, & ad tranquillitatē & manſuetudinē animā ſemper inducere. Itaque, vt ex viſibilib⁹ creaturis, ad inuiſibilis creatoris cōtemplationē queas aſſurgere, conſidera ordinem rerum. Eſt nempe in entibus ordo, & ſpecies rerum ſe habēt vt numeri, & ad inuicē ordinatiſſimè concatenæ ſunt. In ordine autem neceſſe eſt vnum eſſe primum, & vnū vltimū. Eſt igitur in vniuerſitate vnum primū ens. Hoc autem primum ens neceſſe eſt eſſe incauſatum, ac independens, Si enim cauſatum eſt, habet cauſam antè ſe, & ſic nō erit pri-

Ex cognitione amor, ex vtroque deuotio ſcaturit.

Philoſo.

mum. Cúmque hoc ens ſit à nullo dependens, eſt ens per eſſentiam& eſt à ſe, ſeu per ſeipſum, ergo eſt æternum, nunquam enim deſinet: quia nec incœpit. Ad hæc in omni ordine primum eſt in illo ordine perfectum, ſicut primum calidum eſt perfectè calidum. Primum igitur ens eſt perfectum. Nam cùm ſit primũ, & per eſſentiam nõ poteſt in eo natura entis eſſe minorata à plenitudine ſuæ perfectionis Nihil enim imperfectũ eſt, niſi prout eſt diſtãs à fõte ſuæ perfectionis, Ideóque quod eſt ſibi ipſi ratio exiſtẽdi, habet eſſe omnino perfectum. Deus igitur eſt ens, in quo eſt omnis nobilitas, omníſque perfectio, & plenitudo ipſius eſſe. In diuino ergo eſſe, eſt vita, ſapientia, felicitas, omnipotentia, ſanctitas: & quicquid ad ornatum atque decorẽ ipſius eſſe pertinet. Præterea quod perfectũ eſt, & primũ, neceſſe eſt eſſe ſimplex. Si enim compoſitum eſt, indiget his ex quibus componitur, & habet cõponentia ſua ante ſe, neque eſt in ſeipſo ſubſtantialiter perfectum, ſed per additionẽ vnus ad aliud, & vnum quodque componentium indigeret alio. Primum ergo ens cùm ſit perfectum, eſt ſimplex. Nõ ergo diuerſificãtur in eo eſſe, poſſe, & agere: in Deo itaque vnũ idémque exiſtunt, eſſentia, potentia,

Primum ens.

Perfectiones diuinæ.

tia, & actio. Eſt quoque Deo idem & potẽtem ac ſapiẽtem ſeu felicem & ſanctũ eſſe. Omnia enim hęc non ſunt in ipſo, niſi pura, perfectaq́; vnitas. Porrò quod perfectũ eſt, ſimplex eſt: materiam non habet. Materiæ enim eſt recipere & pati atque moueri: & ipſa eſt contingentiæ radix ac imperfectionis origo. Deus ergo materia caret: quod autem ſine materia eſt, dimenſionem non habet, quantitas enim ſequitur materiam. Deus ergo corpoream magnitudinem non habet. Ideoq́; indiuiſibilis eſt & incorporeus, inſenſibilis omníque materiali atque ſenſibili charitate carens. Inſuper omni quoque paſſiua potentia carens, cum ſit actus purus, id eſt, natura nullam potens perfectionem ſortiri ab alio, & ob id immobilis & incommutabilis eſt. Quod autem ſimpliciter perfectum eſt, neceſſe eſt & infinitum eſſe. Si enim perfectio eius finem haberet, non vtique eſſet omnino perfectum. Quod verò infinitum eſt, incomprehenſibile eſt, & quod incomprehenſibile eſt, id ineffabile eſſe conſtat. Deus itaque immenſus eſt, incomprehenſibilis, & ineffabilis. Talis ergo eſt, amantiſſime frater, Deus noſter ad quem tendimus, qui eſt in æternum ſublimis & benedictus. Amen.

In Deo idem ſunt eſſentia, potentia & actio.

D. DIONYSII CARTHVSIANI, DE PLVRImorvm beneficiorum vſurpatione, Patroni & Canonici Dialogus.

CANONICVS.

Pſa.67. QVoniam me peccatorē grauem intueor, quid mirum ſi per meipſum Deum iudicem iuſtum accedere vereor, ne fortè quemadmodū fluit cera à facie ignis, ſic peream ego peccator à facie Dei? ad quem ergo fiducialiùs tutiúsq; confugiam, niſi ad te, ô beate huius collegij venerandi patrone ſancte N. P. A. Quis nam es tu? CA. Cur Dominus meus ſic loquitur ſeruo ſuo, quaſi huius ſuæ eccleſiæ canonicos non agnoſcat, & quaſi ſolo ſit nomine, non reipſa, patronus noſter? P. Neſcis ſupernæ gloriæ ciues Domino Deo ſuo tam omniquaq; conformatos, vt quos ipſe ignorat, ignorēt & ipſi: quos ſcit ipſe, ipſi quoque ſcire credātur? Porrò impios & iniuſtos, carnales & negligētes, idcirco neſcire aſſeritur Deus, quia eorū damnabilē nō approbat vitā, quibus & in die
Luc.13. dicet iudicij, Neſcio vos, diſcedite à me ope
Matt. 7 rarij iniquitatis Iuſtos verò cognoſcit, quo rum

rum vitam approbare cenſetur. Quid ergo miraris, ſi me te ignorare profitear, cuius mihi conuerſatio diſplicet vehementer? Atqui ſicut tu nomine non vita canonicus es, ſic ego nomine, non re, tuus dici poſſim patronus. Inſuper qua fronte me tuum appellas patronum, qui alterius quoque collegij, aut certè plurium te eſſe canonicum gloriaris? Nunquid plurium capitum, diuerſorũ prælatorum non ſubordinatorum, variorum itidem corporum myſticorum, poteris eſſe membrum aut ſubditus? C. Væ miſero mihi, & heu miſerum me, quia quem patronum & excuſatorem inuenire ſperabam, non niſi accuſatorem & reprehenſorem reperio. Et ecce ſolo nomine me eſſe canonicum conteſtaris, cùm pondus feram diei & æſtus, quotidie viſitans chorum, orans, cantans ac celebrans. Præterea cur ſuper pluralitate beneficiorum me increpas, cùm iam viri doctiſſimi in omni ferè facultate promoti, pluribus ſint beneficiis dotati? Quod ſi vituperabile eſſet, atque damnabile, ab eis (niſi fallor) euitaretur. Et nónne expedit plures habere patronos apud altiſſimum, & per conſequens in pluribus eſſe præbendatum collegijs? PAT. Nónne in collocutionis huius exordio te *Mat. 2.*

Digitized by Google

grauem eſſe peccatorem clamaſti? Cur ergo ſuper re iſta cauſeris, quoniam nomine, non re, te canonicum eſſe redargui? An de illorum es catalogo, qui ſeipſos quidē accuſant: cùm verò accusātur, & corripiūtur ab alijs, indignātur & excuſare ſe moliuntur: cùm tamen in ſcriptura veritatis expreſſum ſit, Qui odit correctionem, veſtigium eſt peccatoris. Et qui abijcit diſciplinam, infelix eſt. Prætereà non aduertis quid canonici nomine deſignetur? Nónne canon regula interpretatur? Vnde canonicus quaſi regularis nuncupatur. Propter quod is tantùm ritè ac verè re ipſa appellatur canonicus, cuius vita iuxta ſanctorum patrum canones iuriſque regulas dirigitur, rectificatur, ac ducitur. An adeò excæcatus es mente, vt exteriorem ingreſſum ad chorum, vocalémque cantum, orationem, & celebrationem putes cuiquam ſufficere ad ſalutem? Nónne ingratum eſt ſpiritui ſancto, quicquid ei offertur, neglecto ad quod offerens obligatur? Nónne legiſti Bernardum hæc dicentem, quàm extremæ ſit impudentiæ, carnales & vitioſos canonicos, ſeu clericos audere ingredi ſancta ſanctorum, ſummíque regis ſe præſentari conſpectui: & pollutis labijs fontem puritatis ſupermundiſſimum laudare

Eccle. 21. *Sapien. 3.* *Bernard.*

dare Deum? Nunquid ſpecioſa eſt laus in ore peccatoris? Nónne peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Nónne qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius execrabilis erit? An non audiſti Auguſtin. loquentem, Quia plus placet Deo latratus canum, grunnitus porcorum, quàm cantus luxuriantium clericorum? Nónne de talibus per beatiſſimum Eſaiam locutus eſt Dominus: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me? Idcirco in vanum me colunt. Denique quid diuinus docuerit Dionyſius non aduertis? Nónne in pluribus ſcripſit locis, Quòd indignis miniſtris nefas eſt ſacra contingere ſymbola, vaſa ac ſacerdotalia ornaméta: Multominus profectò eſt eis licitum conſecrate, tangere, ſumere, aut alijs diſpenſare corpus & ſanguinem Saluatoris: quoniam deiformes atque mundiſſimos eſſe oportet in ſacris ordinibus conſtitutos ſacri altaris miniſtros. Hinc catholici concorditer dicunt doctores, vnumquemq; in ſacris cõſtitutum ordinibus, in omni actu cuiuſcunque ordinis ſacri peccare mortaliter, ſi indignè (hoc eſt in mortali exiſtens peccato) exerceat aliquem actum

Pſal. 49.
Eccl. 19.
Prou. 28.
Eſaiæ 19.

ordinis ſacri & calicem,& ſacras veſtes tãgendo, mortaliter peccat. Poſtremò plures habere apud Deũ patronos, vtique expedit,ſed non eo modo vt tangis,quin potius qui plura habet beneficia, quorum vnum ſimplici victui ac veſtitui ſufficit, nullum apud Deum habet patronũ in veritate, niſi pœniteat, cùm in ſtatu damnationis eſſe probetur. Dum item multorum capitũ,nõ ſubordinatorum vult eſſe membrũ ac ſubditus,nullus eorũ verũ eſſe mẽbrũ ac verus ſubditus demõſtratur. Quod autem de doctoribus plura beneficia habentibus opponis,nil valet, quia excæcat eos eorum malitia, eorum cupiditas, ambitio,negligentia,carnalitas, aut huiuſcemodi aliud vitium. Et vide quàm ſtolidè arguas. Nónne magis credendum eſt ſanctiſſimis patribus, excellentiſſimíſque doctoribus dudum in Chriſto defunctis, quorum doctrinam & vitam approbauit altiſſimus, & nunc vniuerſalis tenet approbátque eccleſia,qui ſcripſerunt, aſſeruerunt & docuerunt oppoſitum? Nónne electus Dei Bernard. cuidam illuſtri ſcripſit canonico: Quicquid de vnico tuo beneficio vltra ſimplicem victum & veſtitum tibi reſeruas tuum non eſt,furtum eſt,rapina eſt,ſacrilegium eſt? Nónne ſecundùm doctrinam

Thomæ

Digitized by Google

Thomæ de Aquino Gulielmi Patri Raimundi Ioan. Vlrici, & aliorum compluriũ qui plura beneficia habẽt, quorũ vnum ad ſimplicem victum veſtitumq; ſufficit, Deũ ſuæ priuant honorificentiæ cultu, matrem ſuam eccleſiam ſuis mutilant membris, ac detruncant ſuppoſitos pauperes eleemoſynis eis debitis, viuos ac mortuos ſuis ſuffragijs, fundatores ſuis intentis? Ecce quàm horribilia ſunt iſta. Cùm enim beneficium ordinetur ad officiũ nempe ad perſoluendum horas canonicas, ad orandum pro fundatoribus & vniuerſis his annexis, ad obſequẽdũ altiſſimo, ad tribuendũ quod ſupereſt indigentibus dum vnus plura beneficia habet, nec tamen niſi vnum officiũ ſoluit priuatur Deus reſiduis officijs, quæ ſuæ maieſtati exhiberentur ab his qui de alijs (canonici ſeu clerici pluribus beneficiati) poſſent beneficijs ſuſtentari. Similiter defuncti illorum priuantur ſuffragijs, & egeni eleemoſynis ſuis. CA. Vndique conuictum me cerno, concluſum me video, obrutum me fateor, idcirco conſilium auxiliũmque imploro, efflagito, & ſuſpiro. Veruntamen de hoc informari depoſco, quid iudicari debeat ſimplici victui veſtituíque ſufficere. Siquidem ad honeſtatem ſtatus noſtri multa pertinere ac exigi

gi dicimus & docemus: PAT. Quòd te ſuperatum fateris, atque remedium quæris commendo, conſiliũ & auxilium impartiri paratus. Porrò ad quæſitum reſpondeo, quòd veſtra aſſertio & doctrina multipliciter periculoſa & erronea inuenitur. Hoc igitur tibi reſpondeo, quòd quanto canonici plebi vulgari vocatione, gradu aut ordine ſacro ſunt altiores, tãto pariter & virtutibus ſpectantiores eſſe, & honeſtiores in vita tenẽtur. Honeſtas verò eccleſię nequaquam incurioſis, delicioſis, precioſis, ſuperfluis veſtibus, equitaturis, epulis, ornamentis, familia exteriori, ſæculariq́ue apparatu, ſed in decore conſiſtit virtutum. Et nimirum honor debetur virtuti, vtpote exhibitio reuerentiæ in ſignum virtutis. Id autem demùm verè honeſtum eſt, quod virtuoſum, Deoq́ue placitum comprobatur. Porrò quod carnalem prudentiam redolet, quod ſęculo huic cõforme eſt, quod carnem oblectat, abominabile eſt apud iudicem ſummum, ſi tamen Christo creditur, qui in Euangelio proteſtatur. Quod altum eſt hominibus, abominabile eſt apud Deum. Qui iterum loquitur: Væ vobis diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis. Væ vobis qui ſaturati

Rom. 8.
Lucæ 16.
Lucæ 6.

rati eſtis, quia eſurietis. CAN. Et quis poterit ſaluus fieri, præſertim ex numero noſtro, quia quotidie delicatè vſque ad abũdantiam conuiuamur, vino implemur, & inter epulas confabulamur, ridemus & ludimus, diu quoque ſedemus ad menſam, & vix ieiunia obſeruamus eccleſiæ? PAT. Si non credis Grego. aſſerenti: Quia quod fouet carnem, necat ſpiritum: ſaltem Paulo crede apoſtolo, qui affirmat: Qui autem ſunt Chriſti, carnẽ ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Item: Neque auari, neque cupidi, neque fornicatores, neque elati regnum Dei poſſidebũt. Crede & incommutabili veritatis, quæ ait: Quàm anguſta eſt porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam? Quàm ſpatioſa porta & lata via quæ ducit ad perditionem, & multi incedunt per eam? CA. Si hæc ita ſe habẽt, pauciſſimos noſtrũ credo ſaluandos. Siquidem in vniuerſis quæ carnis ſunt volumus abundare, delicias, diuitias, honoréſque quærimus, diuinum officium agitanter tranſigimus, ita curſoriè legimus, oramus & pſallimus, & verba vix diſtincta proferimus. PA. Status veſter vniuerſus miſerabiliter eſt valdè, heu miſerum! corruptus, atque ad maximum lapſum vos deiecti. CON. Hoc mihi precor planius

Gregor.

Galat. 5.

planiùs pleniúsque exponas. PA. Diligenter aduerte ad quæ obligeris. Etenim inquantum es homo Chriſtianus, teneris ad Euangelica præcepta, ad cõmunia quoque præcepta Eccleſiæ, vt diſcas à ſaluatore, quia mitis eſt & humilis corde, corpúſque tuum in animæ redigas ſeruitutem, abſtinẽdo à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus animam. Amicos inimicóſque diligas pro perſequentibus te exores, odientibus te & mala faciẽtibus tibi benefacias, omnẽ deinceps ſuperbiã, irã inuidiã, gulã, incontinentiã, auaritiã, accidiã, &c. vniuerſa peccata mortalia vites, cum metu & reuerantia ſeruias Deo, cũ timore & tremore tuam opereris ſalutem. Nec ſolùm pręfata fugias vitia, ſed etiã oppoſitis eis virtutibus decoreris, vt verè ſis humilis, manſuetus, ſobrius, caſtus, liberalis & alacer ad diuina atq; (quod omnibus eminet) toto corde, tota anima, tota mẽte, totíſque viribus diligas Deum, & proximum omnem ſicut teipſum: neminem ſcandalizes, om-
Mat. 11. nes, quantum in te eſt, ædifices, in patiã-
1. Cor. 9. tia tua poſſideas animam tuam, deliquentem charitatiuè corripias, opera miſericordiæ tam corporalia quàm ſpiritualia pro poſſe exerceas: habens victũ & quibus tegaris, his cõtentus ſit. Et in his perſeueres

res vſque in finem. Ecce ad iſta obligaris *1.Pet.2.*
inquantum Chriſtianus: Quia qui dicit ſe *Matt.3.*
in Chriſto manere, debet, ſicut ipſe ambu- *Heb. 12.*
lauit, & ipſe ambulare, cùm ipſe iubeat & *Philip.2.*
hortetur, Qui mihi miniſtrat me ſequatur. *1. Tim.6.*
CA. Ego his ritè penſatis nondum veraci- *Mat. 22.*
ter Chriſtianum eſſe me fateor & cogno- *Marc.12.*
ſco. Nihilominus, vt cordialiùs me humi- *Matt.18.*
liē & deplangam, ea quoque paucis mihi *Luc. 12.*
pandere digneris precor ad quæ prout ca- *& 13.*
nonicus obligor. PA. De hoc in decretali-
bus ſatis doceris: tamen vt memoriæ for-
tiùs imprimantur, cōpendiosè tangentur.
Sic enim in principio tertij decretalium
continetur: Vt clericorum mores & actus
in melius reformentur, continenter & ca-
ſtè viuere ſtudeant, vniuerſi, præſertim in
ſacris ordinibus cōſtituti, ab omni libidi-
nis vitio præcauentes, maximè illo pro-
pter quod venit ira in filios diffidentię, qua *1.Tim. 6.*
tenus in conſpectu omnipotentis Dei puro
corde ac mundo corpore valeant miniſtra
re: ne verò facilitas veniæ incentiuum tri-
buat delinquendi, ſtatuimus, vt qui com-
prehenſi fuerint incontinentiæ vitio labo-
rare, prout magis aut minus peccauerint,
puniātur ſecūdū canonicas ſanctiones quas
efficaciùs & diſtrictiùs præcepimus obſer-
uari, vt cùm diuinus timor à malo te non

reuo

Digitized by Google

reuocat, temporalis ſaltem pœna coërceat à peccato. Si quis ergo hac de cauſa ſuſpenſus præſumpſerit celebrare diuina, nō ſolùm eccleſiaſticis beneficiis ſpolietur, verumetiam pro duplici culpa perpetuò deponatur. Prælati verò qui tales præſumpſerunt in ſuis iniquitatibus ſuſtinere, maximè obtentu pecuniæ vel alterius cōmodi temporalis pari ſubiaceant vltioni. A crapula & ebrietate omnes clerici abſtineant

Col. 3. diligēter. Vnde vinū ſibi tēperent, & ſe vino, nec ad bibēdum quiſpiā incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat exilium & libidinis prouocet incendiū. Vnde illum abuſum penitùs decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligāt potatores, & ille iudicio taliū plus laudatur qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit (niſi à ſuperiore commonitus ſatisfecerit) ab officio vel beneficio ſuſpendatur. Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant, maximè inhoneſta. Mimis ioculatoribus & hiſtrionibus non intendant, & tabernas prorſus euitēt, niſi fortè cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis interſint. Coronam, & tonſuram habeant

Digitized by Google

beant congruentem, & ſe in officijs eccleſiaſticis & aliis bonis ſtudijs exerceant diligenter: Clauſula deferant deſuper indumenta nimia breuitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, necnon manicis aut ſotularibus conſutitijs, frænis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus non vtantur. Fibulas omnino non ferant neque corrigia argenti vel auri ornatum habentes, ſed nec annulos gerant, niſi quibus competat ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico & in eccleſijs ſuper indumentis lineis omnes vtantur niſi monachi fuerint, quos oportet habitum ferre monachalem. Clerici arma portantes, & vſurarij excommunicentur. Si quis ex clericis comam relaxauerit, anathema ſit. Monaſteria ſanctimonialium ſi quiſquam clericus ſine manifeſta & rationabili cauſa frequentare præſumpſerit, per epiſcopum arceatur. Et ſi non deſierit, ab officio eccleſiaſtico reddatur immunis. Si laici excommunicationi ſubdantur à cœtu fidelium fiant penitùs alieni. Si quiſquam ſacerdotum (id eſt preſbyter, diaconus, ſubdiaconus) de quacunque fœmina habeatur crimine fornicationis ſuſpectus, ſi poſt primam, ſecundam,

& tertiam admonitionem inueniatur fabulari & aliquo modo conuerſari cum ea, excommunicationi ſubdatur. Fœmina verò canonicè iudicetur. CAN. Intellectis his quæ commemorare dignatus es, in ſummo me eſſe conſtitutum periculo luce clarius apprehendo. Nec etenim viget inter nos diſciplina, nec regularis obſeruantia vlla. Nunc ergo quod mihi impendis conſilium? PA. Quod aliud, niſi vt pluralitati beneficiorum renuncians, cum vno competenti ſis poſthac contentus, & ea quæ tetigi, ad quæ (ſiue vt Chriſtianus, ſiue in quantum canonicus) obligaris obſerues? CANO. Non video qualiter ea in collegio iſto & inter canonicos perſeuerans, valeam adimplere, cùm ſcriptum ſit: Cum peruerſo peruerteris. Et: Qui tetigerit picem inquinabitur. Et: Qui communicauerit ſuperbo induet ſuperbiam. Et: Qui ſe iungit fornicariis, erit nequam. Denique ergo ipſe adhuc imperfectus & fragilis, imò paſſionibus & vitijs plenus, quomodò inter carnales & prauè viuentes conuertibilis ero & Deo inauertibiliter adhærebo, & non potius mox vndique flectar, deiiciar, & peribo? Imo niſi canonicis meis me conformem, ab eis irridebor. PAT. Veræ ſapientiæ radius

ful

Digitized by Google

fulget iam tibi, & ſpiritus ſanctus, qui vbi vult ſpirat, ad ſalubrem conſiderationem te erigit. Idcirco finaliter conſulo tibi vt pericula fugiens, ciuitatem refugij petas ad tutiſſimũ monaſterij portum feſtines, ſacram intres religionẽ, in qua tot habeas adiutores in bonis, quot fratres & ſocios religionis. Hoc quoque agnoſcas, quia portabilius eſt à prauis hominibus derideri, quàm ab altiſſimo iudice reprobari, & in æternum confundi. Can. Tibi, ô ſancte patrone, gratias ago immenſas, & deuotiſſimè atque humillimè obteſtor quatenus gratiam & virtutem adimplẽdi ſaluberrimum tuum cõſilium mihi à Domino impetrare digneris. P. Ego non ero immemor tui. Tu quoque quod in te eſt facere non omittas, & mecum pariter ora tuum ac omnium ſaluatorem. Qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis & benedictus. Amen.

PROTESTATIO SEV

teſtamentum quoddam Chriſtiano cuilibet iamiam morituro, vel dictu, vel cogitatu non inutile.

IN nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Ego N. infellix peccator, redéptus pretioſiſſimo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti idque per magnam ipſius erga me dilectionem, non meum meritum, fateor & agnoſco publicè vel chirographo hoc, vel verbis meis, coram omnipotente Deo, coram omni qui in cælo ſunt exercitus, corámque vobis quotquot hîc vt teſtes (ſi res exegerit) circunſtatis, quòd ego ſum ac morit volo verè obediens ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ filius, quemadmodum ſyncerè Chriſtianum decet. Credóque & fateor generatim omnes & ſingulas partes ſeu articulos fidei Chriſtianæ, quibus credendis vnuſquiſque Chriſti fidelis obnoxius eſt, præcipuè vniuerſas particulas in duodecim articulis fidei Chriſtianæ vel apertè expreſſás. vel rationabiliter incluſas, ſecundùm quod à ſpiritu ſancto per duodecim Apoſt. veritate euangelica nobis

bis traditi ſunt. Ad hæc credo & adhæreo illorum interpretationibus ſiue declarationibus, non quorumuis, aut quibuſuis, ſed iis quæ per ſanctos patres editæ, à ſanctiſſimis conciliis receptæ, admiſſæ, approbatæ, cõfirmatæque ſũt. Et, vt breuiter dicam, credo quicquid verè chriſtianus credere debet In tam immobili támque firma fide gaudeo ego ex toto corde mori, tenens ac offerens hanc ſcripturam in manibus meis tanquam munitiſſimum & inuictiſſimũ aduerſus omnes inſultus, inſidias ac fraudes diaboli ſcutum. Et ſi (quod Deus auertat) fieret, vt ego impugnatione diaboli aut violẽtia ægritudinis quicquã aduerſus prædicta cogitarem, loquerer, facerem aut in aliquid perfidiæ, diffidẽtiæ ſeu deſperationis caderẽ, hoc qualecunque futurum eſſet, reuoco hìc nunc in veſtra omniũ præſentia, tamq; irritum facio, quàm facerem ſi cõpos mentis eſſem. Propter hoc appello vos omnes quicũque hìc præſentes eſtis, téque ſancte angele, cuius cuſtodiæ ego traditus ſum, vt huius proteſtationis coram omnipotente iudice teſtimonium feratis. Quod verò in me eſt, ignoſco & remitto omnes iniurias mihi quomodocũque irrogatas: id ipſum petẽs mihi fieri ab his, quos vel verbis vel factis

vnquam offendi. Petóque & ex toto corde deſidero, particeps fieri omnium bonorum operum, quæ à ſanctis hominibus per totam eccleſiam vel facta ſunt hactenus, vel adhuc fient: præcipuè autem amariſſimæ paſſionis & innocẽtiſſimæ mortis domini noſtri Ieſu Chriſti: Et mea naturalis ac voluntaria mors, ſtet pro omnibus peccatis meis. Atque vtinam neque contra Deum, neque contra leges eius, neque cõtra ſuperiores, neque cõtra proximum aut meipſum vnquam peccaſſem. Poſtremò gratias ago omnipotenti Deo pro omnib. beneficiis ipſius mihi exhibitis, commendóque corpus & animam in manus eius & in amaritudinẽ paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti, cui laus & honor & dignitas in perpetuum.

Amen.

AD

AD MVNDI CONTEMPTVM EXHORTAtio elegiaca.

DE numero æthereæ quiſquis cupis eſſe palæſtræ,
Principe ſub Chriſto degere militiam.
Huc precor obtutu figas tua lumina & ora,
Ac priſcos ſanctos contueare viros.
Feruor apoſtolicus & diſciplina prioris
Eccleſiæ hos fecit linquere cuncta fuga.
His pertæſa quidem conſortia chara parentũ &
Coniugia, ac mundi dulcia, & illecebræ.
Hos diuinus amor fructus radice beata
Ferre bonos fecit, & vigilare Deo.
His crucifixus erat mundus, deſerta petebant,
Quo magis immundi dæmonis arma fugent.
Hos, Deus omnipotens, tua gratia miſſa supernè
Luſtrat, & irriguo creſcere fonte facit.
O bone Chriſte Ieſu, quantos peperere triumphos
Hi tibi dilecti mellifluique viri.
O tibi quas grates horum vice promit Olympus,
Quáſve chorus laudes concinit angelicus.
Illorum metuende pater prece, reſpice vultu
Me miſerum placido, fac placeámque tibi.

IN D. DIONYSII Carthuſiani laudem, Tetraſtichon.

Nobile Carthuſij Dionyſius ordinis olim
Et decus & ſplendor, nil niſi ſacra crepat.
Hæc Loër excipiens Theodoricus omniá; tandem
Præſtitit, vt volitent docta per ora virum.

FINIS.

DE VIA SALVTIS AETERNAE.

* * *

LIBELLVS PRISCI CVIVSDAM RELIGIOSI AD VIRtutis amorem, & vitij deteſtationem plurimùm conferens.

Bibliopola ad Lectorem.

HVnc libellum in ſchedijs manuſcriptis, quæ nonnullam præferebant antiquitatem, inuenimus. Auctor ſuum nomen non appoſuit: id modeſtiæ cauſa arbitramur factum. Cùm librum doctis & pijs viris oſtendiſſemus, magnam nobis de eo ſpem præbuerunt, fore vt & placeret, & prodeſſet lectoribus. Acutis enim quibuſdam ſententijs conſtat, quæ mirabilem vim habent ad virtutis amorem, vitiique deteſtationem ingenerandam. Alterum Senecam dixeris. Hoc exiguo munere, Lector, fruere.

*

Digitized by

INCIPIVNT CAPITVLA LIBELLI DE VIA SALVTIS ÆTERNAE.

DE ſcientia & doctrina diligendi Deū. cap. 1.

De ſcientia & doctrina conuertendi peccatorē ad Dominum, & vt à peccati macula per confeſſionem mundetur. cap. 2.

De ſcientia & doctrina fugandi metum mortis, eámque faciendi ſalubriter prouideri. cap. 3.

De ſcientia & doctrina perueniendi ad humilitatem. cap. 4.

De ſcientia & doctrina perueniendi ad patienciam. cap. 5.

De ſcientia & doctrina diligendi proximum. cap. 6.

De ſcientia, doctrina, & exhortatione virtutum. cap. 7.

De diaboli malitia aduerſus humanam naturam, cuius actualis conſideratio vires noſtras roborat, ſuáſque debilitat. cap. 8.

Digitized by Google

De ſcientia & doctrina aduerſus diabolicas tentationes. cap. 9.
De bonorum temporalium qualitate, quorum notitia tentationes mundi fugat. cap. 10.
De cauſis ex quibus peccata generantur, virtuteſque corrumpuntur. cap. 11.
De damno & periculoſo progreſſu peccatorum. cap. 12.
De redargutione & deteſtatione peccatorum, eorùmque conditionibus. cap. 13.
De pœna peccati peccatorem in iſto mundo cruciante, & de comminatione pœnæ futuræ. cap. 14.

PROOE-

PROOEMIVM EIVS-
dem libelli incipit.

HÆc eſt via ſalutis æternæ, primò ſcire Domini voluntatem, quid ei placeat, quid ve ei diſpliceat diligenter inquirere, quia impoſſibile eſt illi placere, cui, quid placeat, ignoramus, quod fidelis ſcriptura non tacuit, dum nobis peccata & merita reſerauit, vt ſciremus quibus modis offenditur Deus, & quibus modis placatur offenſus. Verùm, tunc vtilis eſt ſcientia ſcripturarum, cùm in actum tranſit, ſeque rebus approbat non verbis dicente veritate, Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Hinc eſt, quòd per prata nonnullorum librorum,

Digitized by Google

compendioſo tramite percurrens certos electiſſimos flores legi, hominibus ſalutis viam palpabiliter indicantes: quos ſub rubricis iſtius libelli ſuo ordine collocaui, vt ex quotidiana horum lectione, verbi Dei tonitruo torpens animus & in terra proſtratus excitetur, &ad cæleſtia virtuoſis operationibus ſubleuetur.

De

Digitized by Google

De ſcientia & doctrina diligendi Deum.

CAPVT I.

AMor Dei incendit cor, comburit vitia, augmentat virtutes, terrenos exuit mores, & fugat triſtitiam.

Commenda te Deo, & dic illi, In manibus tuis ſortes meæ. Nã paterna, & pluſquã paterna de te ei cura eſt, lõgè maior, quàm tibi de te ipſo. Cõtemnere omniã pro vita æterna non eſt magnum, quia qui contemnit ſeu vendit hoc ſæculum pro futuro, vtrumque habebit. Nam ſapiens reputat omnia velut ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat, & omne aurum cum vulneribus Ieſu Chriſti permutare non formidat. Ac demũ omnia contemnit, quæ poſt mortẽ habere non poteſt. Deum qui diligit, ſperat vitam æternam, ſpernítque quæ retrò ſunt, & in anteriora ſe extendit, cui noxium eſt retrò reſpicere: Deus nõ inuenitur niſi intra ſe. Vnde ſapiens quærenti Deum, ait: Quod quæris, intus habes. Deus omnibus pretijs vænalis eſt. Nam tantum valet, quantum habes: nil tam carum in ſe, nil viliori pretio emitur. Eme ergo Deum quando eſt parui pretij. Nam bonum pretium de crumena argentum trahere ſolet.

Digitized by Google

Immenſa ſuauitas illa fuit, quæ nec amaritudine ſuperatur, nec alia dulcedo ei adæquatur: Andreã ardentẽ currere fecit ad crucẽ: dulces Stephanum lapides reputare torrentis. Laurentio carbones ardentes in refrigerium commutauit Petro ſuauẽ reddidit crucem: ſpiculatori Paulum lætanter extendere fecit ceruicem. Bartholomæũ ſuſtinere fecit ſuauiter, corium à carne diuelli. Interno gemitu pulſemus aures Domini, & non negabit nec differet petitiones noſtras. Nam Dominus neſcit differre quæ compuncto corde ſibi ſenſerit ſupplicare. Dare enim Deus deſiderat. Ex quo nos monet petere. Vnde illud, Petite & dabitur vobis. Inuiſibilia Dei à creatione mundi per ea quæ facta ſunt intellectu conſpiciuntur, ſecundùm Apoſtolum ad Roma 10, cap. Et ſic mundus iſte quodammodo alterius pictura eſt. Mirabilia quotidie Deus facit in omnibus creaturarum motibus, quę conſuetudine quotidiana viluerunt, & omnia quæ fecit & facit, nos incitant ad amandum eum.

Neſcio quid incorporaliter & ſpiritualiter in nobis facit Deus, quod ſine lingua & labijs formatur & abſque ſtrepitu, eius dulcedine tenemur, & neſcimus quid illud ſit, quia ſonus nõ eſt qui aurẽ percutiat, nec color

color qui oculis diſcernatur, nec odor qui naribus capiatur, nec ſapor qui faucibus iudicetur, nec durum ſeu molle quod tangendo ſentiatur. Et tamē aliquid eſt, quod ſentire facile eſt, ſed explicare impoſſibile. Sentitur ſicut dulciſſima confabulatio Dei cum anima, qua dulcedine indicibili quodam iocoſo ioco ludere videtur: Deus cū filijs hominum, à quibus dum teneri putatur è manibus elabitur, & inſectatus apprehendi ſe patitur, & diſparens rurſus nō videtur, donec denuò lacrymis & precibus reuocetur. Facit prætereà Deus ſicut vini proclamatores, qui parum vini ad guſtandum præbēt, vt prægustata vini dulcedine ingrediantur tabernam, ibique ſe expoliēt vt bibant. Nam ſuauitas Dei à guſtante diligitur, quę à non guſtante tanquam incognita faſtiditur, & qui ſemel eam guſtauerit, iterum pluries eſuriet & ſuſpirabit ad illam, etiam ſi ſciret ſe damnandum, quia ſaltem hic Deo frui ſtuderet, quo ſe ſciret alibi cariturum. Guſtato enim ſpiritu deſipit omnis caro. Nihil timere præter Deū tuta res eſt quia timens Deum non ſubditur timore ſeruili, ſed deuotione. Nam timor Dei fugat peccata, introducit virtutes, reddit animum ſtabilē. Aliter animus ſine timore eſt ſicut nauis ſine anchora & gu-

Digitized by Google

bernaculo, ſeu cuius gubernaculum fractum eſt, & tunc illuc ducitur quò tempeſtas impellit. State ergo in timore Dei, & ſtabitis: requieſcite in eo, & quieti eritis. Per applicationem vulnerum Chriſti, figuratur nobis quòd apertis ianuis ad eum ſine obſtaculo ire poſſumus. Quis pugilem ſuum de victoria redeuntem aſperſum ſanguine, liuidum, foſſum & vulneratum, in domo ſua gratanter non reciperet? aut ei cum honore nõ occurreret? O fratres chariſſimi, occurramus ei, & vadamus ad eum per rectiſſimam & breuiſſimam viam, qua ſequuti ſunt eum veri martyres ſui, nam martyrem non facit paſſio, ſed voluntas. Plus crede Deo, quàm ſenſui tuo. Nam in ſacramento altaris, conficitur ipſum verũ corpus Chriſti quod Iudæi crucifixerunt, & ſanguis quem effuderunt, ipſumq; manducat communicans, inuiſibiliter tamen præ dulcedine mellis, quod viſus ſummè diligit, illud lambit etiam ſuper ſpinas. Præferendus eſt ſemper donator dono: exemplo Abrahæ. Nam probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Pulſa ad oſtium Dei importunè, ac ſi à tergo hoſtis inſtaret, & cogita, ſi quid portas, quia ſolet audacter pulſare qui portat.

Quic

Digitized by Google

Quicquid agimus, appetimus, ſeu omittimus, amore & timore Domini agamus, appetamus & omittamus. Qui vult manna diuinæ conſolationis cibari, relinquat farinā Ægypti, quia mundanis implicitus Deum nō capit, nec diuina. Quoties in corde noſtro aliquid de diuinis dogmatibus inſpiratur: toties oſcula à ſpoſo nobis data eſſe credamus, & tūc quādo gratia peruernit. Deus nobis ad credentiā vendit. Si aliùs attendis, terrena ad te non pertinere cognoſces & cæleſtibus inhiabis. Sicut aurora indicat ſolem & eum præcedit, ita amor proximi indicat amorem Dei, eiúſque nuncius exiſtit. Nam per charitatem proximi fit aſcenſus ad charitatē Dei: ſicut canis recluſus ſemper ſtat ad oſtium *adlatrando* & vnguibus *pulſanus*, ita in iſto ergaſtulo exiſtentes ſtemus ad portā ſcilicet ad pedes Ieſu Chriſti crucifixi, qui verè eſt porta, per quam intratur ad paradiſum, & *adlatremus* orationibus pro liberatione noſtra, atque vnguibus *pulſemus* per bonas operationes. Sicut puer à quocunque verberatur, vadit ad matrem flendo, ita nos peccatores percuſſionē peccati ploremus ad Dominum, quia multos à limine tartari paucæ piæ lacrymæ reuocarunt. Sicut ſtulta amorum anxietas nō ſinit hominem dor

dormire, ſic amor Dei non ſinit hominem torpeſcere. Si nō meruiſti vitam æternam, ſcias quòd multis data eſt gratis & dabitur, dummodo eam reuerenter implorent, quia nōnunquam pius & miſericors Deus remunerat ex miſericordia quos damnare poteſt ex iuſtitia.

Triplex eſt oratio, corporalis, mentalis, & ſupernaturalis. Per corporalem venitur ad mentalem, & per mentalem, ad ſupernaturalem. Nam corporalis actus compūctionem adiuuat ſine qua non opitulatur oratio, quia qui non habet cōpunctionem, non habet mundam orationem. Vas quod ad ignem ponitur ſine operculo, minus citò bullit, coopertum verò citiùs in calorem vertitur: ita & cor hominis volentis de Deo cogitare, ſi ſenſus corporis reſtringantur citiùs inflammatur, aliter ſemper frigeſcit. Vnde Beatus ait, cùm ad orandū Eccleſiam vel cubiculum intraueris, fluctuantium cogitationem tumultum exteriùs relinque, & eſto ad orationem intentus, ſicut faber tendit ad opus vt malleo rectè percutiat. Viatores ſolent vnum pręmittere qui prouideat de bono hoſpitio, ita eorum exemplo ſi ad requiem tendis, præmitte orationem & eleemoſynā, quia ſunt infallibiles nuncij.

Chri

Digitized by Google

Chriſti iugo quid ſuauius, quidve lenius. Bonum velle, ſcelere abſtinere, amare omnes, odiſſe malum, æterna conſequi, præſentibus non capi. Nam qui tale iugum portat, non tam iugum portat quàm portatur à iugo, & demùm ſicut cibus delectabilior eſt ei qui eſuriuit, & potus ei qui ſitiuit, & ſomnus ei qui vigilauit, & palma ei qui bellauit, & ſanitas ei qui diutiùs ægrotauit, & portus vel terra ei qui per mare diutiùs permeauit: ſic delectabilior erit cœleſtis beatitudo ei qui verbum Dei eſuriuit, atque ſitiuit, quique ſuper ſui cuſtodia vigilauit, & contra Diabolum bellauit, laboresve corporis & animæ pertulit.

De Scientia & doctrina conuertendi peccatorem ad Dominum, & vt à peccati macula per confeßionem mundetur.

CAPVT II.

ANcilla quę domum purgat, immũdicias prius in vnum cumulum cõgregat, vt poſtea faciliter emittat, tenuiſſimas etiam pulueres purgat. Cuius exemplo, dum confiteri debemus, priùs cum cordis contritione omnia peccata meditari & ad memoriam reducere debemus, & poſtmodum groſſa & minuta ſic cumulata extrà, per perfectã confeſſionẽ mittere. Commi-

nationes Dei dum indicant amorem Dei erga nos, etiam prouocant nos ad emēdationem vitæ. Nam niſi amaret nō comminaretur, ſed feriret, cùm nunquam deſint multæ & graues feriēdi cauſæ. Deus enim nunc min s, nunc plagis, nunc reuelationibus quoſdam concutit, vt qui voluntate corrigi deſpiciunt, terroribus corrigantur. Nam ſicut humana conſuetudo verbis loquitur, ita diuina potentia factis. idcirco tonitruis, muribus, furibus & ſimilibus, hìc infeſtā vitam agimus, vt diſcamus alteram optare, atque illuc animū habeamus vbi nec tonitrua, nec mures, nec fures, neq; araneæ, neq; damna, neque tædia vlla ſunt. Confeſſio facta timore mortis nō tantum Deo grata exiſtit. Culpa peccati ſenſus corporis hebetat, quia per confeſſionem purgata ſanitas ſenſibus reſtituitur. Deus non tardat intrare cor noſtrum, niſi quia ei negligimus aperire. Differentia eſt inter iudicium humanum & iudicium Dei, quia in iudicio humano confitens condemnatur, ſed in iudicio Dei abſoluitur: iniquus non ſolùm in Deum ſed in angelum ſibi datum ad cuſtodiam, qui conuerti ad Deum recuſat & confiteri non vult. Multos ſolet ſerotina pœnitētia decipere. Anceps enim & periculoſa eſt dilatio huiuſ

iuſmodi, quæ plurimos fallit. Nam Deus, qui pœnitenti veniam promiſit, differenti in craſtinum non ſpopondit.

Nemo poteſt nouam inchoare vitam, niſi omnino priùs pœniteat. Nam ſicut in prægnante, mutatio guſtus, ita in verè cõuerſo & cõtrito. Deinde quia quanta præceſſit in opere delectatio, tãta debet eſſe in cõpunctione amaritudo. & tunc facta mutatione culpabilis delectationis cũ huiuſmodi amaritudine, fortior erit atque pulchrior; ſicut auis mutatis plumis. Non erubeſcit Deus mutare ſententiam, ſi peccator mutat conſcientiam. Nouũ vinũ nõ quieſcit, donec emiſit omnes ſordes per orificium dolij, ſic qui habet ſordes peccatorum, in anima quieſcere non poteſt, donec eas extra per confeſſionem emiſerit. Nunquam eſt ſera conuerſio, quia vſque ad extremum vitæ ſpiritum liber eſt animus. Nam latro de cruce tranſiit ad paradiſum. Peccatum in homine eſt, ſicut putredo in pomo, quæ totũ pomum inficit, & ſicut lepra in leproſo, quæ eũ corrumpit. Per cõfeſſionem homo gratis Deo ſeruit, & vita ei fit magis pacifica atque iocũda. Periculoſum eſt infirmo demùm medico infirmitatem aperire, quando medicinæ tempora tranſierũt, ſic differenti in finem

con

Digitized by Google

cõfiteri. Periculoſum eſt ſuam redemptionem differre in tempus, quo quaſi tota cõſumpta erit pecunia, qua deberet redemptio fieri. Plerunque linguæ officium perditur in morte, vel plurimis impedimentis moriens circundatur, quominùs confiteatur. Puniatur peccatum à te, ne puniaris ab illo, & iudicem te habeat, non patronum. Nam propter peccata plerunque etiam in iſto mundo punitur peccator, maximè quia infirmitates incurrunt. Vnde illud; Vade & non ampliùs peccare.

Qualem conſcientiam erga Deum habes, talem ipſe ſe tibi exhibebit: quanto magis expectat Deus vt emendemur, tanto ſeriosiùs vindicabit ſi neglexerimus. Ideò eius longanimitatem nemo debet negligere, ne ex iudicij prorogatione duriorem reportet ſentẽtiam. Quicquid malè differtur, pœnis omittitur. Nam benè agere perpetuò cogitas, & nunquam benè agere incipis. Qui differt cõfeſſionẽ, minus diligit animam ſuam quàm calceos ſuos, quos ſæpiùs tergit. Qui differt curare membrum læſum, incurret periculum aliorum membrorum. Qui in peccato manet, in terra hoſtium habitat vitreis armatus armaturis. Sicut ex dilatione computationis multa obli-

niſcun

uiſcuntur negotiatores, ſic ex dilatione confeſſionis multa obliuiſcuntur peccata peccatores: ſicut exitus in naui neceſſe habet aquam intrantem nauem euacuare, ipſámque nauem exeuntem in periculo alleuiare ne ſubmergatur, ſic peccata opprimentia animam ſuam deponere debet; ſicut qui aërem attrahit, neceſſe habet illum emittere, aliter ſuffocatur: ſic peccator niſi peccatum ſuum cõfiteatur. Si diabolus veniret ad capitum confeſſionis, impetraret indulgentiam & remiſſionem. Si homo habeat pondus ſuper humeros, currit velociter ad locum vbi poſſit ſe exonerare, ſic qui peccatorum pondere premitur, ad confeſſionem currere debet. Si tute accuſabis, Deus te excuſabit, & è contra. Vnde pſalmus, Dixi confitebor. Bona tua narrare non potes, ſaltem, vt iuſtificeris, mala tua narrare non omittas. Venenoſum atque mortiferum viaticum depone dum vacat, dúmque eſt qui illud tollat ac deleat.

De ſcientia & doctrina fugandi metum mortis, eámque faciendi ſalubriter prouidere.

CAPVT III.

ASpice vt qui alieno imperio parẽt, ſubitò longum iter agere iuſſi, ſolliciti & triſtes complicandis ſarcinulis inhiant,

Digitized by Google

& queruli ſunt quia pridem eis anima non fuerat, indignantesque abeunt, & ſe in tergum verſi nunc hoc, nunc illud obliuione vident ſe omiſiſſe. At tibi mors prænunciata fuit à die natiuitatis tuæ, & in lõgum iter es profecturus: nulla quippe via longior quàm mori, nulla durior, nulla infeſtior, nulla ſecurior, nulla ſuſpectior, nulla incertior. Vnde attentiùs eſt præuidenda. Ne quis autem mortem obliuiſcatur quia incurabilis, irremeabilis via eſt; iter neceſſarium, impoſſibilis reditus: & quod viatoribus cæteris licet, literis aut amicis oblita committere, tibi poſtquam ſemel pes lapſus fuit, non licebit.

Crede mihi quòd in hoc tam vario & immiti fortunæ regno, qui benè præmoritur comitem fallit, & vtique de te ſpero quòd cùm tranſieris, miraberis timuiſſe. Credo initiis mortis, videlicet doloribus, infirmitatibus & caſibus aduerſis, tandem mors veniet in propria perſona. Cùm in cunctis rebus prouidẽtia neceſſaria ſit, tamen in iis maximè quæ ampliùs quàm ſemel fieri nõ poſſunt, in quibus error vnus vbicũq; pes lapſus fuit, incurabiliter irremediabiliter ſit perpetuò cruciandus, quia neglecta hora mortis, alia non redibit in qua reparatio huiuſmodi fieri poſſit. Diſce

vi

Digitized by Google

viuens mori, & quod non niſi ſemel fit ſæpiùs experiere, facies tandem ſecurus ſemel quod tam ſæpè tentaueris. Nil enim noui facies. Nam ſi antequam mors veniet eam tibi familiarem feceris, non horrebis venientem, quia ſemper paſſio mortis facilior ſequeretur, ſi cogitatio præceſſiſſet. Dum infirmaris, ſepoſitis in terra curis aliquid cogita de ſepulchro. Inopia rationis metum mortis inducit. Si quid enim in morte mali eſt, id ipſum metus mortis exaſperat. Meſſoris tui manũ benè viuendo ſecurus expecta, & interim contrahe ſarcinulas, téque ad migrandum para. Mors inter indifferentia numeratur, nunc mala, nunc bona pro qualitate moriẽtium ſanctorum precioſa, peccatorum verò peſſima Mundum ſuſtine velut carcerem vel exilium ſicut verè eſt.

Nil damnoſius in humanis, quàm Dei, ſuíque ipſius & mortis obliuio, quæ tria ſic connexa ſunt, vt nequeãt, diſſolui. Omnis dies eſt cretica, quam medici ſeruari mandant diuinationem expectantibus quibus expedit ſub pannis ſtare reſtrictos, Sic cùm omnis homo terminum huius vitæ, quolibet die, & quolibet inſtanti expectare poſſit & debeat, ſtet reſtrictus ac timidus ſicut peccator : & non ſibi

debet longa ſpondere ſpatia vitę,quia malè ſolent viuere qui ſibi longa promittunt ſpatia vitæ.

Permaximè Deus miſericorditer egit cum humano genere,dum corpora noſtra fecit mortalia. Poſſes quidem huius vitæ exitum non timere, ſi alterius ingreſſum ſperare poſſes aut optare,omnibus ritè diſpoſitis: reſtat vt non gaudeas ſicut credis, ſed vt moriaris,ſicut nō cogitas, ſi diu viuere delectat: illam vitam quære in qua ſemper viuitur,quæ & ſi hîc non ſit, hîc tamen quæritur,& vtile inuenies,ſi ſtatum in quo decedere nolles,horrebis.

Vis metu mortis perpetuò liber eſſe?benè viue, & eam ſemper cogita. Nam vita laudabilis mortem ſpernit, ſæpéque etiam eam cupit. Vnum remediū aduerſus mortis timorem eſt,vt parati vos ſitis ſemper reſpondere vocati, & iuſſis obtemperare, vt compoſitis omnibus ad primum ducis imperium,illud iter alacriter agere valeatis, quod vtique nobis lætis aut triſtibus peragendum eſt.

De ſcientia & doctrina perueniendi ad humilitatem.

CAPVT IIII.

ALiis ignoſcito,tibi nūquam, ſed circa vitam tuam auſterus eſto,circa alienā be

benignus. Canis locum doloris lingere nõ ceſſat, ſed ſemper oculum habet ad plagam ita & tu peccator palpa, & vide loca doloris culpę & peccati in anima tua, faciásque capitulum tibi ipſi, quia recognitio culpę eſt apud Deum impetratio veniæ. Nam ſignum eſt turpitudinis ſe minimè velle videre. Cogitemus de Deo quicquid boni poſſumus, & plura credimus quàm cogitare valeamus. De proximo verò cogitemus ſemper benè, & de nobis quicquid mali poſſumus. Conſcientia ſerui Dei humilis eſſe debet & triſtis, vt per humilitatem non ſuperbiat, & per mœrorem cor non diſſoluat. Contemne gloriam & eris glorioſus. Corporalis labor dux eſt humilitatis, & iter ad tranquillitatem. Cùm igitur tantum bonum afferat, nullus labor difficilis iudicandus eſt. Culpa hominum effectum eſt, vt terra poſſeſſori ſuo non ſine labore reſpondeat. Non enim homo terrę, ſed terra homini ſeruire debet.

De illo te moneo, ne eorum more, qui non proficere, ſed conſpici cupiunt, facias aliquid. Dicit Dominus, Diſcite à me:non dicit, mundum fabricare, nõ cuncta viſibilia & inuiſibilia creare, nõ mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare, Sed, quia

mitis ſum & humilis corde. Eo pulchrior eſt humilitas, quo pluribus eſt obſeſſa ſuperbijs: fruſtrà ad videndum Deum corporis oculum erigit. qui nondum eſt idoneus ad videndum ſeipſum. Homo petitionem ſuam in curia porrigens, ſtatim non impetrat: Sic Deus nos exaudire differt, vt à nobis omnis præſumptio tollatur, & vt noſtram fragilitatem & impotentiam cognoſcamus, atque poſtmodum gratiùs atque firmiùs impetratum teneamus.

Humilia teipſum vt capacior exiſtas, quia quanto vas profundius, tanto capacius exiſtit, & eſt humilitas cunctarũ virtutum conſeruatrix. Initium ſalutis notitia eſt peccati. Declinando culpam, & nõ deſperando veniam. In mundo non eſt certa victoria, quia ſui ipſius non eſt certa notitia in veritate, didici nil æquè efficax ad gratiam promerendam, retinendam, ſeu recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris nil ſapere, ſed timere. Vnde beatus homo qui ſẽper eſt pauidus, cùm de Dei iudicio nemo poſſit eſſe ſecurus, quia iudicabit vſque ad ictum oculi, vt dicatur quòd iuſtus vix ſaluabitur. Magna pars ſcientiæ eſt ſcire quod neſcimus.

Nec gaudere debemus laudibus alienis, nec triſtari vituperiis, quia nec damnare iniu

iniuria poteſt, nec laus coronare aliena. Nemo Deo placet, niſi qui ſibi ipſi d ſpliceat. Nam tanto eris in ocnlis Dei pretioſior, quanto fueris in oculis tuis diſpectior. Nemo de ſuis meritis confidat, ſed de Dei miſericordia. Quomodo enim de meritis noſtris cõfidere poſſumus, cùm ſi quid boni facimus, id more plurium ſerudoum facimus? Nemo ſuis meritis ad Deum ire poteſt, ſed tantũ Dei miſericordia interueniẽte, qui nos ſuo precioſo ſanguine redemit.

Prudentia carnis ad ſalutem non pertinet. Putredines & immundiciæ corporis tui ipſius pariant tibi contemptum, quo nil melius eſt mortalibus. Quid aliud ſum ego ſine Deo, niſi dux præcipitij, & mihipſi ſarcina? Qui mores ſuos ad ſeipſum conuerſus aſpicit, non requiret quid in aliis reprehendit, ſed in ſeipſo quid lugeat, quia in ſe verè nil inueniet boni ſine fermento malitiæ, & quanto magis ſe inſpiciet, tanto minus ſe eſſe conſpiciet. Per quam viam procedendo ad Dei cognitionem deuenitur. Qui non cognoſcit ſe non poteſt apprehendere ea quæ ſunt ſupra ſe, quoniam ſine ſui cognitione nemo ſaluatur. Idcirco væ illi qui ſibimetipſi manet incognitus. Qui ſuſcipit onus prælationis, fit aſinus ſubditorum.

Reſponſio mollis frangit iram, & ſermo durus ſuſcitat furorem.

Sic fit opus in publico, vt intentio maneat in occulto, vt de bono opere proximo præbeamus exemplum, & tamen in intentione qua ſoli Deo placere quærimus ſemper optemus ſecretum. Sicut pauper petit eleemoſynam à diuite, ita peccator qui verè eſt pauper gratia Dei à ſpiritualib9 perſonis, qui veri diuites & potentes ſunt apud Deum. Eleemoſyna orationem petere debent vt orẽt pro eo ad Dominum. Si iudicabis te ad infernum, mereberis paradiſum. Si non vis quòd alij tibi inuideant, relinque honores & officia publica, deſine inceſſu elato ire, & ſuperbo oculo communicare noli. Sequeſtra teipſum ab oculis multorum quantum potes, nec vultu, nec verbo, nec habitu, nec digito te notandum præbeas, quique rarò vnquam fuit virtutis amicus qui inuidia caret aliena. Si vis ad faſtigiũ peruenire charitatis, fundamẽtum in te fode humilitatis. Si vis beatus eſſe ſperne mundũ, ſperne nullum, ſperne teipſum, & ſperne ſpiritum. Stes in hoſpitio cordis tui quia Deus non deſcendit ad hoſpitium alicuius, niſi hoſpes ſit in domo. Stare namq; in hoſpitio cordis ſui, eſt ſuæ cognitionis radium ſuper ſeipſum reflectere.

Digitized by Google

re. Nam multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt. Vis cognoſcere ſtatum tuum, conſidera vbi eſt cor tuum: quod ſi ſit in cælis, in bono ſtatu es: ſi verò in terris pauper es & pauperior futurus. Vbi terrena deficiunt, cor ad cæleſtia vertas. Nam vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum.

De ſcientia & doctrina perueniendi ad patientiam.

CAPVT V.

AD omnia proſunt conſolationes, ſed non omnibus, quia non illis, in quorũ pectoribus non ſedent, quibus ſalubres eſſe non poſſunt. Aliqui cum rancore humiliantur, alij patiẽter, alij libẽter: primi ſunt rei, ſecundi innoxij, tertij iuſti. Aſſueti cæleſtibus terrena nõ conquaſſant. Quomodo enim animus memor originis cauernis terreſtribus inhiare poteſt?

Contra linguę gladium, patientię præbe ſcutũ Corporis dolorem & languorem ad animi exercitium, datos fuiſſe cognoſcas. Solet enim Deus iuuare tribulationibus & langoribus non valentes iuſticiare terram ſuam, id eſt, ſenſualitatem & propriam volũtatem. Nam corporis lãguor vitia exco-

quit, & vires libidinis frangit.

Donis ſuis Deus flagella permiſcet, vt nobis onere quod in ſæculum delectat, amareſcat, & illud incendium inſurgat in animo, quod nos ad cęleſte promoueat deſiderium. Nam fercula Dei in hoc ſæculo ſunt aduerſitates amaræ, ſalutiferæ animabus, ſicut medicinę corporibus. Non enim omnia quæ delectant, proſunt, ſed ſæpè nociua ſunt dulcia, & amara ſalubria.

Equus indomitus vt ferretur poni ſolet in ligno quod dicitur naualium, ſic Deus hominem indomitum premit duris laboribus & tribulationibus.

Facilè contemnit omnia qui ſe ſemper exiſtimat moriturũ. familiare eſt cor opibus diſſolui, & proſperitatibus quibuſcunque, paupertate verò & aduerſitate ad ſeipſum recolligi & reduci. Niſi enim peccator aduerſitatibus retraheretur, laſciuè in omnia peccata incurreret. Vnde non expedit quòd cõtinuè proſperitatis ſtatus nobis ſit, ne inſolentes nos reddat. Felix triſtitia quæ non de creatura, ſed de creatore ſuſcipitur, quæ nulla præſentis vitæ luget incõmoda Nã cui paſſio redemptionis ad mẽtem forti intẽtione reducitur, nil eueniet tam amarum, quod non æquo animo toleretur: & omne id quod affligit, requies putabi

Digitized by Google

tabitur. In obliuionē veniet omnis præteritorum dolorum miſeria. Sacris guſtatis ſcripturis, labor & paupertas non numerātur inter mala, ſed inter bona, cùm multi boni & prudentes, labores & paupertates elegerint. Vnde in æternum glorioſi & diuites facti ſunt.

Magna ira eſt peccatoribus, quando eis non iraſcitur Deus, quia hic nō parcit electis, ſed impijs, alibi non ſic, quia parcet electis & nō impijs. Vnde malis expediret in iſto mundo puniri, quia præſtat flendo ad gaudium quàm gaudendo ad gemitum peruenire ſic igitur Deus, cū multis miſericorditer agit in quos ſæuire videtur, quia melior eſt modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in viſceribus. Eſt enim tribulatio raſorium Domini quo radit ſuperflua. Miſer eſt qui nunquam fuit miſer, tranſiuit vitam, nō inuenit aduerſarium. Noli aſperitates rerum flere, ſed memento ſi quid dulce aut iocundum accidit quo ſoleris. Nā qui in flagellis murmurat, Deum pluries irritat. Nō eſt aliud in neceſſitate cōſilium quàm libens facere, & quibus non poteſt obſtare, conſentire. Nulla rerum humanarum certior magiſtra quàm aduerſitas, quæ nos docet quantarum ſimus virium. Nuſquam clariùs quàm inter

for

fortunæ vulnera eminet animi magnitudo. Omnia leuia ſunt amanti, nihil enim eſt quod non toleret, qui perfectè diligit. Nam ſolus amor nomen difficultatis erubeſcit.

Patientia eſt porta miſeriarum, & cuiuis dolori remedium, & non tãtummodo vim auget, ſed aſperitatẽ ipſam doloris immi-nuit, & penè ad nihilum redigit. Patiens eſt ſicut ſignum ad ſagittam quod non mouetur propter ictus. Paupertas eſt diæta quę datur à medico cæleſti. Paupertas prima fronte rigida atque triſtis, & ſubitò venit ſicut vir armatus difficiles habens aditus primos: at cùm in familiaritatem admiſſa fuit, multos bonos comites ſecum adfert. Nam ſecura atque iocunda & facilis erit, cúmque vitæ pauca ſufficiant, multa deeſſe nõ poſſunt. Nemo enim tam pauper vixit, vt in morte nollet vixiſſe pauperior. Per multas tribulationes oportet nos introire regnum Dei. Non enim ſunt cõdignę paſſiones huius ſęculi ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis pręſentibus anguſtijs quas paucis diebus vel horis, tam ęgrè toleramus. Docemũr illas euadere, quibus perpetuò nec phyſicus nec herba medebitur.

Quantum enim ſi mors non timeretur,

ex

ex tædiis hæc vita vacua eſſet? placitura quantum eſſet mortalibus, cùm tædiis plena ſit & placeat? Vt ergo mors timeatur, expedit nonnunquam aliquid aduerſum occurrere, quo optabilior finis ſit. Quantum quiſque in corpore aut mente flagella ſuſtinet patienter, tantum ſe in fine remunerari ſperet. Nam ſpes præmij minuit vim flagelli: qui nulla proſpera appetit, nulla aduerſa pertimeſcit. Qui ſemel recipit mala in vita ſua, non eoſdem cruciatus poſteà patitur, quia non iudicat Deus bis in idipſum. Quod ſatis dolet, maiori dolore expellitur. Vix enim moleſtum aliqu d, ſine moleſt a amatur Dura itaque duris efficaciùs leniuntur, & grauioribus morbis grauiora remedia ſolent adhiberi. Tenera digitis & dura ferro diſponuntur. Nã grauiſſimus nodus in ligno non poteſt expelli niſi grauiſſimo oppreſſorio. Quo fortior morbus, eo pulchrior patientia, qua debilitatem corporis, fortis animus roborat. Maiora enim geſta, animi viribus ſemper geri faciliùs poſſunt, quàm corporis. Quot voces patientiæ ad laudem Dei reddes, tot in aduerſarij pectus iacula trudes.

Satius eſt turpi fræno iter rectum agere, quàm habenis aureis in deuium ire: ſapiẽtibus omnis via iocunda, nam lætam libeater

benter, triſtem ferunt patienter, & ſi in rebus ipſis nequeunt, ipſa tamē patiētia delectantur. Nil enim in rebus lætius, nil dulcius virtute: imo nil bonum niſi virtus, ſicut nil malum niſi vitium. Secundū mēſuram humilitatis tuæ, dabit tibi Deus patientiam in aduerſis. *Sicut amara pilula* inuoluitur in dulci nebula, & apis ſuccos amaros conuertit in mel, ita virtuoſus flagella Dei inuoluit ſpe æternorū præmiorum. Sicut magiſter ferrum minus idoneū in fornace ponit, idq; malleis percutit vt formam recipiat, ita Deus homines ceruicis ferreæ ponit in ignem tribulationis, vt ex aduſtione moleſtētur, & ictibus dilatētur, vt operi idoneiores exiſtāt. Sunt enim nonnulli qui nunquam legunt in libro cóſcientiæ, niſi priùs virgam ſentiant ſuper dorſum, & ſi per aduerſitatem humilitas proficit, verè proſpera eſt ipſa aduerſitas. ſicut vinum ex vua non habetur, niſi prematur, ſic vinum diuinæ conſolationis non datur, niſi priùs homo aduerſitatibus prematur atque probetur. Si iniuſtè condemneris, non doleas, ſed feras & ride, quia nihil eſt ridiculoſius quàm ſapientes ab inſanis contemni. Nam Herodes peſſimus, miſerrimúſque hominum, Chriſtum ſpreuit: quid ei hoc nocuit?

cuit? quid ei profuit? Sapientia enim ab inſipientibus feriri conſueuit Si iniuſtè pateris, gaudendum eſt, quia virtus exercitatur dum tentatur tibi atque aliis. Fulgor quidem tuæ vitutis erit, & vtique magnum innocentiæ argumentum eſt à nocentibus damnari. Si iuſtè pateris, acquieſce remedio, quia punitur vitium, & ſic diſcitur iter ad patientiam & ad mortem. Si pauperior es ſolito, & amiſſas opes cum amiſſis tædiis conferas, lucrum vocabis: ſcire enim paupertate vti, magna felicitas eſt. Nam vt vacare non poſſis opibus, quòd aut pauper ſis, aut pauperi ſimilis, ſi promiſſa patris agnouiſti, non timeas flagellari, ſed exhæredari. Te tangente tibi barbam, virum te eſſe memento. Nihil enim virum ſapientem contriſtare poteſt, ſed ſemper ſtat rectus ſub quolibet pondere, quia non eſt viri, non poſſe vtramque fortunæ faciem ſpectare.

Virtuti eo plus læti erit, quo fortunæ minus. Virtus enim in infirmitate perficitur. Vnuſquiſque leuiùs portat quod patitur, ſi ſua conſideret mala pro quibus illi infertur retributio iuſta Afflictio enim humilitatem conſeruat, maximè ſi minus quàm meruit, ſe pati cognouerit. Vnusquiſque tantum oſtenditur habere prudẽ-

tiæ

tiæ quantũ patiens exiſtit, quia patiẽtia indicat prudentiam, & quaſi omnes virtutes.

De ſcientia & doctrina diligendi proximum.

CAPVT VI.

AD veniam induci bonum eſt, ad obliuionẽ melius, Beata miſeria vitiis alien s tribulari: tanto enim quis eſt perfectior quanto magis dolores ſentit alienos.

Difficilem habeas aurem ad calumniam. Nam ſicut ſag tta ſi mittatur contra duram materiam, nonnunquam reuertitur in mittentem & vulnerat vulcerantem: ſic detractor cùm triſtẽ faciem viderit audientis, immo non audientis, ſed obturantis aures ſuas, illicò conticeſſit, vultúsque pallet niſi hilari vultu *detractor audiuerit* illi fomentum detrahendi vtique prębuiſſe. Dignos cole, cæteros præteri nec incultos nec offenſos. Eleemoſynæ non aſcendunt niſi à corde portentur.

Fœcundus eſt ager pauperum quia citò reddit ſeminantibus fructum. Qui enim in aliis ſpargit, in ſe cumulat, & ſemina ſparſa in ſegetem conualeſcunt, in vnum verò collecta depe reunt.

In

Digitized by Google

In charitate pauper eſt diues. quia charitas non dat de ſacculo: ſine charitate verò diues eſt pauper. In fragili corpore ſæpè fortis animus latet, ſicut in putri vagina ferreus enſis. Sic etiam nonnunquam ſub palliolo ſordido magna latet prudentia. In pauperis ſpecie latet ipſe Deus, & pauperis manus eſt gariophyllacium Ieſu Chriſti. Is plus amandus eſt, quem minus adiuuat natura. Licet ſine charitate quis poſſit habere actum virtutis, non tamen vitalem virtutem: quia ſola charitas virtutem viuificat. Linguam tuam aut aures non habeas purientes, neque alijs detrahas, neque audias detrahentes. Non ſolùm is eſt reus qui detrahit, ſed qui citò autem criminibus præbet.

Non eſt de quo magis diabolus confundatur, quàm quòd diligamus inimicos noſtros Nutrix lac mamillæ communicando conſeruat, non communicando prodit, ſic prædicator talentum ſibi creditum ſepeliendo amittit, quod communicando multiplicare potuit & conſeruare.

Quemadmodum volens releuare eum qui cecidit, neceſſe eſt vt inclinetur, ita qui vult peccatorem à caſu culpæ releuare, oportet vt ei compatiatur. Qui in littore ſtat, meliùs iudicat de itinere tranſeun-

Digitized by Google

tium per mare, quàm ipſi qui per mare nauigant: ſic illi qui ſalui facti ſunt per gratiam, meliùs ſtatum peccatoris conſiderant, quàm ipſi videant.

Scias eum multis virtutibus abundare qui alienas amat. Sic diligendi ſunt homines, vt eorum non diligantur errores. Sicut calor ſolis facit hominem veſte exuere ita calor charitatis. Sicut ſeptem ſunt opera miſericordiæ corporalia, quorum ſex habentur Matthæi 25. & ſeptimum Thobiæ 2. Sic ſeptem ſunt opera miſericordię ſpiritualia, figurata per apocalypſin, videlicet, Peccanti dimittere. Peccantem corrigere, Pro peccatore orare, Ignorantem inſtruere, Hæſitanti conſulere, Lugentibus conſolationem præbere, & ad omnes afflictos corde compaſſionem habere. Terrena omnia quæ ſeruando amittimus, largiendo ſeruamus.

Vitium ingratitudinis tanquam magnū in te caue, & tanquam paruum in alijs ignoſce. Vltionis momentanea delectatio eſt, miſericordiæ ſempiterna. Duorum quippe delectabilium illud præferendum eſt, quod diutius durat. Nam multos honeſtauit clementia, nullos vltio.

De

Digitized by Google

De ſcientia & doctrina, & exhortatione virtutum. CAPVT VII.

AD cor loqui ſtudeas, magis quàm auribus alta proferre. Amor malorum odio finitur. Ante languorem adhibe medicinam. Argumentum compoſitæ mentis eſt, ſecum poſſe conſiſtere & morari. Audi tacens, & plus audias quàm loquaris, atque plus facias quàm dicas.

Benè viuendo, malos in ſtuporem, bonos in amorem excitabis. Bonam diætam facit, qui ſe de fatuo expedit. Botrus inter ſpinas eſt cautè legendus, ne dum quæris fructum laceres manum: Ita cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Breuis ad diuitias per contemptum diuitiarum via eſt, quia nihil intereſt inter habere & non deſiderare. Is etiá maximè diuitijs fruitur, qui minimè eis indiget. Sicut is qui velle, quod ſatis eſt, poteſt, quia neceſſitatibus obſequitur, & pauper eſſe non poteſt: quia ille fidelis Deus, qui volucres cæli paſcit, ſemper miniſtrat, & vtique parum eſſe non poteſt. Ex quo ſatis eſt quod vtilius eſt, quàm multum habere, ſicut qui cupiditatibus obſequitur, quia is diues fieri nunquam poteſt. Nam prudens non copiam, ſed ſufficientiam rerum vult.

Caro domanda eſt vt ſeſſorem ſuum

portet. Cautus eſto ne ſpiritualis amor fiat caro. Crede mihi quòd volenti habere regnum expedit, quòd alienus ſit à curis ſæcularibus, quodque futura contemnat: quia portus vitæ vnus eſt, futura contemnere, diſſimulare & tacere. Da amicis egẽtibus, aurum, vinum, oleum, frumentum, veſtes, domos, prædia, conſilia, ſolacia, ac demùm cum amicis omnia partire. Vnum tamen tibi habe, quòd nulli vnquam tuam dederis libertatem. De eo quod facere turpe eſt, ne loquaris: & quicquid pudet dicere, pudeat cogitare. Deus nihil ſine magno vitæ labore dedit mortalibus, ita vt labor ſit pretium eorum quæ habemus. Hinc dicitur, quòd nemo ferè gratis res adipiſcitur magnas, & certè labores non fatigant nec cruciant vires, ſed acuunt & exercent, quia labores ſunt materia virtutis & gloriæ, & qui illos recuſat, illas reijcit: quia ſine difficultate nulla gloria aut virtus in excelſo habitat. Labor enim eſt area virtutum, & requies voluptatum. Et quidem virtus ſine labore quæſita abortiua eſt. Differentia inter amorem Dei & amorem carnis & mundi, quia amor Dei requirit orare, ſeruire, includi, loqui, audire de Deo, & hoc ad finem placendi Deo. Sed amor carnis & mũdi & requirit comedere, bibere,

re, dormire & ſimilia propter ſe, quæ omnia diligens Deum facit amore Dei. Diſcretio eſt mater vitutum. Diu deliberato, citò fac. Doma domeſticos hoſtes qui intra te ſunt, finibúſque tuis illos pelle, vince iram, vince cupiditatem, vince libidinem, vince teipſum ſicut hoſtem animæ, & famæ tuæ, quia ſic ad vitam æternam pergitur. Donis cæleſtib ſic vtere, ne diſpliceas largienti Deum mũdus calamitatibus pulſat. quid aliud, quàm vt non ametur, clamat?

Etiam capillus habet vmbrã ſuam Emas non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt. Fames, non ſapor prouocet appetitum, ne natura imitetur artem, & ſaturitas tranſeat in eſuriem. Nam niſi prius gula refrænetur, fruſtrà contra alia vitia laboratur. fatuum eſt credere vitam ventis. Hoc ſi ſapis ſit tibi documentum. Gloria iuſti eſt teſtimonium conſcientiæ, quod iuſtè iudicat & non fallitur. Graue cernitur omne quod incipit. Sed vſus tollit difficultatem. Ignis ſi non ardet, extinguitur, & aqua in lacu, ſi non creſcit, deſcreſcit & putreſcit, ſic ſi homo in virtutibus non progreditur, regreditur. Ignobilem non ſolum naſci, ſed viuere, quibuſdam felicitas viſa eſt. In conſcientia inuenies veram ſcientiam: & te docebit quæ charta nõ pandet. In ma-

gna vrbe aut contemptui patebis, aut inuidiæ, quia vix ſine altero iſtorum in magna vrbe viuitur. In manu prudentis ira poſita eſt, quia vtitur & non vtitur, quia non impetu, ſed nutu venit, & nutu recedit. In nauibus, robuſtior quiſque remum agit, ac prudentior gubernaculum regit. In regno corporis tui, iuſtitiam tene, nec impunitos ſinas ſenſus tuos, qui quotidie animam tuam ſpoliant. Nam magnum regnum poſſidet, qui ſeipſum poſſidet.

Inter homines viue ſicut inter amicos, & inter amicos ſicut inter hoſtes, quia ſemper ſcito quòd qui nunc amicus eſt, inimicus fieri poteſt. Hinc videmus quòd quotidie tot de amicis prodeunt querelæ.

Melius eſt ſeipſum colere quàm terram. Mens quæ ad cæleſtis patriæ dulcedinem ire cupit, tranſitoriæ ſalutis gloriam non quærit, quin imo plus formidat proſpera quàm aduerſa: quia mundus quippe periculoſior eſt blandus quàm moleſtus. Mores mutare, ſingulásque virtutes animi in ſe formare, atque perficere, grandis ſtudij eſt, & longæuæ conſuetudinis. Licet actus virtuoſos facere, vt puta abſtinere, ieiunare, vigilare, & ſimilia quæ non tam ſtudio opus habeant, quàm voluntate, quia quilibet incipiens

cùm

Digitized by Google

cùm vult, ad huiuſmodi quæ in facto conſiſtunt, ſtatim perfectus eſt. Multos docuit experientia, quos ſchola non docuit. Hauſerunt oculis quod auribus nequiuerunt haurire. Mundo ſuos mores relinque, tuoſque refrænare ſtude, ſic & tædium euades, & teipſum corriges. Mundus clamat deficiam, caro putrefiam, dæmō decipiam, Chriſtus reficiam. Nihil poteſt caro facere niſi id quod voluerit ſpiritus, cui tamen ſemper aduerſatur, velut hoſtis. Hinc eſt quòd quid vni prodeſt alteri obeſt, & in quibus caro requieſcit, ſpiritus deficit. Vt enim caro molli, ſic anima duris nutritur. Illā blanda refouent, hanc aſpera exercēt: nā durities ſemper eſt amica virtutum, & requies voluptatū. Idcircò noli quod caro velit, ſed quod ſpiritus poſcat. Nihil proſunt diuitiæ ſed diuitiarum beneficijs non vtaris. Nil glorioſum niſi virtus. Nil contemnibile niſi vitium. Nil magnum in exiguo tempere reperitur. Nil tantum confundit iniuriantem, quantum fortis tolerantia patientis. Non eſt vera virtus cui præmium conſcientię non ſufficit. Non eſt Chriſti miles qui timet portare ſignum eius ſeu vexillum. Non in loco, ſed in animo eſt quod felicem facit. Si enim deeſt ſpiritus, non adiuuat locus, quia ſi locus

poſſet ſaluare, ſatanas non cecidiſſet. Sed igitur natura loci non dat rectè viuere, ſed mens diſcreta, propoſitúmque tenax, nonnunquam niſi indifferentium bonorum locus eſt. Omittendum eſt quod placet, & præeligendum eſt, quod minus placet ſeu diſplicet, vt aſſueſcamus propriam negare voluntatem. Nullum efficacius remedium contra vitæ faſtidia, quã ipſorum locorum varietas, qua fouetur & paſcitur mens humana, nil enim tam delectabile quod identitas non reddat inamœnũm. Nullus te, niſi tua conſcientia luceat, illuſtrabit Occulti affectus & peccatorum latebræ ſæpè paruis pateſcunt indicijs. Omnes virtutes currunt in ſtadio, ſed ſola perſeueranda accipit brauium. Nam regnum cælorũ inchoantibus promittitur, ſed perſeuerantibũs datur Omnis vita à fine deſcribitur, nihilq́; ſe feciſſe exiſtimet, qui animam non ſatiauit bonis. Operi intentio nomen imponit, quia ad cor ſolùm reſpicit Deus, Hinc dicitur quòd Deus eſt retributor aduerbiorum & nõ nominum, quaſi dicat non requirit Deus, vtrum opera de ſe ſint fructuoſa vel non ſed vtrum intentio ſeu affectus facientis. Sic benè facere vel malè, quod in corde ſtat, & ſic per aduerbia, quia per nomina res extrinſecus

in

indicantur, non amici qualitates.

Paucorum veſtigia non turbæ ſequere. Pauper mercator friſſorum non cognoſcit de pretioſis mercibus, ſic nec negotiat ores mundi de ſpiritualibus, tractant enim fabrilia fabri. Per mœchum quandoque mittuntur pretioſa iocalia: Sic per vilem perſonam & eius exemplum ſæpè inducimur ad virtutes. Præſens vita dulcis ſtultis, amara ſapientibus: qui te amant, nõ te cognoſcunt, qui te contemnunt, te intelligunt. Proprium prudentiæ eſt attendere quid agendum, & aduertere non tantùm quid adſit, quantum quid deſit. Prudens non trahit vicum, quin priùs benè claudat domum ſuam. Prudens plerúmque ex paruo malo ſeu damno magnum elicit bonum ſeu lucrum. Prudens quantumcúnque ingreſſus perfacilis aliquis ſit, de regreſſu cogitat. Prudentis eſt vulgus fugere, nil enim damnoſius bonis moribus, quàm inter vulgares conuerſari. Nam quicquid vulgus prædicat infame eſt quicquid agit, ſtultum eſt, quicquid cogitat, vanum eſt, quicquid loquitur, falſum eſt, quicquid approbat, malum eſt, quicquid improbat, bonum eſt. Et demùm raró quicquam ex animo facit vulgus niſi tumultuari, furere & ſæuire.

Quando caput eſt læſum, nonnulla membra capita fieri contendunt. Quæ ferri fugariq́ue nequeunt, fugienda ſunt. Hinc dicitur quòd populus odioſus aut leniendus, aut relinquendus. Quia ſemper caro ſuperflua generat, ſpiritus ea per pœnitentiam ſtudeat reſecare. Quid aliud eſt, Chriſtum Ioanni matrem commendare, quàm nos inſtruere, quòd carnales propinquos & amicos gratiæ Dei committamus? Ioannes enim interpretatur gratia Dei. Quid melius, vt & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici melius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt. Qui nulla proſpera appetit, nulla aduerſa pertimeſcit. Qui prudentiam quærit, certiùs inter rugatas maxillas quàm in planis ſeu mollibus, ſe quod quęrit, nouerit reperturum. Qui vult in domo ſua ſecurus dormire, oportet quòd oſtia claudat, & in angulis conſideret ſi hoſtis vel latro latet. Quod tibi non vis alijs ne feceris. Quod tibi vis fieri alijs facias.

Rarum eſt, ſic conſulere vt proſis & placeas. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Sancta deſideria dilatione creſcunt. Si autem dilatione deficiunt, ſancta deſideria non

non ſunt. Scienti nulla grauior iactura quàm temporum. Securiùs eſt perire non poſſe, quàm inter periculum non perire. Sæpè fallit viarũ multiplicitas viatorem. Sex ſunt quæ interruptam ſeruant caſtitatem, ſobrietas, operatio aſperitas, inhibitio ſenſuum, raritas ſermonis, euitatio opportunitatis perſonæ, loci & temporis. Si claudens oculos non videt, non eſt defectus lucis. Sic loquaris verba tua, quaſi Deus audiat, ſic agas quaſi videat, quia cũcta audit & videt. Sicut apibus herbæ non ſunt neceſſariæ, ſed tãtùm flores, ſic ad hominum ſalutem non expedit quærere vitam prædicationis, ſed verba. Sicut arbor creſcere in altum cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur, & palma quantò inferiùs anguſtatur, tantò ſuperiùs dilatatur. Sic anima ſi exterior euagatio clauditur, ſenſus interior aperitur. Sicut ferocia animalia non ſolent, nec debent exire cuſtodiam ſuam ſine cuſtode, ſic nec lingua ſine cuſtodia rationis. Et quid dicatur, niſi priùs benè ſciatur, quia non priùs verbum ad linguam mitti debet, quàm ad cordis limam. Nam mors, & vita in manu linguæ eſt, & qui cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit animam ſuam. Vnde Pſalmus, Dixi cuſtodiam vias meas, &c. Sicut fieri

ri ſolet, quando puer ablactatur, quòd nutrix ſuper mamillam ponit quid amarum, ita Deus in mundo iſto amara valdè ponit, vt eis guſtatis mundum & mundana fugiamus. Sicut figulus non poteſt benè operari de terra, niſi priùs benè conteratur. Sic nec anima de corpore niſi priùs benè maceretur, vigiliis, ieiuniis, aliiſque abſtinentiis. Sicut imperito agricolæ non debet credi noua plantatio, ſic nullius rei cuiquam debet credi magiſterium, cuius ille non attingit diſciplinam. Sicut loquens mala, eſt dominus linguæ ſuæ, ita audiens tacens eſt dominus aurium ſuarum. Stultitiæ enim ſignum eſt ſtulto reſpondere & cum linguato litigare. Sicut magni domini habent antè ſe domicellos arcentes turbam, ne præ nimia preſſura à turba opprimantur, ita verus ſpiritualis arcet turbam temporalium & carnalium cogitationum, ne ab eis anima opprimatur. Simplicior virtus, & menſa mediocris plurimum habet iocunditatis: & melior eſt buccella panis ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Si non potes ita citò proficere, diſpone primò voluntatem, quia ad operandum benè maior labor eſt velle operari, quàm ipſum operari, nam magna pars profectus

ctus eſt velle proficere. Si pecunia vti ſcias, ancilla erit, ſi verò neſcias, domina erit. Nam pecunia tunc valet cùm diſpenſatur. Quare expedit potiùs ei imperare quàm ſeruire. Si quis ſuſpectum dolum habet, de facili non decipitur. Hinc dicitur, quòd vix fallitur, qui nō fidit. Si verum eſt quòd Deus in te habitet, fornicatio in te mortua eſt, quia qui non moritur peccato, non poteſt viuere Deo. Spirituales temporalibus clauſas ſemper ſolent aures exhibere. Stultorum laus apud doctos infamia eſt. Sunt perrari quibus vtrumque contingerit, ſcilicet ſingularis eloquentia & excellens virtus.

Tantò miſeriores eſſe conuincimur, quantò faciliùs mala noſtra voluntas impletur. Nam peccatoribus nil peius quàm ſecuritas atque libertas, quæ alit audaciam delinquendi. Tibi corpus ſubiugare non poteris, niſi anima ſit Deo ſubiecta. Titio qui ab igne trahitur, poſteà faciliùs incenditur. Toto animo odi & damna quod diligit mundus. Tutius eſt tibi ritè vti præſentibus temporibus, quàm expectare quæ vel fortè non venient, vel ſi venient fortè minimè ſis vſurus, dum certum eſt quòd illis venientibus tu recedis. Nam tempus non eſt expectandum, quia

quia tempus non expectat nos. Tunc ſalutaria conſilia aduoca, cùm tibi alludit vitę proſperitas.

Verte te ad opes quibus nequeas ſpoliari, quæ te vndique comitentur, & tibi ornatum pręſtent. Verus obediens mādatum non procraſtinat. Vitia vbi non ſolent vincere vincuntur. Virtus idcirco eligenda eſt, quia nil negat, niſi quod negatum prodeſt, nil eripit, niſi quod habere nocet & carere prodeſt, non differt, non improperat, non retrahit manum, non rugat frontem, non attolit ſupercilium, nullum deſpicit, nullum deſtituit, nullum fallit, in nullum ſæuit, non iraſcitur, non mutatur, vna ſemper eſt & vbique & magis ac magis deguſtata fit dulcior, & proprior conſpecta fit pulchrior. Virtus in homine eſt in proprio ſubiecto, ſed non vitium. Virtutum viam nequaquam aggredi valemus niſi ſpe comite ducamur. Vnde Pſalmus, ſpera in Deum & ipſe faciet. Voluntas noſtra, niſi virtute ac ſapientia refrænetur, per ſeipſa indomita eſt & effrænis. Vtantur diuites conſuetudine ſuæ infirmitatis, & doleant ſe viuere aliter non poſſe. Vt ſis verus diues, virtutes ſine faſtidio imitare. Vulgò dici ſolet, quòd vix eſt ſine ſuſcipione vocis

cis læuitas. Nam & medicus linit antequam feriat.

De diaboli malitia aduerſus humanam naturam, cuius actualis conſideratio vires noſtras roborat ſuáſque debilitat.

CAPVT VIII.

Diabolus eſt ſerpens lubricus, cuius capiti, id eſt, primæ ſuggeſtioni, ſi non reſiſtatur, totus in interna cordis, dum nō ſentitur, illabitur, & aufert ſenſus ſpirituales, hebetátque corporales. Diabolus inſidiatur peccatori ſicut murilegus muri exituro de cauerna. Diabolus quando decipere quærit, priùs naturā vniuſcuiuſq; conſiderat & ibi ſe applicat. Vnde aptum hominem ad peccandum aſpexit, ibíq; decipulam ponit, vbi ſemitam eſſe mente conſpicit. Diabolus quos viuentes incendit ad vitia, morientes ſubitò pertrahere nititur ad tormenta. Diabolus ſemper decipit, quia quicquid hîc dat dulcedinis, etiam hîc ſtatim ſubtrahit. Sæpè antiquus hoſtis poſtquam menti noſtræ certamen tentationum inflixerit, ab iſto ſuo certamine recedit, non, vt illatæ malitiæ finem præbeat: ſed vt corda quæ per quietem ſecura

cura reddit, repentè & inopinatè rediens, faciliùs irrumpat, & dum ex proprio certamine ſe ſuccumbere conſiderat, ad aliam tentationem bella reſtaurat. Sicut qui lingere aſſueuit, non petit niſi ingreſſum coquinæ, & poſtea non poteſt expelli, ſic dæmon dum de luxuria tentat. Sicut qui mordet in pomo ex parte putrido, modere ſolet ex parte ſaniori: Sic diabolus rarò mordet hominem in corpore ſiue in pecunia, ſed ſemper laborat vt mordeat in anima, quia cùm ſit ſpiritus, non curat niſi ſpiritum. Vnde in Geneſi, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Tunc diabolus contra eum quem poſſidet acriùs ſęuit, quando ſe virtute diuina expellendum cognouit. Vitia non decipiunt niſi ſub forma, vmbráque virtutum: Sic nec venena dantur, niſi melle circumlinita, quia ſolus laqueus capit quem eſca decipit.

De ſcientia & doctrina aduerſus diabolicas tentationes.

CAPVT IX.

ASſueſcat animus diſcernere cogitationes ſuas, & ad primũ animi motũ probarè

probare vel improbare quod cogitat, vt bonas cogitationes alat, malas verò ſtatim extinguat, ne in actum prorumpant. Ibi enim magis omnium peccatum obſeruatur vbi naſci ſolet, ſcilicet in corde. Bellaturi in campo certaminis ſe fortiter ſtringunt in lumbis cum corrigia caſtitatis.

Bonus agricola per vias per quas non vult quòd aliquis eat, ponit ſepes & foſſas facit. Breuis futura creditur omnis gloria indigni, quia omnis contra naturam motus plus habet impetus quàm diuturnitatis. Cui inſpiratur quòd eleemoſynam vel aliud bonum faciat, ſi cogitat quòd bonum ſit differre, quouſque confitebitur ſciens vel timens ſe commiſiſſe peccatum mortale, propter quod non ſit in gratia, & illud bonum ſibi ad meritum opitulari non poſſit, ſciat quippe illam tentationem fore diaboli, cui reſiſtit prudens, qui nouit quòd quicunque ſeruat mandatum Eccleſiæ de confitendo ſemel in anno & poſtquam peccauit de peccato dolet, & ſtat in propoſito confitendi illo anno iuxta præceptum Eccleſiæ, licet firmiter ſciat ſe multa peccata commiſiſſe, & non confiteatur quando poſſet confiteri: nihilominus omnia bona valent ſibi

Digitized by Google

ad meritum, quia talis non poteſt non eſſe in ſtatu gratiæ, ex quo diſponit confiteri quando ex debito tenetur. Immo etiam exiſtenti in peccato mortali opitulantur bona ad gratiam promerendam, & vt in iſto mundo mercedem recipiat.

Cùm bona fratres agitis, ſemper ad memoriam malè geſta reuocate. Cùm deliberatè peccare proponis, priùs tibi aliquã impone pœnitentiam pro peccato. Cum hoſte qui de propè potentior eſt, bella de lõgè: Sicut cum luxuria quæ demum cùm fugitur tunc fugatur, & aliter quàm fugiendo cum ea non belles, ex quo vincitur ſine alio bello, & mactatur cùm caro propria maceratur. Da locum iræ: & ſi te apprehenderit, non occidat ſol ſuper eam, ſecundùm apoſtoli doctrinam. Periculoſus epulator cibos immundos aut non benè conditos ſeu paratos vertit in faciem apponentis: ita tu indignare contra dæmonis tentationem, & fugiet à te. Nam & Chriſtus dum tentaretur à diabolo, dixit, Vade retro Satanas, &c. Diabolus eiicitur de coquina, ſicut canis aqua calida laniarum, vel virga pœnitentiæ vel fumo contritionis. Diabolus victus de gula non tentat de luxuria.

Fili, omni cuſtodia ſerua cor tuum, vt

in eo requieſcat Deus,& præpara animam tuam ad tentationem. Vnde legitur: Beatus vir qui ſuffert tẽtationem. Hoſtem tuũ interfice dum paruus eſt, vt nequitia elidatur in ſemine. Nam principiis obſtandũ eſt,quia ſicut flatu modico fauilla extinguitur, vbi manus ignis potiùs viuificatur,ſic vitiorum initia faciliùs excluduntur, quàm amiſſorum impetus comprimatur. In primis grauis eſt impetus diaboli,ſed ſi quis ei reſiſtit, eum debilem inuenit & in fugam conuertit.

Laborans vno dæmone pulſatur, vacans verò innumeris deuaſtatur. Luſor ſcacchorum ſcacchum ſuum à ſcaccherio ſubleuatũ tenet in manu,&cũ magna deliberatione eũ collocat, ne ex aduerſo capiatur. Magni quippe ingenij eſt reuocare mentem à ſenſibus: Vnde Ouidius,

Eſt virtus placidis abſtinuiſſe bonis.

Nam virtus abſtinentiæ, etiam eſt in abſtinendo à bonis.

Nemo tam ſtultus agricola, qui de flore multum gaudeat, quia fructus expectandus eſt quo gaudendum erit, quia interim tempeſtates, & grandines metuendæ ſunt: frænandum eſt ergo metu gaudium, vt ſi dolendum fuerit, paciùs dolendum ſit; ſis ergo gaudens vt mox

d 2

doliturus. Non det veniam facilè cui venia opus non eſt. Nobile enim vindictæ genus eſt ignoſcere. Non ſolùm vitare debemus cibaria & aquas venenatas, quæ etiam famelici & ſitibundi vitant, ſed etiam nocitura, quamuis non ſint mortalia, vitare debemus, quia diſponunt ad mortem. Sic periculoſum eſt delectari in cogitatione peccati, quia licet non interficiat animam, tamen ad eius mortem diſponit. Non timeas dæmonem, quia ſi times minor es eo Nam minor eſt quàm ſeruus qui ſeruum timet.

Oportet natãtem membra mouere, ſarcináſque deponere. Nemo enim cum ſarcinis enatat. Quando locus eſt arctior, tũc eſt magis defenſibilis, & fit arctior per remotionem otij. Qui diabolo obedit, ipſe ſe deorſum mittit, quod colligitur ex verbis Euangelij quando diabolus, tentãs Ieſum, dixit ei: Si filius Dei es, mitte deorſum. Nã nec impulit, nec tetigit, quia diaboli ſuggeſtio ſeu tentatio non eſt coactio, ſicut nec illa quam facit hoſpes hoſpitibus cui figuratiuè ſimulatur.

Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis: quia nobilis animi eſt facere magnam reſiſtentiam antequam violentiam pati, & vtique maior eſt qui defendit, quã qui perſequitur. Si

tur. Si tamen reſiſtentiam non feceritis, diabolus obtinebit, quia nullum caſtrum defenditur, niſi ſint defendentes. Deus enim vires noſtras non patitur viribus tentationis excedi, ſed facit cum tentatione prouentum. Nam cùm Deus ſciat virium noſtrarum menſuram, nunquam imponit ſuper humeros noſtros ſuper id quod ſufferre poſſumus, & ſi ponit, cum ipſo onere auget vires.

Sicut auis vt accipitrem fugiat vepres intrat, ſic vt fugias diabolum, expedit agere pœnitentiam. Si candelabrum tuum erit apud te, diabolum fugabis à te, quia non ſtat niſi in vmbra. Sicut ignis comburit ſyluam, ita ieiunium malas cogitationes. Sicut non eſt reputanda caſta quæ appetit diligi, licet diligere nolit, ſeu qui audit vocem corruptionis, licet non aſſentiat, ſic nec anima quæ recipit delectationem peccati, licet non conſentiat. Sicut nullum ſine hoſte certamen, ita nec ſine tentatione opera virtutum. Tentatio enim probat cor hominis, ſicut aurum & argentum ignis, & vtique nihil eo fortius qui vincit diabolum, carnem, ſeu mundum. Signum crucis à nobis expellit exterminatorem, ſi tamen cor noſtrum Chriſtum habeat habitatorem. Si

intelligeres quantum tibi deeſt, non gloriareris,ſed potius ſuſpirares.

Si pœnam peccati cogitabis, ad voluptates quas antè guſtaſti, reuerti nolles. Si vlciſcendi pungeris aculeis, reſiſte piis cogitationibus & exēplis. Superbia eſt, vi corporis attentare, quod ſancti ſpiritu Dei facerent. Nam qui præſumit de viribus ſuis, ipſe proſternitur,& à vitiis vincitur, quoniam ſuis viribus viuere conatur. Vbi non eſt catus mures laſciuiunt.Sic dæmones in anima vbi non eſt timor Dei.

Vis vitare peccatum? vita cauſam, nam iuxta viperam ſecurus nemo ſedet, & murilegus albam pellem habens pulchritudinem illius iuxta ignem amittit: ſic vir caſtus iuxta mulieres ſedens, cito luxuriæ igne inflammatus, charitatem & decorem caſtitatis amittit.

De bonorum temporalium qualitate, quorum notitia mundi tentationes fugat.

CAPVT X.

ARgentum & aurum inter Indifferētia computantur,nunc bona,nunc mala, pro vtentium qualitate.

Diuitiæ mundanæ, nec ſunt veræ nec noſtræ:Nam argētum & aurū verè eſt terra

ra alba & rubea, ſolúſque hominum error facit quòd magis rubeam quàm albam, & magis albam quàm nigram reputemus. Nam ſi diuitiæ mundanæ veſtræ ſunt, cur vobiſcum eas non tollitis. Diuitiæ ſeruatæ non faciunt te diuitem, ſed cuſtodem & occupatum. Fallax gloria mundi in qua multa regnat illuſio. Fallitur inſipiens vitæ præſentis amore, Sed ſapiens nouit quãto ſit plena dolore. Felicitas huius mundi inquieta res eſt: quæ niſi temperetur, ſeipſum exagitat. Fercula mundi in ore ſunt ſapida, & in ventre faciunt torſiones. Fluũt omnia, & in aſſidua diminutione ſunt corpora noſtra, quæ fluminis more labuntur.

Intellige quænam menſura ſit hæc vita, cui tam ſecurus inſides mortalis compago. Nil enim aliud eſt quàm breue ſpatium pœnitentiæ, & quidem magna pars rerum humanarum vmbra eſt quam ſequeris.

Non facilè in mundo inuenies mel cui non ſit admixtum fel. Nullus eſt in mundo qui non guſtet anguſtias.

Omnis homo dolet, omnis ſuſpirat. Et demũ perquire mortaliũ ſtatus, vix inuenies in eculeo nõ pendentẽ. Nã hunc febris, hũc podagra, hunc vxor, hũc filia, hunc amica,

Digitized by Google

hunc diuitiæ,hunc paupertas, hũc infinita cupiditas & fatua deſideria hũc metus terrore quolibet peior. Cum tormentis mundum intraſti, inter tormenta vixiſti, & in tormentis morieris. Vndique ergo tormẽta,& ſic ſi de ſtatu ad ſtatum, de paupertate ad diuitias tranſeas, nil noui accidit, mutantur tormentorum ſpecies, ſed tormenta non deſunt. Curſus itaque vitæ ſemper aſper & ambiguus,ad cuius finem, multis tædioſis, doloroſis & periculoſis paſſibus venitur. Excute totum tempus ætatis tuæ, & quem ſine tormentis diem egeris recordare, aliqua forſan gaudiis adumbrata reperies,veris autem plena tormentis. Philoſophus quidam, qui omnia ſua bona exteriora perdiderat, interrogantibus amicis ſi multum perdidiſſet, reſpondit ſe nihil perdidiſſe,& ait, omnia mea mecum ſunt, pro nihilo enim reputo ſicut ſemper reputaui quæ eripi poſſunt. Charum ergo prædico mihi eſſe non damnum,licet apud illos qui reputant damnum ſit opinio damni & non damnum.

Nil enim perdit qui ſeipſum habet, cognoſcitque bona exteriora vltra neceſſitatem eſſe ad inſaniam.

Potentia amatoris mundi,iuxta flumen in arenis fundata eſt.

Re

Rebus felicibus, ſuſpecta breuitas & præſens proſperitas, futuram ſæpè calamitatẽ indicat. Vnde illud, Ante ruinam exaltabitur ſpiritus.

Sæpè vbi periculi plus eſt, & pauoris minus. Ars enim fortunæ vt licentiùs feriat, metum demit. Sequeſtrato à mortalib. virtutum exercitio, quid aliud eſt præſens vita quàm inutilis mora, quæ quantulacunque fuerit, non poteſt nõ eſſe breuiſſima: ſicut mola circumducta, ſemper ad eundem locum reuertitur, ſic temporalis labor omni die ad conſcientiæ principium. Nã cum quis ſe in mũdo credit profeciſſe, ad initiũ ſe ſentit reuolutum. Spatia huius vitæ imparia ſunt & incerta. Vnum tamen omnib. cõmune eſt, quòd cuncta ſunt breuia. Sperando & malè habendo tranſit vita mortalium. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Hunc verſiculum ſi ſaperent, qui in pompis & diuitiis verſantur, eum in parietibus omnibus & veſtibus ſuis ſcriberẽt. in foro & in domo, in ianuis & ingreſſibus, & ante omnia in conſcientiis ſuis. vt ſemper eum oculis ſeruarent, & corde ſaperent. Verte te in te, & quæſo dic in te, qui plus habet, qui plus vixit, niſi fortè labores, curas, tædia & peccata. Nã cùm ſpatium tranſieris, non inuenies quòd plus

vixiſſe fœlicius ſit.

De cauſis ex quibus peccata generantur, virtutesq́; corrumpuntur.

CAPVT XI.

ANima onerata peccatis, ſuæq́; adhuc paſſionibus carnis obnoxia, interiorũ gaudiorum ignara eſt protinus & inexperta; quia ſicut puluis in oculo impedit viſum corporalem, ita puluis peccati ſpiritualem. Nam vbi adhuc aliquid eſt carnalis concupiſcentiæ, non ex tota anima diligitur Deus. Auaritia lucro creſcit, eóque fit pauperior quo plus habet.

Copia ingens guſtũ hebetat, quam penuria acuit, & magna quippe vitiorum genitrix atque nutrix eſt copia. Cor indiſciplinatum de vna cogitatione ad aliam diſpergitur. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Deum quomodo poteſt amare qui non niſi fulgores corporeos nouit cogitare, ſic vix fieri poteſt vt cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur. dum venter extenditur, aculei libidinis excitantur.

Mens aſſueta deliciis, nec exculta diſci-
pli

plinis, multas contraxit ſordes, ſicut plica panni in qua pulueres congregantur. Mirum eſt aliquid prudentiæ dici ab homine mollitiem profeſſo, quia ſemper mollia loquitur, ſpiritus verò malitiæ ſemper amara. Inde cognoſces, quis ſpiritus ſit qui loquitur. Munera excæcant oculos ſapientum, & immutant verba iuſtorum, & vbi nummus loquitur, Tulliani eloquij tuba rauceſcit.

Nimiæ opes mores corrumpunt, quia diues in ſuperfluitatem reſoluitur & iactãtia effrænatur, currit ad libitum, & corruit ad illicitum. Non poſſunt temporalia ſine vulnere mentis tractari, quia eorum diſcurſus ita conſcientiam rodit, ſicut riuus qui fluit, terram cauat. Nõ ſapit internus ſapor inter tot oblectamenta diuitiarum, & tam varia cõdimenta ciborum. Impoſſibile enim eſt vẽtrem ſaturum pugnas interioris hominis experiri, & bellis robuſtioribus exerceri. Nullum habebit acceſſum cordis compunctio, vbi fiunt immoderatus riſus aut iocus.

Ornatus ſuperfluus eſt deriſio, quia ſtultitia eſt gloriari in veſtibus datis inſignum peccati primis parentis, ſicut & gloriari de pluinis & alligaturis volucrum. Nam per ſtudium clarioris amictus ab æterna claritate

tate nudi eſſe dignoſcimur, quia indicat quòd terrena non cæleſtia ſapiamus. Inſignis enim veſtis eſt ſuperbiæ vexillum & luxuriæ nidus, & demùm non eſt aliud ornamentum pulchritudinis, quàm velamentum turpitudinis.

Pecunia ex quo in honore eſſe cœpit, rerum verus honos cecidit Pulchra corporis forma, fragile verò donum quod paucis ad vtilitatem, multis ad perniciem, nulli ad gloriam data eſt: forma enim ſemper ſolet appetere paritatem, & cum caſtitate litem ſemper habere.

Quantò magis caro paſcitur, tantò minus fructificat, & plus nocet. Quantò magis extrà lucraris, tantò magis intus perdis, & quantò magis in exterioribus dilataris, tantò magis in interioribus euacuaris, & ab eis elongaris, quia ſollicitudo in temporalibus eſt verè mendicitas in ſpiritualibus. Quicunque fuit amicus huius ſęculi, inimicus Dei conſtituetur. Nam amor ſæculi fugat memoriam Dei, & præparat dęmonis habitaculum in anima: quia vbi non eſt Dei memoria, diabolus habitat. Qui cum triſtitia manum pauperi porrigit, fructum remunerationis amittit.

Sicut creſcente vmbra, frigeſcit dies, ita creſcente amore ſæculi frigeſcit amor Dei.

Si pe

Si pecuniam habueris, neceſſe eſt aut teipſum, aut pecuniam vilem habeas. Nam diuitiis omnino mergitur, qui eas diligit, & valdè rarum eſt quòd qui diuitias poſſident ad requiem tendant. Sordes animi eſt omnis amor extra amorem Dei & proximi.

De damno & periculo peccatorum.

CAPIT. XII.

Anima nunquã à corpore vinceretur niſi priùs à diabolo teneretur. Nam ſeruiet corpori ſuo etiam nollens, qui non ſeruit Deo volens, quia inobediens Deo non imperat corpori rectè. Anima per amorem temporalium præparatur ad adulterium contra Chriſtum.

Benè dicere & malè operari, nil aliud eſt quàm ſe ſua voce damnare,

Equus effrænatus nonnunquam dominum ſuum ducit inter hoſtes, ſic corpus indomitũ & effræne, animã ducit ad diabolum. Ex voluntate peruerſa fit libido, & dum libidini ſeruitur fit conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas, quia qui in peccato diu ſtetit, in id

etiam

etiam nolens cadit, & dum conatur labitur audaciſſimus, ſicut in ſimili de equo ex cæcato qui eſt audaciſſimus Habet oculus peccatoris ante ſe velum obpanſum ex peccati delectatione fuſtatum, ex quo redditur peccator audaciſſimus. Impatientia indicat propriam voluntatem in anima viuere, quia ſentit. Nam ſi propria voluntas eſſet mortua, non ſentiret, ſicut nec lapis coctus ſentit ignem, vbi crudus crepitat. Item indicat animam fore debilem, quia ſubuertitur tribulationibus, ſicut domus ruinoſa ventorum & fluminis impetu. Item indicat eam fore macilentam virtutibus, quia exemplo carnis macilentæ faciliter ictus ſentit. Item indicat eam vacuam virtutibus, quia reſonat cùm percutitur. Per murmurationes & voces impatientiæ, & in igne tribulationum frangitur, ſicut vas vacuum quod cùm percutitur, reſonat, & ad ignem poſitum frangitur, & demum in patientia res cunctas exaſperat. Infirmis, de quibus non eſt ſpes ſalutis, medicus omnia concedit. Illis verò de quorum ſalute ſperat, multa ſubtrahit, ſicut Deus roprobis nonnunquam concedit florem mundi & temporalia, quæ ſubtrahit amicis.

Magna miſeria eſt cum illo non eſſe, ſine

ne quod non poteſt benè eſſe. Malũ dominum eligit, qui propriæ voluntati ſeruire cõtendit, quia eſt omnium bonorum ſpoliatrix rapaciſſima. Mollities virtutis inuitos facit deſertiores, fecit & faciet dũ omne difficile tanquam impoſſibile reſpuitur.

Nihil infelicitus felicitate peccantium. Non eſt vas ita plenum, quod per vnum foramen non euacuetur, ſi quid liquidum imponatur, & qui in vas foraminatum quiddam liquidum fundit, nil vltra proficiet, ſed iugi tædio ſeipſum exhauriet. Nulla alia cauſa nobis difficultatem benè viuendi facit, quàm longa conſuetudo vitiorum: quia vſitata culpa obligat mentem vt nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem.

Omnes virtutes patiuntur detrimentum ab vno vitio. Nam ſi quis cadit in auaritiam, largitatem deſtruit, & caſtitatem minorat. Amor enim pecuniæ vel violat caſtitatem, vel ſaltem minus amat: quia licet eam nolit perdere, minori tamen affectione eã tueretur: nã videret inde procedere damnum pecuniç. Peior eſt delectatio peccati quàm ipſum peccatum. Sunt enim qui mala conſuetudine pœnæ coacti peccant, neque poſt peccatum gaudent, ſed

tri

triſtantur, & ſi fieri poſſit non peccaſſe mallent, qui dum inter libidinum flammas exiſtunt, dolorem ac pœnitentiam habent. & ſi dici liceat, habet ſimul velle & nolle, licet in peiorem partam declinẽt. Per ingreſſum culpæ, ita ingreditur peccator manus diaboli, ſicut piſcis naſſam, & lupus foueam. Per peccatum mittit peccator nuncium ad infernum ad præparandum tormenta. Priùs paſſos naufragium auaritiæ demerſit vnda quàm pelagi. Qui alium in corpore perſequitur, priùs ipſe in mente perſequutionem naſcitur ſuſtinere, qui à ſeſſore ſuo dæmone perurgetur. Qui contra naturam formoſus fieri ſtudet, nil vltrà perficiet quàm vt difformis videatur. Quicquid cadit in cor difformatum, totum difformatur exemplo ſigilli, quia malitia mutat intellectum. Qui in vno eſt reus, omnium eſt factus reus. Qui otioſa non reprimit, ad noxia citò deuenit, quia minima peccata maioribus viam parant. Nam & fur paruus intromittitur in domum per feneſtram arctam, qui portam maioribus furibus poſteà aperit. Qui veritatem pro pecunia negant, Deum pro pecunia vendunt, quia Deus veritas eſt in decret. 11. quæſt. 3. Abiit Iudas. Qui virtutes ſine humilitate congregat, puluerem ante

ante faciem venti portat. Nam perit omne quod agitur, ſi in humilitate nõ cuſtoditur.

Sagitta quando ferit, ſi inueniat molle, intrat, ſic tentatio diaboli. Si candela parietem non comburit, ſaltem denigrat. Sicut à ſcintilla augetur ignis, & comburitur villa, ſic ex vno peccato ad aliud, & ex paruo ad magnum deuenitur: nam omne peccatum pondere ſuo mox ad aliud trahit, ſuôſque ramos extendit. Sicut vulnus iteratum tardiùs ſanatur, ita peccatum iteratum tardiùs curatur. Quinimò ignaua eſt pœnitentia quam ſequens coinquinat culpa, vt habetur in Euangelio de illo qui fuit coactus reddere vniuerſum debitum priùs remiſſum, ex eo quin noluit miſeriri conſeruo ſuo. Stultus eſſet faber qui fabricaret gladium quo ſciret ſe debere interfici, & funicularius ſi faceret funem quo deberet ſuſpendi, Stultus eſt qui peccat vt poſteà pœniteat, quia etſi pœniteat, quod eſt dubium, ſaltem remanet cicatrix. Superbis quanquam ſemper legant diuinę legis penetralia clauduntur, quæ pandantur humilibus, Similiter qui literam legis attendunt, vel eius verba carnaliter percurrunt, eius occulta penetrare non poſſunt.

Vidiſti aliquando canem in menſa fru-

ſta panis aperto ore captantem, qui quicquid accipit, protinus integrum deuorat & ſpei futuri inhiat. Idem euenit cupidis & auaris: Quicquid enim expectantibus eis fortuna proijcit, illud recipiunt: quo habito id ampliùs non conſiderant, ſed ad rapinam alterius erecti & attontti tendũt, & ſic dum quærendis inhiant, quæſita non cernunt. Vnde perplexitas quædam incidit, dum quodammodo quærendo perdunt. Vitia ſunt ſicut lignum putridum lucens de nocte & non de die. Viuenti ad multorum placitum propria vitâ placere non poteſt. Voluptates quo magis implẽt, eo magis ſunt inexplebiles.

De redargutione & deteſtatione peccantium, eorúmque conditionibus.

CAPVT XIII.

AD petendum auarus eſt promptus, ad dandum tardus, ad negandum frontoſus: citò vult habere, tardè dare, dat tamen vt lucretur, maximè putrida & caduca, ſed non lucratur vt det, largus in alieno, parcus in proprio. Aduerſario ſe ad pugnam totis viribus accingenti, vires addere non tantùm eſt imprudentis hominis

hominis, ſed inſani. Quid enim ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? quid oleum flammæ adijcimus? Sicut dum corpus noſtrum ad delicias in quibus vires ſuſcipere ducimus, ex quo contumax efficitur: exemplo ancillæ impinguatę quę dominam contemnit. Alienus non es de foro tuo; tu ergo qui es qui iudicas alienum ſeruum? Amicitia non eſt, ſed negociatio quæ ad commodum tendit, ſicut nec amicus eſt qui fortunæ particeps non eſt. A principio mundi, mali perſequuti fuerunt bonos. Aſina cadit, & eſt qui ſubleuat eam, perit anima, & nemo curat.

Bos quibus eſt paſtus ruminat hæc eadem, & qui de terra eſt, de terra loquitur. Corporis caſtitas ſine caſtitate animi, eſt ſicut ſpica ſine grano, ſeu crumēta ſine denarijs. Culpa noſtra non natura querulos nos facit atque mæſtos.

Delectatio muliebriter amantium in ſenſibus eſt, quia non amant niſi quæ ſenſibus cerni poſſint, quæ corruptibilia ſunt. Ergo nil magnum amant. Dementia eſt illic relinquere vnde exituri ſumus, & illic non prætermittere quò ituri ſumus. Detrectores ſubdoli quadam ſimulata verecundia conceptam malitiam quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur:

videmus enim ab eis alta præmitti ſuſpiria vultu mœſto dimiſſo ſuper alijs, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tantò perſuaſibiliorem quantò creditur ab ijs qui audiunt magis condolentis affectu quàm maliciosè proferri, & ſubiungit, doleo vehementer quia diligo eum ſatis, & nunquam eum de hac re corrigere potui, & per me nunquam innotuiſſet, niſi quia etiam ab alio audiui qui hoc patefecit, & negare non poſſum, quia reuera ita eſt. Deus quotidie verbis & rebus offenditur, nec ſemper iraſcitur. Vos verò omne verbulum etiam caſu elapſum ad iniuriam trahitis capitalem. Dominus nobis loquitur in pſalmis, & cuius ſit pſalmus non attendimus.

Ecce noui Euangelij prædicator cõmendat crapulam, paupertatem voluntariam miſeriam vocat. Ieiunia, vigilias, & ſilentium vocat inſaniam, & procacitatem nũcupat libertatem. Enſe euaginato pacem quærit, qui in propoſito peccandi orando Deum ſibi reconciliari intendit. Equus nõ ducit molendinũ niſi ſit cæcus, & quantò cæcior, tantò audacior exiſtit, & fortiùs ducit, & licet cæcus ſit qui non videt parietem, tamen cæcior eſt qui non videt ſeipſum. Errat qui libentiùs accipit quàm det,

det,quia inaduertenter ſuæ detrahit libertati. Erubeſcat qui aues & beſtias in domo ſua recipit,& extra domum pauperes ſtari iubet,minimè eos intrare ſinens. Eruditũ virum vulgarib vti modis & vulgaria ſapere difforme eſt. Eſt quidem neſcio vnde offenſarum,quàm beneficiorũ firmior, tenacióque memoria. Excellẽtiam gemmarum non natura facit, ſed carnalis & curioſa hominum opinio. Fatuum eſt montes aſcendere, ventos vitare volenti. Fatuum eſt volenti ire ad paradiſum,aſſociare ſe volenti ire ad infernum. Periculoſius enim eſt conſortium malorum quàm odium. Fiducialiter dico, Nemini, qui ſit in propria voluntate,vniuerſus mundus poſſet ſufficere. Fragilis eſt admodum communis opinio quæ ſibi format quicquid vult Fruſtrà fit medicamentum vulneri, ſtante ferro in vulnere.

Gloriari de contemptu vanę gloriæ,vanius eſt:Plures enim in hoc ipſo placere cupiunt quod placere contemnunt.Grauis eſt ſapor qui non ſentit aculeos, & vtique durum caput habet qui in ſpinoſo puluinari laboris & mœroris rerum humanarũ recumbit.

Abũdantia malitiæ facit frigeſcere charitatem multorũ, quæ magis debet fer-

Digitized by Google

uere quò magis neceſſaria eſt. Hac via ſpernendi, maiores tentant minores, quando aliter maiores fieri non poſſunt. Hodie, vir quietus inutilis, vir religioſus hypocrita, vir ſimplex fatuus reputatur. Illi vtique grauiter delinquunt, qui diuitiis à Deo ſibi conceſſis non rebus ſalutaribus, ſed vſibus ſæculi prauis vtuntur: omnia enim ferè quæ ad vitæ vſum homines accipiunt, ad vſum culpæ conuertunt.

In iudicando criminoſa eſt celeritas, & ex defectu viſus, vna res duæ iudicãtur. Inuidi ſunt ſicut canes carnificum, quia ſicut dum animal excoriatur & euiſceratur, non attendunt ad bonum fructum: ſed tantum ad inteſtinum, ſic ipſi ſemper habent oculum ad malũ, & delectãtur in detractione, ſeu diminutione virtutis alterius, ſicut canis in corroſione oſſis. Irriſor eſt non pœnitẽs, qui agit quòd egiſſe pœnitet, nec pro ſunt lamẽta vbi replicãtur peccata. Si enim lacrymæ lugentium ex corde procederẽt, non tam cito in riſum conuerterentur. Iudicia Dei cùm ſint abyſſus multa, non debent æſtimari ſecundùm noſtras infirmitates.

Luxurioſus eſt ſicut papilio circa lumẽ candelæ volitans, qui quanquam ſemel & bis ſentiat læſionem, nihilominus volitare

non

non ceſſat: vel ſimilari poteſt aui quæ inter viſcum & laqueos ſecura volitat, & piſci qui inter hamos ludit, & demùm capitur. Magnus animus ſine magna potentia dementia eſt. Malè permutatis qui conſcientiam cum pecunia permutatis, lucrum captatis & animam captiuam facitis, lucrum in arca & damnum in conſcientia. Quid igitur filij, addo genus auarum, vobis cum iſtis pecunijs? Meliùs ſpero de homine vitijs pertinaciter inhęrente, quam de homine vario nullis ſe conſilijs applicante, qui ſi aliquid inceperit, non conſiſtet, nec perſeuerabit, quia non demoratur in bonis, qui hodie facit bonum & cras malum, At ille ſe conuerſus fuerit ad virtutes, forſitan perſeuerabit, & conſtans erit in illis. Mirandum eſt quod homines non diſcunt in ſe de eo quod in alijs ad oculum quotidie vidēt. Mira peruerſitas medenti, id eſt corrigenti, iraſci, qui non iraſcitur ſagittanti id eſt adulanti. Miror de homine qui impedimentorum ſuorū magnitudine gloriatur, & ſuis ſarcinis delectatur, cuique dulce eſt ſub faſci ſuccumbere. Mollis eſt qui aſperitatem viæ reſpuit, cuius exitus eſt iocundus. Mortales tunc breuiſſimam vitæ telam ordiuntur, cū præſcindenda eſt: quod niſi ita eſſet, nō

tam ſæpè inexpletis vitę muneribus morte præuenirentur. Dum enim ſibi quiſque longiſſimæ vitę ſpatia ſpondet, & naturæ filium perdilectum credit, de primordijs agitantem finis occupat, & multa deliberantem improuiſa mors aggreditur. Nam paucis in hac vita contingit vt præconcepta incipiant, ſeu incepta perficiant, quia dilaturam mortem ſperant, & abeſſe procul fingunt, quam nihilomin s vicinam ſemper vitæ breuitas & fuga temporum facit. Moueri rumoribus nouorum, licet veris, turpe eſt, falſis verò turpiſſimum.

Multi inueniſſent forſitan neceſſaria, niſi ſuperuacua quæſiuiſſent. Multi ſe id putant velle quod nolunt, quia non ſufficit velle qnando deſiderio opus eſt, eóque nõ modico, ſed vehementi. Vos autem mala veſtra feruidiſſimè cupitis, bona verò tepidiſſimè vultis. Vnde fit vt diuites multi ſint, boni autẽ pauciſſimi: quid enim mirũ eſt ſi citiùs ad optatum ardens intentio quàm voluntas lenta prouehitur?

Ne glorieris in craſtinum, neſciens quæ ſuperuentura pariat dies. Negotiatiorem clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili glorioſum tanquam peſtem fuge, ſecundùm Hieronym. & habetur conſumptione 88. diſt. negociatorẽ. Nil abſurdius inter

inter homines quàm fallaci iudicio verum quærere: Ingenio enim ac ſtudio veritas quærenda eſt, non ſenſibus. Nil iuuat domum opibus implere, ſi intus domeſtici hoſtes animum impugnant: Nil refert quid de te alij ſentiant, ſed quid tu, qui rē meliùs cognoſcis quàm alius. Ignorantibus enim credere, eſt velle falli. Nam fœlix non eſt qui alijs videtur, ſed qui ſibi. Nil tibi proderit ſi quod legendo perſpicis, viuendo contemnas: melius enim eſt poſt doctrinam in opere ſequi illam, quàm glorioſè in opere torpendo illam augere. nimis indigēs eſt cui Deus nō ſufficit. Non dicas te felicem in mundo iſto, quia ſi dicis, erras. Si enim error facere poſſet felices, pauciſſimi eſſent infelices. Non habes quærēlæ cauſam, etiam ſi bonis omnibus perditis nudus remanſiſti, quia nudus mundum intraſti, ſed debes Deo gratias potiùs referre quòd ijs vſus ſis medio tempore Nihil enim de tuo eripitur tibi, ſed alienum precario tibi conceſſum, Domini voluntate à te exigitur. Non poſſe pati expectationem parui temporis, puerile ac fœmineum eſt. Virili enim animo nil breue difficile. Non reprehenditur diues qui terram coluerit, vel fructus in horreis congregauerit, ſed quòd fiducia lon-

gioris vitæ in illis poſuerit, nec pauperibus erogauerit vt ab illis reciperetur in æternis tabernaculis. Non ſunt minus turpia principi multa ſupplicia, quàm medico multa funera. Nullus in cœno fontem requirit, nec deturbida aqua fontem petit, itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimat? Quis vtilem iudicat animę alienæ, quem inutilem vitæ ſuæ videt? quomodo poteſt iudicare vitæ ſuperiorem, quem manifeſtè video vitæ inferiorem? Minimè igitur virum eum vacare credam qui non vacat ſibiipſi, cuius animum voluptates occupant, libido deuincit, auaritia ſubiugat, cupiditas perturbat. Qui ergo ſibi bonum conſilium non præbet, credere quòd mihi præbeat improuidentiæ eſſet. Nunquid lancea eſt lingua detrectatoris qui tres perſonas penetrat vno ictu?

O aduocati & iudices iniqui, non attenditis merita cauſarum, ſed merita perſonarum: non iura, ſed munera, non iuſtitiam, ſed pecuniam, non quid ratio dictet, ſed quid voluntas affectet, non quid lex ſanciat, ſed quid mens cupiat, non inclinatis animum ad iuſtitiam, ſed iuſtitiam ad animum, nunquid in vobis eſt ita ſimplex

plex oculus, vt totum corpus ſit lucidum: ſed aliquid ſemper admiſcetis fermenti, quod totam maſſam corrumpit. Pauperũ cauſam cum mora negligitis. Diuitum cauſam cum inſtantia promouetis: in illis rigorem oſtenditis, cum iſtis ex manſuetudine diſpenſatis: illos cum difficultate reſpicitis, iſtos cum fauore tractatis Illos negligenter auditis, iſtos ſubtiliter auſcultatis: clamat pauper & nullus exaudit, loquitur diues & omnis applaudit. Diues loquutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes producitur. Pauper loquutus eſt, & dicunt, quis eſt hic? & ſi offenderit, ſubuertent illum: ſi fortè pauperum cauſam ſuſcipitis, illos remiſſè fouetis, cùm autem diuitum cauſam aſſumitis, illos pertinaciter adiuuatis, pauperes deſpicitis, diuites honoratis. Iſtis reuerenter aſſurgitis, illos deſpectabiliter conculcatis. Nam in iudiciis ita paruũ debetis audire, ſicut magnum ſine acceptatione perſonarum, quia iudicium Dei eſt, apud quem non eſt acceptio perſonarum. Verùm vos nec gratiam gratis datis, nec iuſtitiam iuſtè redditis, quia non datur niſi vendatur, ſæpè etiam iuſtitiam tantum differtis quòd litigantibus plus quàm totum aufertis, quia maior eſt ſumptus expenſæ,

penſæ, quàm fructus ſummę. Quid autem illi poteſtis in diſtricto iudicio reſpondere, qui præcepit, Gratis accepiſtis, gratis date? O homo tenebris excæcatus, neſcis quid ſis, non attendis quò vadis, non animaduertis factum tuũ. Optare benè mori, ni benè vixeris, fruſtrà eſt. Nã malè agere & benè ſperare nil eſt. O tu qui littus aras, ſeu terræ arridæ colonus exiſtis, ſolue boues, quid te torques: nam cùm tot ſint labores neceſſarij & ineuitabiles, ſuperuacuos quærere demẽtia eſt. O vos qui multa quæritis, non aduertitis quòd in quærẽdo tempus & vita, cui illa quærebantur, elabitur, & ſic mira perplexitas incidit quia dum vita abũdare videbamini, diuitiis indigetis, dúmque indigentia illa præteriit, ſuperuenit altera, ſed quòd diuitiis abundantes indigetis vita.

Pauidus miles, qui viſo hoſte abiectis armis fugit, ſępè ipſe ſibi periculum fecit, vbi impauido periculum non fuiſſet. Placere Deo vultis, cuius mandatorum nullum vobis placet. Pulex macra acriùs pungit. Sic pauper ſublimatus, & ditatus, in ſubditos acriùs ſæuit. Quàm facile eſſet tranquillam ac ſerenam vitam agere, ô mortales, niſi vos tam inquietam & vitiis turbidam faceretis. Nam mala noſtra ma-

gna

gna ex parte nobis facitis, quę poſtea deploratis. Quam produces excuſationem tu qui peccas, an quia quid facias neſcis, & verum non eſt? an quia cogeris vt facias & falſum eſt, quia ſolum peccas, quia placet ſic facere, nec vetaris commiſſa diluere? Quantum laudandi ſunt, qui cum mundo florente florem noluerunt, tantum increpãdi ſunt quos perire cum pereunte delectat. Quia ad ſpeculum vobis placetis, omnia vobis licere putatis. & eſt communis defectús, quia quicquid volunt homines ſe benè velle putant. Qui ad temporalia anhelant, in hoc ſaltem decipiuntur, quòd ſi quod cupiunt ſeu ſperant, adepti fuerint, ſtatim deſiderium & ſpem eorum in longinquum rurſus tranſmittũt, & dum quærendis inhiant, quæſitorum non recordãtur, & ſic fit vt omnia eis deſint, & quę habent, & quæ cupiunt. Qui ambitioſus eſt, has conditiones habet, quòd ſemper eſt pauidus, ſemper attentus ne quid dicat vel faciat quod in oculis hominum valeat diſplicere, humilitatem ſimulat, honeſtatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur & obſequitur, cunctos honorat, vniuerſis ſe inclinat, frequentat curias, viſitat optimates, aſſurgit & amplexatur, applaudit & adulatur; prõptus

promptus & feruidus vbi placere cognouerit, remiſſus & tepidus vbi putauerit diſplicere, improbat mala, deteſtatur iniqua ſed aliqua tamẽ quibuſdam probat & cum alijs improbat vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab omnibus, vt à ſingulis approbetur: & ecce graue intra ſe ſuſtinet pugnam, difficilémq; conflictum dum iniquitas pulſat animum, & ambitio continet manum, & quod illa ſuggerit faciendum, hæc fieri non permittit. Concludunt tamen in inuicem iniquitas & ambitio, quia in aperto ambitio ſubſiſtit, & in occulto non reſiſtit. Ambitioſus libenter agit de principatu quem ambit, & dicit, O quando principabitur quiſpiam qui à iuſtitia non veniet in amore vel odio qui non corrumpatur prece vel pretio, qui credat fidelibus, & acquieſcat ſupplicibus, qui ſit humilis & benignus, liberalis & prouidus, conſtans & patiens, ſapiens & aſtutus, & ſi fortè hac arte non proficit, aduocat Symonem, promittit & tribuit; & ſic quod gratis adipiſci non potuit, per fas & nefas nititur adipiſci amicorum ſuffragio, præſidio propinquorum, tantoque dominationis inflammatur odore, tanta libidine præſidendi, vt ſchiſma non horreat & ſcandalum non formidet, Nullus itaque
ſibi

ſibi aſſumat honorē, ſed qui vocatus fuerit à Deo tanquam Aaron. Quidam ſunt qui de mundo volunt exire, tamē bonam famā volūt retinere. Iſti ſimilantur fumarijs nūc de abbatijs quæ intus fœtēt. Quid eſt quod delectat audire auribus? Philomenam, & alloquutio diuina faſtidit. Quid eſt quòd obſeſſo caſtro extra mittitis mulieres & paruulos, & obſeſſa anima non euacuatis molles & pueriles cogitationes? Qui loqui neſcit, tacere nō poteſt, ſicut ſtultus, nā qui tacere nouit à doctis didicit: qui nihil patitur audire contra ſe, eſt ſicut ſerpens qui obturat aures ſuas. Qui ſubmergitur, non debet ad bibendum hortari: quod apud homines altum eſt, abominabile eſt apud Deum. Sciat ſe culpabilem qui corporabilem amici ſui mortem deplorat, & ſpiritualem animæ eius mortem non deflet. Scitote vos eſſe valdè culpabiles, qui mortem non vultis audire nominari in domibus veſtris, vbi vix eſt qui dicere audeat cùm moriar, ſed ſi moriar: quaſi in dubio ponatur quo nihil eſt certius, & quia idipſum, ſi moritur, clarè non ſonat, dicunt ſi aliud de me eſſet: vtique tergiuerſamini vt libet, ſed ita nobis eueniet ſicutiis qui contra hoſtilis ferri aciem oculos claudunt, quaſi periculum quod non vident, nec

nec ſenſuri ſint. Mors enim eſt creditrix importuna, quia ſi differt diem, non frangit redemptionē. Si aurū tibi offertur, non dicis cras veniā, ſed iā exigis: & redemptio animæ promittitur, & nemo feſtinat. Si corpuſculū tuū, ſi naturam, ſi vitæ reſpicias breuitatem, videbis te ſuperuacuis curis angi, & egentem paucorum multa deſiderare. Sicut mortale ſignum eſt receptam euomere medicinam, ita audire verbum Dei & non cuſtodire. Nam verbum Dei eſt verus animæ cibus. Sicut redarguendi ſunt, qui corpus ponunt pro ſaluatione ſcuti, ſic qui animam exponunt pro ſaluatione corporis. Sicut redarguendus eſt coquus, qui parat domino cibum ipſi coquo abominabilē, ſic qui orat ſine corde. Vnde pſalmus, Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die. Si liceat verum loqui, dico quòd ſtultiſſimum & mali ſui ſemper auidiſſimum animal eſt homo, quia cæteris capiendis, eſca opus eſt, homo verò ſolus fameſcibilis capitur. Simulata æquitas eſt duplex iniquitas. Solus cum ſola non debet libenter loqui, cuius exemplo Dominus ait Samaritanæ, voca virum tuum. Stulti tantò intentius aliena indicāt, quātò ſua profundius ignorant. Stultorum enim, proprium eſt, aliorum

liorum vitia cernere,ſuoru̅ obliuiſci. Stultus eſt viator qui in via amœna prata conſpiciens obliuiſcitur quò tendebat. Similiter ſtultus eſt qui delectatur in amœnis pratis per quæ itur ad mortem. Sunt qui non amant & amari ſe putāt, quo nihil eſt ſtultius. Superbiæ mos eſt ſemel audita fortè nec intellecta dum repetuntur, quaſi certa & vulgata faſtidire.

Tandiu quis peccata ſua quæ noſſe & flere debet,ignorat, quandiu curioſè conſiderat aliena.Temporalia amatis,& in eorum artificem non retorquetis amorem. Tolerare & odiſſe non eſt patientiæ virtus, ſed velamen furoris,nam non prodeſt ceruicem flectere, niſi cor flectatur. Inducias Deo frangit qui Deum poſt pœnitentiam per peccatum offendit. Vilia ſemina citò fructificant, qualia ſunt opera hypocritæ. Villicus non peſſimus bonus eſt, quem ferre neceſſe eſt, aut villicum eſſe, vel incultum rus dimittere,vel famem pati, quia mutare non proderit:ad vnum penè modum omnes facti ſunt: Namque ſemper vltimus eſt peior Nam mox vt terram habuiſti, ſterilitatem & villici faſtidia præſagire debuiſti. Ruſtici enim ſunt tribuli & ſpinæ, de quibus dicitur in Euangelio, quòd terra germinabit tribu-

los & ſpinas. Ij ſunt tribulis & ſpinis peiores. Vis ne tu homines offendere? à pulicibus te defende; viliſſimo animali impar es & nobiliſſimum aggrederis, & cùm pulicum cibus ſis, homines voras. Vitioſo verecundum eſt vitia reprehendere, ſic ei qui ſe lapidandum cognoſcit, alium lapidare. Vix quod alius alij cõueniat, Nam aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Vulgares quicquid præter auaritiæ ſtudium agitur tempus perditum vocant, cùm id maximè & verè perditum dici poſſit & ſit, quod illi ſtudio tribuitur. Vulgus, ſi nunc amat, ſubſiſte paulùm, mox oderit: Nam ſerenũ cælum, aura æſtiua, quies maris, lunæ ſtatus, & amor populi: omnia hæc ſi conferantur, mobilitatis palmam amori populi do, ſæpeque alterum extremorum tenet laudando vel vituperando, medium verò nunquam, & plerunque attollit, & colit indignos, calcat & odit meritos atq; egregios ciues, blandos diligit, veridicos odit, bonos ſpernit, veneratur potentes, libertatis hoſtes adorat. Defenſores reipub perſequitur, mutat dominos, innouat leges, vtrumque in peius, in melius rarò, flet & ridet inaniter, gemmaſque miratur, virtutes abigit, amplexatur voluptates, tacet demum

poſt

poſtquam multa latrauit. Ij ſunt mores vrbium.

De pœna peccati, peccatorem in iſto mundo cruciante, & de communicatione pœnæ futuræ.

CAPVT XIIII.

AB alio expecta quod alteri feceris, vt in exemplo de filio exiſtente cum patre in horto, qui traxit patrem per capillos vſque ad quandam arborem: cui tunc pater ait, Fili non trahas me amplius, quia vſque ad iſtum locum traxi patrem meum, & non vltrà. Amor carnalis eſt latens ignis, gratum vulnus, ſapidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, iocundum ſuppliciũ & blanda mors, & demum qui nimis carnaliter diligit in vita iſta guſtat pignus inferni. Amor huius mundi, perturbatiuus eſt animarum quas ingreditur, quia eas quietas eſſe non ſinit.

Auaritia lucro creſcit, eo quòd auarus ſit pauperior, quo plus habet. Auaro ita deeſt quod habet, quàm quod non habet. Auarus antequam lucretur, ſeipſum perdit, & antequam aliud capiat, capitur.

Dignum eſt, vt à beneficijs Dei ſit alienus, qui eius noluit iuſſionibus eſſe ſubiectus. Ferociſſima peſtis eſt cupiditas, quæ ſolet quos capit, facere egenos, dum finem quærendi non inuenit, dum altera cupiditas ex alterius fine naſcitur, & ideò fortior eſt qui cupiditatem vincit, quàm qui hoſtem ſubiicit.

Hi frequenter maiores tribulationes ex carne ſuſcipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur.

Illa eſt pœna peccati iuſtiſſima, vt amittat vnusquiſque id quo benè vti noluit, cũ ſine vlla poſſet difficultate ſi vellet. In aqua turbida non reſultat imago. Ira in homine eſt ſicut validus ventus in mari, & inficit corpus ſicut lepra leproſum, & ſicut acetum vas ſuum, atque eum corrodit ſicut vermis lignum, hebetátque omnes corporis ſenſus. Iudicium ſine miſericordia ei qui non facit miſericordiam. Iuſſiſti Domine & ita factum eſt, vt omnis inordinatus animus ſibi ipſi ſit pœna. Maximum argumentum malè ſe habentis animi eſt fluctuatio animi qui cõſilijs agitatur, ſicut ægri corporis crebra in choro reuolutio. Mentis inquietudinem luxuria inducit, cuius actus ſemper miſer eſt, quia dum tranſit, ſemper vulnerat.

Digitized by Google

Nulla pax vbi vitia minimè impugnantur, nullus eſt ita bonis operibus deditus, ſi ſequatur carnem. quòd cum non ducat ad interitum Nullus euadit flagella Dei relicto Deo Nunquid tibi videtur quòd à terra non deuoretur ille qui de terra ſemper cogitat, qui de terra ſemper loquitur & litigat, qui terrenos ſemper habet actus, qui terram deſiderat & omnem ſpem ſuam ponit in terra, qui ad cælum non reſpicit, qui futura non cogitat, qui Dei iudicium non timet, nec eius promiſſa deſiderat Sed ſemper de præſentibus cogitat & ad æterna non ſuſpirat. Talem cùm videris, dicito quòd deuorabit eum terra, ipſeq; terram comedit cum ſerpente.

Otiū ſine literis eſt viui hominis ſepultura.

Per malos corripit Deus & flagellat bonos, ſed ad vltimum faciet de illis, ſicut facit pater de virga qua verberat filium, quia eo verberato proiicit virgam in ignē. Nam poſtmodum diuina Iuſtitia Dei patris eos mittet in ignem æternum, & tunc lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam peccatoris.

Qui bona huius mundi diligit, velit nolit timoris pœna ſuccūbit. Qui epulas in delicijs ſumit, in tormentis euomet. Qui futura non cogitat, in omnia incautus inci-

dit, ſæpius enim pes incedentis offenditur, niſi primo dirigatur aſpectu. Qui nihil metuit, is proximus eſt ruinæ, ſicut qui ſperat in iuuentute arridente ſibi, cùm illa ſit periculoſior vitæ pars quam nimia ſecuritas reddit incautam. Qui per alios non corrigitur, alij corriguntur per ipſum. Qui ſtultus eſt in culpa, ſapiens erit in pœna.

Scabies auaritiæ & aliorum vitiorum quò magis ſcalpitur, acriùs æſtuat. Hanc nec tolli nec liniri petunt homines, nec quidquam ſentiunt, cùm tamen grauior ſit ſcabies ſeu febris auaritiæ, aliorumque vitiorum, quæ intus in anima latet, quàm quæ in corpore patet. Tantò ergo eis ſemper eſt minor cura animi quàm corporis. Sæpe medici mollioris difformior eſt cicatrix. Sic diuitias auari habent, ſicut infirmi dicũtur habere febres, & ſic diuitiæ eos tenent, ſicut dicimus febris illum tenet, ſunt enim diuitiæ eorum, grauis tribulorum ſarcina. Sicut araneæ ſe euiſcerant, vt muſcas capiant; ita amator mundi. Sicut qui multos hoſpites tumultuoſos in domo ſua recepit, pacem habere nequit, ſic nec qui verba vana & mũdana audit. Sicut tanta eſt patientia Dei erga offenſiones peccatorum, quòd ſi eſſet dare hominem

qui


Digitized by Google

qui patienter tot & tanta tolleraret, demés reputaretur ab omnibus, ſic ta[illegible]us erit eius furor quando ve[illegible] ad iu[illegible]n contra peccatores, quòd [illegible] homine dare tantam iram, ph[illegible]cus [illegible]etur à cunctis. Si flagel[illegible]das, pignus habes dãnationis æternæ. S[illegible]audes alicuius morte, cogita quòd de tua aſius mox gaudebit: nec læteris ſuper inimici tui damno, ne veniat in te ſimile. Tot inuenies animæ tormenta, quot vitia, & diſcurre per ſingula, quia ſaltem cuiuſlibet generis peccator eſt famelicus, & cum filio prodigo fame perit.

Valdè potentes ſe oſtendant peccatores quando venerint tribulationes mundi, quales nunquam fuerunt, dum d cent montibus, Cadite ſuper nos: & nunc impotentes ſe dicunt ad agendum pœnitẽtiam, vnius momenti illecebras, multorum annorum pœnitentia, vel forſitan æterno ſupplicio cogita puniendas.

Explicit libellus de via ſalutis æternæ.

DEO GRATIAS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google